UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento Selectæ

Pexenfelder, Michael


[S.l.], 1711


urn:nbn:de:hbz:466:1-64523

Visual Library

N. I
455.
Th 4928.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Dom: Universit: Fondat


MARIAS
PLVS OMNIBVS
VNA
FLORVS
BIBLICVS
AVCTORE
P. MICHAE-
LE PEXEN-
FELDER
S. I.
M.DCC.XI

FLORUS BIBLICUS
SEU
NARRATIONES,
EX VETERI TESTAMENTO
SELECTÆ
A. R. P. MICHAELE PEXENFELDER,
Societatis JESV Sacerdote.

Editio altera, omissis Doctrinis Asceticis.

Collegii S. J. Paderborn. 1742.

LANDISHUTI,

Anno Reparatæ Salutis,
M.DCC.XI.

Vgl 6182

Cum Facultate Superiorum.

Typis Andreæ Michel.

Præfatio.

FLorum Biblicum, seu collectas è Divinarum Litterarum horto in Fasciculum historias, octavo abhinc & trigesimo anno florentissima latinitate, & publico Typo donaverat P. Michaël Pexenfelder S. J. vir partim ob plures alios, quos edidit, partim ob ipsum hunc, quem nitidissimo calamo conscripsit, librum, erudito orbi notissimus. Certè, qui in varia litteratura excelluit, multorum judiciô, in opere isto triumphavit; tanta est dignitas materiæ, accommodato ad rem stylo, graviter copioséque proposita, tanta eloquentiæ in Historia pariter, & Oratoria Palæstra insignem palmam referentis majestas. Non est cur laudis hederam apponamus vino vendibili. Massica & falerna his folijs non indigent, seipsis commendata. Id solúm in Præfatione hac agimus, ut, cur iteratò prælo eundem, foliô tamen, & quadam sui parte minorem librum subijciamus, Benevolus Lector intelligat. Ac primô quidem multorum jam diu vota ac desideria in eo erant, ut pro maxima litteratæ præsertim juventutis utilitate graphicæ hæ & Oratoriæ Narrationes eâ recuderentur formâ, quæ neque mag-

magnitudine pretij parcos emptores, neque vastitate operis deterreret Lectores. Quamvis enim ex parte una omni plus auro censeretur opus æstimandum, tantum auri tamen non erat omnibus, quo pretiosum sibi librum comparent: & alia ex parte neque exigua studiosos apud adolescentes librorum scrinia vastum admittebant codicem, neque onus grande pro eorum erat manibus, cùm tamen & manibus, ut perpetuò volvant, & oculis, ut legant, vix quidquam sit dignius. certè inter eos, qui adolescentibus nostris litteratis suppetunt libri, vix est aliquis, qui ita cum eloquentia jungat eruditionem utilem, ita eruditioni utilitatem ad vitæ morúmque referat institutionem. Veteris Instrumenti historia nunquid omnium, etiam ab Orthodoxis dissentientium judicio una & illa est, quæ nullius, etiam trium litterarum capacis, notitiam subterfugere, & præ cæteris aut novi, aut orbis antiqui factis ac exemplis debet hominum occupare memoriam? hac scitu nil dignius, nil lectu amœnius, nil fructu fœcundius. Erubescat sanè Catholica juventus, si ipsa in Divinis litteris sit peregrina, quas omnia cætera gentium ac sectarum ingenia tam avidè perdiscunt, tam expeditè referunt, & quotidiano immiscent

ser

sermoni. Neque hæc juventuti duntaxāt sint dicta; à Divini Codicis historia, DEI ipsius scribentis aut dictantis manu exarata habent Reges & Principes, Nobiles & plebeij ac milites, Sacri ac profani, atque omnis omnino hominum ordo, quod discat, quod imitetur. Ad hanc tanquam indubitatæ veritatis limam DEus ipse vult nostros expoliri mores; ad hanc, tanquam ad lucem fidei splendidissimam, præcipit vitæ nostræ illustrari cæcitatem, ab hac prava corrigi, recta doceri. Et id nisi facerent Sacræ illæ in Divinis Litteris consignatæ historiæ, atque singularem animorum fructum respicerent, ausim dicere, Sacræ non forent Litteræ; ita Divini Verbi proprium est animas docere, ita Sacri Spiritûs hoc singulare, inspirare Salutaria. Hinc quisquis Libro huic attenta mente pervolutando dabit operam, næ is experietur, quàm sua in DEum firmetur fides, augescat spes, Charitas sumat incrementum. Sentiet legendo etiam non sentienti implantatum fuisse Bonitatis Divinæ amorem, severitatis metum. Ibit cogitatione in priora sæcula, & in his nostris recognoscet simul, quàm admirabili Divinorum operum serie suam ubique Sapientiam Providentiámque demonstret DEUS. Et quales quantíque

sunt

sunt fructus isti in Floro hoc Biblico degustandi? sanè tales, quibus super Panchæos odor, & super Hyblæos vis ineſt medica. Agite igitur ingenui Adoleſcentes, & apicularum instar non venenatis periculoſorum librorum, ſed istis melle pieniſſimis insidete floribus, quos in Sacræ Scripturæ viridario plantavit DEus, & eloquentiſſima Authoris, tanquam magni in Litteraria Republica Apollinis rigavit manus. Vobis potiſſimùm hanc operam gratificatus eſt Author, calamum ſtylúmque ad artis Oratoriæ regulas in tam utili, támque varia accommodans materia, ceu amuſſi, ad quam facilè ſit, omnis generis themata elaborare, iísque multiplices Latinitatis flores inde aſpergere. Habebitis & invenietis in hoc libro, unde eloquentiæ favum nutriatis ſimul & virtutum pulcherrimarum melle veſtras reficiatis animas, ut adeò utriúsque doctrinæ, Divinæ ac humanæ ſitis hauſturi plurimùm, etſi, quam Author olim pro Auctario addidit, Morum doctrina brevitatis ſtudio à nobis fuerit omiſſa, præter nonnulla ex ijs ſelecta Sententiarum dogmata, quæ plerisque Narrationibus velut analecta fuerunt appoſita. Apiculas vos eſſe volui, libro ſtudiosè inſidentes. Tales ſi eſtis, è Narrationum iſtarum viſceribus trahe-

hetis ipsi Doctrinas multò majori cum gustu ac suavitate, quàm si alterius operâ jam extractas reperiatis. Hoc ut cum maximo & Juventutis, & ætatis omnis emolumento, quod unicè quærimus, eveniat, DEUM precamur.

FA-

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

Cum Privilegio Cæsareo.

EGo Guilielmus Stinglhaim Soc. JESV per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Adm. R. P. Michaele Tamburino universæ Societatis Præposito Generali, Facultatem concedo, secunda editione typis vulgandi librum, cui Titulus: Florus Biblicus, seu Narrationes ex vet. Testamento selectæ à P. Michaele Pexenfelder S. JES., editio altera, omissis doctrinis Asceticis. Vicissim prohibeo vi Cæsar. Privilegii, ne ullus alius dictum librum recudat, vel intra S. R. Imperii fines, & hæreditarias S. Cæs. Mai. Provincias importet. In cuius fidem has Chirographo meo, & consueto Officii sigillo munitas dedi. Oeniponti 16. Sep. 1710.

Guilielmus Stinglhaim.

NARRATIO PRIMA.
CREATIO MUNDI,
SEU COSMOPÆIA
Geneſis. 1. & 2.



EUS eſt Spiritus lucidiſſimus, æternus, ubique præſens, unus in Eſſentia (ut Theologi loquuntur) trinus in Perſonis. Pater, qui ſolus à nullo eſt: Filius de Patre ab æterno genitus: Et Spiritus Sanctus ex Patre, Filióque pari æternitate procedens; qui cùm Perſonarum proprietatibus ſint diſtincti, unus tamen ejusdem Naturæ Deus eſt, ſolus Omnipotens, ſummè Sapiens, infinitè Bonus; idem eximiè Juſtus, Verax, Fidelis. Quô nihil majus, pulchrius, jucundius aut eſſe poteſt, aut excogitari. Qui ante mundi conſtitutionem ſolus ſibi ſufficientiſſimus, & mundus erat, & locus, & omnia. Ipſe quippe in ſeipſo exiſtens, ſeculis innumerabilibus & annis æternis ſuâ fruebatur ſapientiâ, pulchritudine, bonitate; intuebatur, quas poſſidebat, perfectiones admirabiles, inæſtimabili cum gaudio; in quarum contemplatione producebat VERBUM, æternum & coæqualem Filium; & cum hoc, AMOREM Infinitum, Spiritum

Sanctum. Cogitabat de mundo olim condendo: de Civitate Electorum, quos jam tum sigillatim sibi præsentes habens ac fovens, dulcissimo complectebatur affectu: de reparando per INCARNATIONEM Verbi (Græcis *Sarkosin*) humano genere, per peccatum ruituro, & meliorem in statum revocando; rei nullius extra se ad summam beatitudinem indigus, nec beatior è rerum creatarum accessione futurus.

Sed quia, quod Bonum est, diffundi cupit, Deus, Infinita Bonitas sese nobiscum communicaturus, condidit spectabilem hanc Universitatis molem, ut per operum divinorum contemplationem, mortalium mentes ad ipsius Creatoris cognitionem, venerationem, amorem attollerentur, hominique felicitatis perennis propositô præmiô, mundus, quasi decurrendi stadium, & armorum palæstra constitueretur. Cæterùm de annis ab ortu Christi ad mundi principium remetiendis alij aliter rationes ponunt, nos cum doctissimo & accuratissimo Jacobo Saliano, S. J. aliisque compluribus, secula computamus ad Servatoris natalem quadraginta, & dimidium, hoc est, annos omnino quater mille quinquaginta duos. De tempore, quo fabricata est mundi machina, nihil est necesse disputare; seu fuerit autumnale, seu vernum, cùm pro utroque robur argumentorum, & Scriptorum auctoritas pugnet. Autumnus fertilitate & opimitate fructuum olim annum ordiebatur. Idem vere faciebant prisci Romani, quo tempore terra germinat, rident flores, amœna temperie formosissimus est annus. Poterat verò omnipotentis manus Architecti,

ti, totam molitionem uno momento absolvere, nisi placuisset parem Potentiæ Sapientiam in rebus, certo dierum intervallo digerendis atque ornandis demonstrare. Prima itaque die (si tamen dies erat, cùm lumen solare non esset) procreatum est è nihilo, cœlum *Empyrium*, à splendoris & lucis copia sic denominatum, augustissima Divinitatis sedes, & futurum Beatorum domicilium; cum fulgentissimo illo palatio, conditæ *Mentium* corpori sociate vacantium innumeræ myriades, quas *Angelos* vocamus, & Spiritus, Geniósque cœlestes. E nihilo quoque prodierunt *Terra & Aqua*, globum in unum commista; undâ tellurem suo complexu cohibente, seséque usque ad cœlum expandente. Atque hæc, ut sine materia præexistente producebantur; ita ex his, terrâ inquam & aquâ, cætera omnia, quæ sub aspectum cadunt, sunt educta. Nullus tum rerum ornatus visebatur, nulla forma, tenebris omnia involventibus, cùm imperiô divinô lux quædam in aquis coruscare cæpit, longùm latúmque fulgore se diffundente.

Sequenti die, quam lux illa, rudis quidem & imbecilla, qualis est, cùm abeunte nocte diluculum instat, efficiebat, orbes cæleste, quos Sacra Pagina Firmamentum appellat, existere sunt jussi, mediô inter aquas superiores (quas Crystallinas vocant) & inferiores (Philosophis Elementares dicuntur) interstitiô suspensi, nullis dum sideribus illustrati, nec eodem, quo nati erant, momento, vel suâ, vel externâ incitatione agitati. Inde duo illa primigenia corpora, *Aër* quidem ex aqua, *Ignis* ex aëre prognata sunt. Igneum elementum altio-

ra capessivit ; huic proximam regionem spirabilis natura insedit ; terrâ aquîs circumfusâ medium mundi locum obtinente.

Die tertia, undarum ac telluris sublata confusione, hæc in speciem magni orbis glomerata, ex aquis emergere cœpit. Aquæ ipsæ in cavernas recedere, mariáque & flumina, & paludes, & stagna efficere, spatiis ab habitabili solô discretîs. Terra quidem, simul ut mandatum divinum germinandi accepit, repentè herbas & fructus profundere ; arbores fœtibus gravidari, campi segetum copiâ & densitate fluctuare ; fluviorum ripæ mira stirpium varietate vestiri : simul omnia promi, proferríque. Secus, atque nunc accidit, cùm aratio sationem, satio occationem, occatio sarritionem, plantatio putationem, incrementa maturitatem præcedunt ; cùm priùs aguntur deorsum radices, deinde stirpes in altum tolluntur, tum in frondes se rami induunt, postremóque fructus reddunt, primò parvos & acerbos, paulatim majores & perfectos ; sed omnia hæc conjunctim, unóque temporis puncto proruperunt. Omne præterea genus extitit metallorum, fossilium, lapidum, & rerum quæ (*Mixta*, hoc est, ex elementis composita, appellantur) vitâ carentium. Caput imprimis floridum extulit Paradisus, seu Hortus Voluptatis, irrigatus quatuor fluviorum ex uno fonte scaturientium limpidissimo liquore, indéque sese per omnem terram diffundentium; *Phisoni* nomen est uni, seu Gangi : alteri *Geoni*, seu Nilo : tertius *Tigridis*, quartus *Euphratis* appellationem habet.

Quartum mundi natalem illustrârunt cælestia lu-

lumina, *Sol & Luna*, cæteræque *stellæ* ac *sidera* cœlum velut gemmæ distinguentia, aut instar florum pingentia; hinc alterna dierum & noctium discrimina: hinc quadripartita anni tempora: hinc tempestatum signa prognostica: hinc rerum sub terra, supraque terram nascentium progenerationes.

Quintus porrò dies *Piscibus* & *Volucribus* natalis contigit, quorum genus utrumque, originem suam aquæ fæcunditati debet, è cujus materia propagatum est, quidquid vel pennis aërem, vel pinnis undas secat.

Sextus opificij divini dies *Animantes* accepit, productis jumentis, reptilibus, bestiis. Qua die effictus quoque ex humo *homo* est, cui immortalem, juxta suammet imaginem, cælestis Conditor animum inspiravit, intelligendi, appetendi, cum ratione reminiscendi facultate præditum, cæterisque decoratum gratiis, primævæ innocentiæ ornamentis, ac pleno in cuncta animantia dominatu. Nomen primo homini, *Adami* inditum, quem ubi Divinus Artifex in felicissimi illius viridarij septa (nam extra illud conditus erat) transtulit, omníque animalium generi ad ipsum adducto, propriam appellationem imponere jussit, immisso sopore, dormientis à latere costam exemit; è costa vitæ sociam *Evam* formavit; quâ in manum viri traditâ, utrique fausta apprecatus, jussit inire matrimonium, procreare liberos, extendere genus, progignere populos, obtinere mundum, imperitare ac præesse rebus, ridente cœlo, plaudentibus sideribus, gratulantibus elementis, tellure gaudio gestiente. Sed ô

breve gaudium! Decima tertia ab ortu mundi die Eva, serpentis fraude seducta, pomum carpsit vetitum, maritum in criminis, pænæque communionem traxit; uterque posteritatem omnem ærumnis & miseriis inexplicabilibus involvit; uti paullo post memorabimus, si priùs ruinam Angelorum exposuerimus.

NAR. II.
DEFECTIO ANGELORUM.
Apocal. 12.

PRincipium divinorum operum, quæ Majestas æterna, bonitatem suam diffusura, produxit, cœlum, uti supra narravimus, fuit Empyrium; tum aqua & terra ex puro puto *nihilo* procreata. Ut verò sedes illa DEI gloriosa, amplitudinis immensæ, aspectibus humanis inaccessa, immota semper & quieta, nulli obnoxia destructioni, deliciarum omnium patria, colonos ne desideraret, Spiritus sunt conditi, seu Mentes purissimæ, ab omni corporis concretione separatæ, multitudine innumerabiles, in tres Principatus (Græcis Hierarchias) divisæ, & hæ, ternos in ordines, quos Choros appellamus, partitæ. In suprema quidem Hierarchia collocati *Seraphini*, qui divinitatis amore calidissimo flagrant: *Cherubini*, scientia DEI profundissimâ lucentes: *Throni*, rebus pacatè continendis, & ut solium

lium sedémque quodammodo, quiescenti DEO præbentes. In media, *Dominationes*, adjuvantes cæteros spiritus cæleſtes ad gloriam DEI promovendam; *Virtutes*, ad corpora tuenda ordinatæ; promptæque, & expeditæ ad opem largiendam Angelis inferioribus, circa divinum obsequium occupatis: *Potestates*, ad diabolicas irruptiones retundendas. In infima *Principatus* destinantur ad universam naturam humanam adjuvandam, tanquam primi duces in ejus rei executione: *Archangeli*, celsioribus nuntiandis, ac provinciis administrandis præfecti; *Angeli* denique (id, quod vocabulo præferunt) nuntij mittuntur ad mortales *Particulares*, privatim ferè dirigendos.

Eorum Ordinum alij aliis præstant, unde superiores illuminant mentes inferiorum, suas cum ipsis cogitationes & affectiones communicando, quod Eruditi *Locutionem Angelicam* vocant. Instructi sunt omnes intelligendi vi acerrima, & inflammata in amorem Divinæ Bonitatis voluntate; quibus accesserunt egregia naturæ tum præsidia, tum ornamenta; potentia videlicet, & robur admirandum: agilitas ac celeritas incredibilis; & quod longè majus, *Gratiæ* ac virtutum dona amplissima, quibus reddebantur *Filij* DEI, regnique cæleſtis legitimi hæredes. Unicum ad consummandam felicitatem deerat, perseverantia, (*Angelicæ viæ terminum vocant*) præfixô exigui temporis intervallô, cujus intra spatium operibus DEO placitis, ad præmia pervenirent; secus si facerent, cœlo, quod insidebant, extrusi, pœnas alibi darent sempiternas. Cæterùm à constantia ut desciscerent, evenit culpâ Turbatoris

unius, quem sacræ paginæ *Luciferum* nominant. Fuit in hunc congestum, quidquid ornamentorum *Spiritualium*, quidquid naturæ, *Gratiæq;* dotium, omnes alij novem Ordinum Angeli possedissent, quippe principatu in omnes potientem. Sed nocuit & Angelo felicitas nimia, ne quis deinceps admiraretur, difficiliùs homines secundam ferre, quàm adversam fortunam. Defectionis causas alij alias adferunt; quidam ajunt, Luciferum invidiâ stimulatum iniquissimè tulisse, hominis dignitatem, in æqualem *Gloriæ* cum Angelis possessionem, venturam. Alij sentiunt, DEUM Angelis adhuc in *Cursu Viæ* suæ constitutis, aperuisse *Verbi* Divini futuram cum humana natura conjunctionem; & Hominem illum constitutum iri, non mortalium modò, sed & Angelorum omnium Caput ac Regem, cui famularis adorationis obsequium jam tum detrectârit Lucifer. Alij denique asserunt, ipsum insolente mentis elatione, æqualitatem ambiisse Numinis, neque suâ contentum arrogantiâ, quoscunque præterea potuisset Angelorum, in societatem & contagem pertraxisse.

Hunc igitur regem, hunc caput certatim adoptabant rebellionis participes, *Similem* Altissimo, Parem Incomparabili, Deique Collegam acclamantes. Scindebatur in factiones, ac studia cœlum. Pars etenim melior, sinceriórque peracriter est in Luciferianos invecta. Primus atrocis prælij dux Michaël, è Seraphinis unus, qui Angelici sermonis vocibus, desertores attonans, *Quis*, inquit, *sicut DEUS?* (hoc enim nominis ejus significatio indicat) simúlque cum Angelorum socialium fidis Ordinibus in per-

perduelles pugnavit, non jaculis, vel haſtis, aut gladiis, ſed odiis mutuis. Tenuit prælium, arbitrô DEO, quoad ei viſum eſt, obſtinatos in pravo, dignis cladibus; emeritam autem virtutem, præmiis immobilibus abſolvere; tum verò continuò fulminante Numinis decreto, fulguris more præcipitatur cœlô Lucifer in tartarum, fitque calamitoſorum extremus ille, qui momento priùs deſiderârat eſſe DEUS. Cum incentore corruerunt Aſſeclæ, pars tertia Angelicarum Mentium; Geniorum verò in obſequio manentium uno temporis puncto ſimul & militia finitur, & *Via*, (tempus ſcilicet merendæ beatitudini æternæ præfixum) firmatis *Gratiæ* ſtatu, *Gloriæ* confertur immortalitas, bene geſtæ rei merces, atque ſtipendium.

Michaële in locum Luciferi ſubrogatô, ſempiternum ejectis exilium indicitur; exuuntur cœleſtium donorum ornatu: non relinquitur cognitio, quæ moveat ad opera DEO placitura: non mentis in divinis perſpicacitas, & erroris omnis expers lumen; voluntatis inceſſit tanta depravatio, ut aſſiduo verſetur in propoſito, malum aliud ex alio concitandi, cum immortali Numinis odio, inflexibilitate ad retractandum facinus, ínque pravè ſemel cæptis obſtinatione. Integra tamen eis perſtiterunt omnia, quæ ſecundùm naturæ conditionem tenuerant, poterántque. Qualia ſunt, *Inveniendi* quidvis, & excogitandi acumen atque celeritas; potentia ſuimet, & aliorum è loco motrix, & in locum deportatrix; ponderum graviſſimorum translatio; quatuor mundi elementorum, non in toto quidem, ſed in partibus concuſſio; diverſi generis, tam corporum,

rum, quàm vocum ac sermonum, ex aëre condensato, formationes ac difformationes; & ad temporis partem aliquam *assumptiones*; oculorum ludificationes; *agentium* item ad ea, quæ *patiuntur*, applicationes, & è radicum, herbarum, gignentiúmque cæterorum, occultis, sed sibi percognitis viribus, inopina remedia; remediísque atrociora detrimenta, pestes, ac funera; quæque cæterorum præterea spectant, ad mille malarum artium, & eventuum Auctores, quibus idcirco Magi, sagæque supplices, ac clientes fiunt.

Non omnes tamen, qui Luciferi se partibus adjunxerunt, eòdem statim unà descenderunt: sed, aut quoniam alij aliis minùs, magísve rebellionem adjuverunt, pro malitiæ diversitate, diversa sunt loca sortiti; vel quoniam, ob rationes nobis incompertas, quosdam eorum in his potiùs, aut illis elementorum regionibus, quàm aliis, Numini visum est attinendos; relicti quidam extra gehennam sunt: exercendæ mortalium vel patientiæ, vel pœnæ. Quorum cùm extra orcum adhuc agentium maximum sit tormentum, quantum eorundem aliquando fore credamus cruciatum, cùm eò detrusi fuerint omnes, extinctô mundô? quamquàm, ubicunque locorum nunc degant, aut quocunque divagentur, secum pœnam suam, nullô laxamentô circumvectant. Quorum multi varias & tetras animalium formas mortalibus vel territandis, vel fallendis mentiuntur. Libertas porrò superbissimorum Geniorum in angustissimo carcere comprimitur; ignis inferi vis, & carnificina, Spiritus illos æquè, sicut & animas postea perditorum hominum, do-

doloribus immensis, modísque, licèt miris, tamen plus nimiô veris, singulos pro suis majoribus, minoribúsve rebellionis meritis torquet. Et mentis, & loci tenebræ, Cimmeriâ quavis caligine spissiores; loci chaos execrandum; pœnarum acerbitas, nec ad punctum quidem, mitigationis capax; conscientiæ sævientis semper, mordénsque vermis, malum mentibus humanis pariter, & Angelicis, intolerabile; continuati doloris assidua præsentia; bonorum omnium cumulatissima desperatio; nec spes vel veniæ, vel finiendi cruciatûs ulla. Denique præclusa non tantùm sperandi, sed respirandi quoque facultas omnis, irrevocabili Numinis & obfirmatô decretô. Quibus ex rebus nascitur eis, & nunquam emoritur assidua tormentorum, & ignis, cum sensu cogitatio: proindéque DEI infligentis odium, detestatio, criminatio, cum tristitia quadam, & rabie, verbis nullis explicandâ. Coronat autem hæc tot mala, termini nullius patiens, suppliciorum æternitas, quæ tantò gravior infelicibus illis Spiritibus accidit, quantò brevior illis fuit, suapte culpâ, concessus primævæ felicitatis fructus, & in empyrio quondam cœlo mora, quam Scriptores aliqui ad triduum; ad unam alij diem; quin etiam ad unius nostratis horæ spatium extendunt. O superi! tantum meruit supplicium capitale crimen unum unicum. An conscientia, mille flagitiorum immersa sordibus, spes sibi fingat inanes?

NAR-

NAR. III.
LAPSUS PROTOPLASTORUM, SEU PRIMORUM PARENTUM.
Gen. 2. & 3.

QUemadmodum DEUS in empyrio cœlo Angelos collocavit, ita ſtatuit horto, hortorum omnium & gratiarum compendio, Paradiſo, recèns condito Cultorem, Cuſtodémque dare. Produxit igitur è limo, ut ſuprà memorare cœpimus, primum Hominem, quem Adamum vocavit, & ex Adami altiſſimè ſopiti coſta, Evam, vitæ, thoríque conſortem; quibus regimen immiſit cæterorum viventium omnium. In alimenta menſam eis propoſuit, terrarum omnium latum & frugiferum orbem; & ſuper hæc, felicitatem contulit, nullo calamo exprimendam. Condidit quippe Protoplaſtos ad imaginem ſuam DEUS, impertiit animum immortalem, eúmque inſtruxit non rerum tantùm naturalium omnis generis, ſed earum quoque, quæ ſupra naturam ſunt, ſcientiâ cognitioneque; addidit *Gratiam*, quâ ab ipſo ortu DEO grati, familiares, amici, filij, juſti, ſanctíque conſtituerentur: dedit corpus vividum, robuſtum, ſanum, ſucco vitali vegetum, membrorum omnium compage, & ſenſuum perfectione abſolutiſſimum: eximiâ venuſtate prædítum, interitûs immune, nulli vulneri, dolori, ægritudini, morti obnoxium; adjunxit beneficium innocentiæ primigeniæ, quam ori-

originis *Iustitiam* vocant Doctores, spiritum scilicet liberum, & sui arbitrij; & huic appetitiones omnes, & cupiditates obtemperantes; qua in felicitate, postquam plura sæcula decurrissent, & senescere sensim cæptam ætatem *Pomo Vitali* aliquoties integrâssent, in cœlum sine funere ttanslati, deinceps inter Angelos ævum exegissent. Cæterùm Pater primus ea Naturæ, Gratiæ, *Iustitiæ* primævæ ornamenta, ejusmodi pacto obtinebat, ut, si in obsequio DEI persisteret, ea posteris omnibus, veluti hæreditate obvenirent. Sin' rumperet imperata, tam sibi, quàm posteritati, quidquid bonorum ac dotium habuerat, amitteret; séque cum omnibus à se progenitis in moriendi necessitudinem, exiliúmque cœli, præcipitem deturbaret.

Loci verò; in quo degebant, amœnitatem quis describat? Hortus erat, omnis honestæ voluptatis, ac deliciarum vivarium. Illic arborum, plantarum, fructuum, florum; illic spectaculorum naturæ, palati gustûs, odoris narium, omne genus atque pabulum. Ibi digestarum in quincunces pomorum, in areolas herbarum, in ordines suos germinum distributio, speciésque pulcherrima; fundi margines, virgultorum sepes, ambulacra spatiosa, virides porticus, apricantium herbida solaria, meridiantium platanónes & umbracula; laborantium sub opaco respiratus; respirantium, sub dio nova negotia. Stabant artificiosis dispositæ spatiis, sylvæ, saltus, nemora, plantaria, vireta, pomaria: tot in hortos divisus hortus unus; ac tot sylvæ, tanquam nemus unicum: unáque venustissima voluptas, in mille sparsa concolores voluptates; clausæ

ſæ terrarum orbis opes erant, in unius hortenſis amphitheatri orbe. Cœli mirabilis clementia: cœleſtis auræ placidiſſima temperies: ſiderum æternus, quantùm per hominem licuiſſet, favor: humus ſemper virore læta; nec tamen aut ſuis autumnis, aut meſſium felicitate caſſa: ver perpetuum futurum: & ut florum omne tempus, ſic temporis omnis flores: arbores aut in ſpem ſe fructûs induentes; aut in ſpei fructum exonerantes. Non illinc Aſſyria mala, non Medica, Punica, citria, non ficus, uvæ, palmarúmve, vel aromatum fœtus aberant. Super hæc in ſylvis campíſque ferarum quadrupedum omne genus, & cicur, & manſuefactum. In arborum ramis, ac per aërem volucrum canoræ, pictæque mille formæ. Quibus cantus deerat, garritu feſtivæ, ſicut pſittaci; vel pennarum picturâ floridæ, velut pavones, aſſiduè geſtiebant. Ac præter hæc, ne vel iſtæ ſitirent; vel pecora, belluæque marcerent; vel areſcerent homines; vel ſiccitate ſqualleret terræ fœcunditas, è paradiſo medio, *Fons* ingens, par maximis quibusque fluviis prorumpebat, qui in alios ſe quatuor exonerabat amnes

His non contenta Divina Liberalitas, geminam adiecerat arborem; alteram vitæ fomentum; alteram virtutis ac meritorum exercitamentum. Et earum quidem priorem DEUS in ipſo defixerat Paradiſi meditullio; quò, cunctis è partibus, æqualis ſingulis acceſsûs pateret ſpatium, ac facultas. Hæc *Vitæ* dicebatur, & erat, Arbor, cujus naturæ vis medica, veſcentibus ejus fructu, non quidem immortalitatem; longiſſimam tamen ſuppeditabat vi-

vivendi facultatem. Altera verò diverso sita loco, sed egregiâ stirpis, & foliorum, ac frondium, pomorúmque formâ, *Scientiæ Boni Maliq;* nomenclaturam, ex eventu magis futuro, quàm ex indita sapientiæ vi, sortita fuerat. De genere & fructu arboris illius controversia est, aliis ficum, aliis malum fuisse asserentibus; Recentior Scriptor *Ioan. Bissel. Dec. 1. Ruin. Illust.* putat, pomum fuisse (quales hodiéque Memphi & Alexandriæ gignuntur) fructus botrorum instar proferentem; in ejus cortice vestigium morsûs apparere; in segmentis cultro desectis deprehendi effigiem Servatoris in Crucem suffixi, & à Christianis Saracenísque passim vocari *mala Adamiana*, ut in quibus & Protoplasti dens vulnificus, & vulneris medicina sit expressa.

Tali præditus igitur animo, corpore, statúque: tali ditatus loco, ac depositus cum conjuge sua, primus homo terrestres inter ac cœlestes incedebat delicias, purus, innocens, serenus; cum Beatis Mentibus incorporeis, Angelus ipse corporeus versabatur ut frater; cum DEO, Deíque Filio, corporibus in assumptis, ei se conspicuos dantibus, agebat frequenter, ac familiariter, effigies ipse DEI. Non æstuabat, non algebat, non sudabat, non fatigabatur: Paradisi quidem colonus esse jussus, sed quasi per animi magis remissionem, quàm per laboriosæ manûs occupationem; útque tum ingentis & horti possessor & regni, fiduciariam servitutem suam, vel exigui tributi pensione testaretur, mandatum accepit, ne gustu *Scientiæ boni, maliq;* tangeret *Arborem*, nisi perdere jus immortalitatis, ac cœli, sibíque, posteritatíque sui generis vellet. Qui sponte

te non fuerat iturus in exitium ; per Sathanam & fœminam , ſine quibus duobus nulla facilè magna clades inchoatur , trahendus erat. Cùm enim jam dudum cacodæmonem invidia torqueret tantæ Protoplaſtorum felicitatis in terra, longéque majoris olim in cœlo futuræ, cujus ipſe poſſeſſione deturbatus eſſet : ſerpentem, animal imprimis aſtutum & ſagax, ingreſſus , eum artibus ſibi notis fecit vocalem : magis tamen ipſe ex ejus gutture locuturus, quàm eloquentem facturus anguem. Hunc indutus habitum, plenis inſidiarum oculis, occaſionem perdendi hominis venatur. Fortè ſic evenit, ut ſolitario per paradiſum inceſſu vagaretur Eva : conſiſterétque , ſicut eam animi libido pepulerat, ad arborem, *ſcientiæ boni maliq;* genitricem. Ibi ſerpens, ſive circumvolutus arboris ramis, aut trunco ; ſive ſubter arborem; in caudam aut pedes erectus , tanquam hominem homo , ſororémve ſoror affatur, miráque ſermonis illecebrâ benevolentiam captat, & virus peſtiferæ cupiditatis , excellendi ſupra humanum faſtigium, inſpirat, dulcedine libertatis pleniſſimæ mixtum ; guſtúmque arboris vetitæ perſuadet. Quid multis ? invadit mulier dentibus pomum prohibitæ ſtirpis , & in pomo beatitatem Deo invidendam devorâſſe arbitratur. Confeſtim ad maritum advolat, vim pomis illis inſitam , & dulcedinis, & promiſſæ ſcientiæ laudat : dubitantem, mortisque metu tergiverſantem virum pellicit, ut mallet diſplicere DEO , quàm uxori , raperet pomum oblatum, infigeret dentes , abſumeret in cibo vitam , & audaciâ ſuâ mortem inveheret. Eodem temporis articulo , aperiri cœpti ſunt ambo-

rum

rum oculi : quique priùs non viderant nuditatem suam, tunc spolia mirati sunt innocentiæ suæ, corporibus juxtà mentibúsque detracta. Statim enim irrequieta legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spiritum caput attollere ; spiritusque cum difficultate summa coërcere seditiosum corpus. Præ cæteris autem eos aggressus est furor erubescendæ libidinis, cujus ipsi turbulento sensu agitari cœpti, paribus erubescere luminum suorum dejectibus, & vultuum confusione sunt coacti. In arbustum igitur densius ambo concedunt, verecundiæ suæ lucum ; lucique vercundiam suam subducturi, sibique subligaria frondea de connexis ficuum foliis consuturi.

Ita latebant, propatulo quidem se ipsos suffurati, sed sibimetipsis adhuc nimis aperti : Deique potissimùm oculis manifestissimi ; à quo per paradisum inambulante, interrogationibus eò protracti sunt, ut nuditatis & imperij rupti, pomique vetiti deglutiti, crimen ac temeritatem fateri compellerentur, viro culpam in uxorem, hac in serpentem reijciente. Nec distulit sententiam cœleste Numen ; virum, mulierem, anguem suis quemque suppliciis addicit : & Adamum terræ sterilitate ; conjugem, uteri tristi fœcunditate ; serpentem, pulveris pabulo, mulierisque mutuis odiis severè multat. Deinde pellibus indutos, excoriatarum ab Angelis ovium, amarùm, ut meriti fuerant, irridet : in labores, solicitudines, metas, dolores, morbos, atque calamitates extrudit, paradisô proscribit ; cujus portas & aditum, Angelô Cherubinô, per gladium bifidum, (Scriptura *S. Versatilem* vocat)

flammámque, deterrente, perpetuas in ætates obsepit, patratíque facinoris supplicium in nascituram progeniem extendit. Hinc iræ Numinis; macula, & nævus mentis; contumelia stirpis; nuditas *gratiæ* cœlestis, ac donorum illius: cæcitas rationis; pravitas voluntatis, penuria, morbi, dolores, calamitates, & animi, corporísque cruciatus; quódque miseriæ caput, tremenda mors. Hinc originaria labes ac lues, & hanc sequentes pœnæ; fomes, quem appellant, & incitamentum peccati, ignavis ruinæ plerumque causa vel impulsus; generosioribus autem animis, palæstra certaminis, difficultate non carentis. Hinc supplicia mortis sempiternæ: quæ, nisi Filij DEI morte præredempta, nec infantia moriens, nec adulta decedens ætas evitat; Infantes deportantur in loca infera, carentia quidem flammis; plena tamen inamœnæ solitudinis, horrenda tenebris, & illætabili *regioni mortis* propinqua, perpetua felicitate exauctorati. At graviora longè manent profectam ætatem mala, gehennæ supplicia, multitudine innumera, duratione infinita subeuntem. Juxta Salianum, Pererium, Torniellum, aliósque viros doctissimos, tristissimus casus, & è paradiso expulsio contigit, octavo à Protoplastorum productione die, feriâ sextâ secundæ mundi hebdomadis; ab ortu rerum die decimâ tertiâ. O malè carptum malum! ex quo malorum omnium ilias. O severam vindictam! Mortales! discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

NAR.

NAR. IV.

CÆDES ABELIS.

Gen. 4. Anno Mundi & Adami, 130. ante Christum 3923.

PRonus à scelere in scelus gradus est. Neque enim, quem semel improbitas dedit præcipitem, in lapsu poterit se cohibere. Quousque malitiæ progredi sustineret homo post amissum innocentiæ bonum, citò palàm fecit ille, qui primus omnium fraternam conscivit necem. *Cainus* is est; *Adamô*, gentis humanæ principe natus, & *Evâ*, propagationis ministrâ. Inflabat eum primogeniti specioſus, sed absente virtute, futilis titulus: & eousque reddebat insolentem, ut quantum animi cupidinibus, libidinibúsque libuisset, tantum eis indulgeret: contumax ad parentum monita, cœlestium rerum inimicum ingenium: asperum, querulum, intractabile, fallere doctum, & jam tum ostentans semina, quæ mox magno parentum luctu, ipsiúsque damno adoleverunt. Sed pravorum illi morum caput erat, odium in *Abelem*, eodem progenitum uterô, quo fuerat ipse, natu minorem. Erat *Abeli* jam à teneris indoles comis, placida, mansueta, placabilis: magna in fratrem observantia, in patrem matrémque reverentia, in DEUM religio; qui, quoties DEO per victimas supplicaret, quidquid optimum maximúmq; in gregibus & frugi-

bus possidebat, in sacrificium offerebat; contrà quàm solebat *Cainus*, perfunctorius in cultu Numinis, cui deteriora dedicabat, melioribus in suas delicias reservatis. Ea propter discretos utriusque Divinitatis cultus, discreta sunt præmia consecuta. Super *Abelis* namque victimas, & omni victima præstantiorem, animi religionem, divinus ex alto favor oculos advertit, super immolata, priusquam humana manu subderetur ignis, de cœlo flammam jaculando. Hæc porrò Divini favoris in *Abelem* inclinantis nota flaminea, cùm haud obtingeret *Caino*; fraternæ felicitatis in invidiam, ac clandestinam detestationem est prolapsus, ut nihil jam, nisi vindictam animo volveret, omnésque posthac victimas contumaciter ejuraret, insuper habitîs Dei, spectabili tantipser se corpore offerentis, hortamentîs; quibus docebatur, nequaquam causssam esse, cur mœrore, odio, invidiâ in fratrem contabesceret, eáque, vultûs tristitiâ ac dejectione proderet; resipiscceret potiùs ipse, & fratrem imitatus, favorem Numinis paribus officiis demereretur; propositam esse benefactis mercedem, pœnam peccatis; neque diffideret de victoria sui; non enim defore vires, quibus pravas appetitiones subijceret rationi. Sed nihil profecit divina monitio in obdurato pectore. Cædem ut certiùs perageret, sceleri prætexens amicitiam, *Abelem*, nihil suspicantem, in agros prolectat. Ibi tum, inter eundum varios, ut fieri solet, sermones alternantibus duobus, cùm *Cainus* multa in Auctorem naturæ criminaretur, div inæque gubernationis leges, & ordinem insectaretur; próque suo fervore longiùs in propugnando Numine *Abel*

pro-

progrederetur, *Cainus* aggrediendi sceleris ansam inveniſſe ratus, elatum altiùs, quod manu gestabat, telum (obvium quodvis, & apportatum domo, ruris instrumentum, ferro præfixum crediderim) in martyris, ac fratris (centesimum, vigesimum nonum tunc annum agentis) cerebrum, mox & in pectus, profundè validéque demittit, itáque geminatis iterum, iterúmque plagis, & disputantem simul, & vitam disputantis claudit. Ac corporis quidem cæsi sanguinem, largo fluentem rivo, & tacito clamore ultricia sidera ferientem, tellus excepit: innoxium autem *Abelis* spiritum, destinata longæ quieti piorum amplexa sedes est subterraneis in locis: ubi corpori plurima post secula reddendus, Christum præstolaretur Liberatorem, ac cœlum Innocentiæ suæ præmium. Nobis verò hæc documenta virtus reliquit, permitti malos, ut coronentur boni; dotem pietatis esse res adversas, & proborum patrimonium, pati.

NAR. V.
CAINI
INTERITUS.
Gen. 4. A. M. & Adami 688, ante Ch. 3365.

GRaviſſima sunt peccatorum pondera, graviſſima criminum verbera: nemo immitiùs, quàm suorum scelerum conscientia flagellatur. Commisso *Cainus* fratricidio, agente conscientiâ in desperata consilia animum, spe divinæ cle-

mentiæ abjectâ, ab obvio quoque ultionem parricidij extimeſcens, hominum fugitabat conſortium, & latebras quærebat, totius corporis, omniúmque membrorum tremore, in ſignum patrati ſceleris, & vindictam agitatus; ubique pererrans, nuſpiam conſiſtens; quocunque facinoris fama pervenerat, cò portavit & pœnam; donec contra tot pavores propugnaculum erecturus, ut ſe parricida à talione defenderet, & prædator latrocinia tutò reponeret, primus omnium molitus eſt Urbem, quam *Henochiam* vocavit, ab *Henocho* filiorum maximo; in quam, quidquid ubique ſceleſtum, contaminatúmque erat vel ſuiſmet, vel parentum inſuper moribus, confluxit. Fortè *Cainus*, jam admodum ſenex, ſeculum enim agebat vitæ ſuæ ſeptimum, animi gratiâ in ſylvam *Henochiæ* imminentem egreſſus, inter arbuſta denſa conſederat, exæſtuantis cœli calores fracturus. In illud ipſum nemus *Lamechus*, ejus abnepos, ſuccinctus canibus, ac familiæ ſuæ ſatellitio, venatum ſe contulerat. Cùm ecce præter ſpem, è numero ſcrutantium latebras, adoleſcentulus quidam, ad herum gradu ſuſpenſo recurrit, & deprehenſam ſibi feram eſſe ſignificat, pertractus in eam opinionem, ramorum frondiúmque fallaci concuſſione. *Lamechus* temerè puero fidem habet, quam confirmârat virgultorum agitatio, ſagittam, toto nervo, viribúsque contortam ejaculatur. In quæ ſubſecutô, tanquam oris decrepiti, ſemineci clamore, queſtúque, fit omnium concurſatio; primúsque vulneris auctor *Lamechus* advolat. Dimotîs virgultorum ſeptîs, pro fera, tritavum, à ſe Cainum jaculô transfixum aſpicit, qui tremulo corpore ſuſpi-

ſpicionem latentis prædæ injecerat. In rabiem igitur actus infelix jaculator, iracundiam, quam debuerat in præcipitem ſuam temeritatem aliqua parte detorquere, totam in imprudentiam effuderat adoleſcentuli. Néve mitior in nepotis (Tubalcaini enim filius erat) quàm in tritavi ſui cædem eſſet, arreptô, quem ſors & nemus obtulerat, fuſte (ſive quis malit, arcu) puerum nequicquam quiritantem, & cœlum atteſtantem, verberibus atrociter mulctat, vibicibus lividis, à denſa contuſione, tuberibúsque lethiferis oppletum, pro mortuo relinquit, & abit. Neque multô pòſt exanimatus eſt & hic, funúsque Cainæo funeri ſociatum, Henochianorum luctum duplicavit: non absque grandi Lamechi, velut bis homicidæ, penes vulgus invidiâ. Hunc igitur vitæ ſuæ ſortitus eſt exitum, bipedum teterrimus Cainus; cujus viri ſpiritus impurus, corpore ſuo violenter expulſus, poſt Luciferi, ſociorúmque damnatam audaciam, primus omnium (quod nobis compertum ſit) inferos initiavit ignes, arſurus flammarum inextinctô rogô, per omnem æternitatis decurſum. Sub hæc tempora Lamechi liberi inclaruerunt, nam *Iabel* conſtruxit tentoria, & vitam paſtoritiam adamavit. *Iubal* Muſicæ operam dedit, & inſtrumenta ſive *flatu*, ſive *tactu* reſonantia invenit. *Tubalcain* in acuendo, poliendo, malliando ferro artem oſtendit. *Noëma* ſoror lanificium commenta eſt, & ſuo præivit ſexui, qua in re proferre ingenium deceret fœminam. Horum avus erat Mathuſaël, omnium mortalium longæviſſimus; vixit enim annos nongentos ſexaginta-novem.

Centum quadraginta annos circa hoc tempus impleverat Abraham, provixítque ad annum usque centesimum septuagesimum quintum, postquam hæredem constituerat Isaacum; filiis autem *Agaris* & *Ceturæ*, quas secundarias uxores habebat, suas quoque possessiones attribuit, sed longiùs ab Isaaci ditione remotas, tum ne invidiâ ampliorum facultatum, quas Isaaco reliquerat, rixas & jurgia concitaret inter fratres; tam quia Palæstina, hoc est, terra Abrahæ promissa divinitus, ad solos Isaaci posteros pertinebat; tum, quoniam illi à Dei veri cultu discessurj erant, malorum consortio ne afflarentur boni. Sepultus est in spelunca Mambræa, duplicem in cryptam distinctâ, non procul urbe Hebrone, in qua jam antè Saram uxorem condiderat. Vir per omnia magnus: electus à Deo, qui Pater esset Credentium, & populi sancti Patriarcha: cunctarum decus & ornamentum virtutum: quo cum Deus pactum iniit Messiámque promisit ex ejus semine nasciturum.

NAR. VI.

CATACLYSMUS.

SEU DILUVIUM

Orbis terrarum. Gen. 6 7. 8. 9. A. M. 1656.
Ante Christum. 2397.

MAlus, ut dicitur, corvus, malum ovum. Ex sceleratissimo Caino impiissima soboles, Gigantes nati sunt, qui staturam superbiâ, deformitatem impuritate, ferociâ vires adæquantes,

tes, scelerum immanitate monstrosi, tam animorum portenta, quàm corporum, in nefas omne ruentes, nihil intentatum mali reliquêre. Ne funditus tot inter crimina, mortalium genus interiret, futurus Averruncus divini furoris, *Noë* justissimus nascitur. Qui deinceps virtutibus, ut annis, auctus, SCELERUM ULTOREM DEUM, verbo & opere reis intentavit. Nam novâ interminandi ratione, *Arcam* seu *Navim*, postquam diu verba fuerunt irrita, centum molitus est annis, certante hominum nequitia, cum longa Dei Vindicis patientia. Id, quoniam in Sacris paginis graphicè expressum est, paullo altiùs repetamus. Centum, & ampliùs annos in prægrandi illa fabricanda navi laborabat *Noachus*, Gen. 6. structuram dictante Deo; videnti, & illudente passim hominum petulantiâ senem, tanquam delirum, & mente emotum. Quidquid ille moneret, hortaretur, minitaretur, ipsi deridiculo habentes, pluris dapsiles æstimabant mensas, hilares, formosas fœminas. Frustra minæ, frustra conciones. Estur, potatur, luditur; nuptiæ, convivia, choreæ, luxus & luxuria, & quidquid flagitiorum excogitari potest, insana omnium libidine patratur: donec læsa diu Numinis patientia in furorem vertitur. Annus advenerat orbi condito millesimus, sexcentesimus, quinquagesimus sextus, Noëmo vel Noacho sexcentesimus; anni verò tempus amœnissimum, vernum, nam Majus erat. Virebant campi, florebant horti, nemora frondebant; avium cantibus personabat aër; radiô solis lætissimô cœlum ridebat; in lascivia, & amoribus erant mortales: nihilque minùs quàm interitum ex-

ſpectabant. Cùm ecce Deus, octavô priùs, quàm perniciem hanc inferret, die, de cataclyſmo jam inſtante præmonitum Noëmum, jubet vaſa colligere; relictáque cum ſuis terrâ, componere, comportaréque, quidquid eſſet utenſilium & commeatûs, in Arcam; brutorum item cicurum, ſilveſtriúmque, tum & volucrum omne genus eundem in locum introducere; immundorum quidem animalium unum tantùm par; at mundorum, & avium, ſeptena ac ſeptena, id eſt, tria paria, ſeu conjugia, & inſuper unum maſculum; nempe par unum propagationi; alterum ſacrificio; tertium uſui & eſui ſervabatur. Septimus autem, id eſt, mas quartus, erat mox à diluvio in ſacrificium offerendus. Juſſus præterea componere fruges, annonam, pabulum; & omnia famis, ſitísque tam humanæ, quàm brutæ fomenta. Nec ille diſtulit, quod imperabatur, exequi. Labor apparebat futurus, ſi viribus ea humanis committerentur, in animalium brutorum introductione. Verùm illa, vel Numinis intùs impellente ſtimulô, vel Angelis ea conducentibus, ex omnibus congregata paſcuis, ſylvis, ac nidis confluxerunt: ac ſpectaculô quidem, quod vel ſolum ſufficere debebat impiis permovendis, admirandô, Noviſſimum omnium intravit agmen, octo non niſi capitibus cenſum, Noachus, uxor, filij tres, *Semus*, *Iaphetus*, *Chamus*, cum ſuis ſinguli conjugibus; quos Deus propter Noëmum juſtitiâ præ cæteris omnibus, virtutéque conſpicuum, ex tot millibus ſolos conſervare ſtatuerat. A tergo verò Deus hæſit illi, qui poſt ejus ingreſſum, clauſum foris oſtium, adversùs imbres, cum cura permunivit, Angelus ſcili-

cilicet divino jussu januam Arcæ foris bitumine oblevit, ne quid aquæ penetraret, néve Noëmus spectaculo tam horribili turbaretur, & cohorreret.

Aderat tempus, quo eradicandum eluvionibus impium genus mortalium, quocirca in nubes aterrimas coire repentè cœlum; elementa conturbari; venti, procellæque fremere; micare fulgura, ruere cœlô fulmina, simulque temporis eodem articulô, sursum è terra prorumpere, quidquid illic venarum humentium, ac fontanarum scaturiginum, & aquarum, cæcis voraginibus collectarum latebat; apertis quoque, & proruptis, simul omnibus catarrhactis, flumina, gurgitesque ingenti cum fragore præcipitari. Cum cælestibus ad delendam mortalitatem subterraneæ conspirârunt aquæ, adeò, ut nec modus esset, nec requies, decidentium ex alto cœli ruinarum, & vel erumpentium terrâ, vel marî vasto restagnantium eluvionum per continuos dies ac noctes quadraginta. Cùm jam staret in edito montis vertice, suis cum inquilinis Arca, & undarum vi omnia obruerentur, horribile sanè spectaculum erat, hominum à recenti superbia, & insolentia ad magnam admirationem: ab admiratione ad ingentem solicitudinem repentè conversorum, ut qui viderent, domuum suarùm tecta penetrari, grandine perrumpi, procellis disijci: cellaria novis undique fontibus ebullire, rapidos torrentes prono concursu parietes domorum, quasi arietes in singula momenta quatere, faciléque deijcere: familiam, rémque domesticam oppressam pessum ire. Luctuosissimus aspectus seminudorum hominum, bacchantium ritu, huc illúcque discurrentium, & sua, dein-

deinde ſuos, poſtremò ſeipſos eripere feſtinantium, à circumfrementium aquarum, & magnis undique voluminibus occurrentium, præſentiſſima calamitate, atque pernicie: cùm & Arcæ jam clauſa eſſet deforis janua, & illam è conſpectu immanes circumquaque imbres, & tanta mentis perturbatio, vel potiùs amentia, miſerabiliter ſuſtuliſſet. Quæ ubique lacrymæ opem implorantium, quæ certamina tabulîs ſe mutuò excludentium, qui clamores pereuntium, qui gemitus conclamatis in rebus, vel pacem àSuperis, & veniam anteactæ vitæ poſtulantium, vel horrendis Deum Ultorem diris execrantium? Ingens ubique fletus, clamor, ululatus, comploratio, inter continuos ventorum fragores, colluctantium nubium tonitrua; aſſilientium fluctuum immanes veluti dracones, nulla jam domo, nullo tecto, nulla arbore, monte nullo ſervare valente morti deſtinatos. Interea Noachus cum ſuis, lacrymarum imbre perfuſus, intimis ſenſibus, & ſumma animi contentione, pereuntibus corpore, animi certè ſalutem à Deo impetrare conabatur; è quibus multi, neceſſitate in virtutem versâ, vitæ jacturam in ſcelerum pœnam, & vindictam offenſo Numini offerebant 1. Pet. 3. Centum & quinquaginta diebus elapſis, quibus aquæ terrarum orbem tenuerunt ſepultum, Deus immiſsô ventô calidô & vehementi, eam undarum eluviem in ſuas cavernas, antra, ſpecus, foveas, abyſſos, unde emerſerant, redire coëgit; Arca rerò Noæa in montibus Armeniæ ſalva conſtitit. Emiſſus ex ea corvus, explorator terrarum, non rediît; rediît verò columba, ſecundò exploratum miſſa, virentis olivæ frondem ore re-

fe-

ferens, ceſſantis exundationis argumentum. Noachus poſt annuam in arca moram, cum ſuis egreſſus, exſtructâ arâ, DEO conſervatori, holocauſtô pecorum, & avium mundarum ſacrificavit; quo piamine placata Divina Majeſtas, in clementiæ, & eluvionis æternùm avertendæ, pignus, Iridem ſeu Arcum cœleſtem in nubibus ſuſpendit. Quibus rebus geſtis Noachus dimiſit animantia, unumquodque in viam ſuam; ipſéque cum filiis agriculturæ operam dare cœpit, ne per otium ſuccreſcerent ſcelera, vindicibus undis extincta. Undis reſtingui debuit flamma libidinis, quæ præcipuè ac pæne ſola hanc Numinis iram provocavit, ut diſcas, poſt cataclyſmum, ignem luxuriæ, non niſi igne, at, heu! infernali velis, etiamnum deleri diluvio, at lacrymarum.

NAR. VII.

MALEDICTIO CHAMI,

Et Chanaanis filij. Gen. 9. Anno Mundi 1657. Noëmi 615. ante Chriſtum 2382.

HAud bruta ſunt fulmina, quæ improbis filiis impinguntur à genitoribus anathemata. Totam interdum profligant poſteritatem, & ad omne ævum maledictionem extendunt. Ubi rediit ſua facies elementis, & novus nitor affulſit ſiderum, Noëmus cum ſuis ad culturam terræ (neque enim ſponte victum ſufficiebat) ſe convertit, aratra invenit, equos, & boves jugo junxit, terram vomere pro-

proscidit, cùm antea hominum solùm manibus, & ligonibus foderetur. Unde adjecit curam ad vineam conserendam; vites quippe adhuc sparsim plantatæ, uvas tantùm ad esum ministrabant. Noachus primus vitem excoluit, in vineta distribuit; primus ex uvis vinum expressit, suæ, suorúmque, vel hilaritati, vel infirmitati consulturus. At vinum quid possit, in primo mox vinitore est proditum: cùm nimirùm qui siccus emersérat ex oceano, in cratere naufragium faceret. Factum est, ut bonus senex, cui vis tum inexperta vini, liquore novo liberaliùs se prolueret; è potu secuta est ebrietas; ex hac somnus, è somno nuditas inhonesta, dum sopitus, & impos sui, præ æstu caloris infusi disijcit vestimenta, quibus pudor velabatur. Vidit id *Chanaan*, *Chami* filius, admodum puer, malæ stirpis malus fructus; hic pro eo, quod suadebat verecundia, & in avum pietas ac reverentia, ut vel oculos averteret, vel clauderet, & quod natura abscondit, ipse quoque tegeret, injectô vel recomposítô velamine, ausus est procaci risu nuditati senis illudere, ad patrem recurrere, &, quid viderit, renuntiare. Quid pater? an petulantiam improbi sannionis aut verbis, aut verberibus repressit? an erubuit, ut erubescere faceret filium? an nullam honestatis curam susceptit? susceptit autem? nihilo melior eô, quem genuit, audivit, probavítque os inverecundum, & ut parentis dedecus pluribus deridendum propinaret, fratres, *Semum* & *Iapheum* advocat, ad spectaculum invitat, naturæ abhorrendum. At illi memores reverentiæ paternæ, suô juxta patrísque pudore suffusi, mox humeris imponunt pallium, il-

lúdo

lúdque, retrorsum incedentes, injiciunt nudato corpori, pudicitiæ pariter & pietatis laude, uno in officio, conjunctâ. Insigne tulit virtus præmium. Posteaquam Noëmus, ebrietate cum sopore discussâ, advertit, tectum se pallio non suo, sed alieno, caussâque intellectâ, meritas in Chamum filium, & Chanaanem nepotem, devotiones, non tam imprecandi, quàm futuras calamitates posteris ipsorum eventuras, prædicendi gratiâ, protulit. Neque aliter, quàm præsagiit, evénit. *Semum* namque *Iaphetumq;* (Gentiles *Iápetum* appellant) fausta parentis precatio in progeniem cunctam est comitata, tam frugum, quàm sapientiæ, pietatis, religionis, divinæque gratiæ copiâ, Deo eam prosequente. Chananæi verò, *Chami*, & *Chanaanis* posteri, impietatis avitæ hæredes & imitatores, servituti non modò corporum, sed animorum quoque, in omne scelus projectorum, addicti stirpitus exscindi, à Deo jussi, documento fuerunt orbi, quàm infelices sint, quorum patrimonium est vitiositas parentum.

NAR. VIII.
CONFUSIO TURRIS BABYLONICÆ
Gen. 11. A. M. 1909. ante Ch. 2144.

ANtequam spargeretur in diversa mortalium genus, civitatem, quæ potentiæ argumentum esset, ad Euphratis ripas, amplissima planitie posuerunt. Quale opus! quod ab omnibus in-

inceptum hominibus, quod annis viginti duobus nondum absolutum, quod imperfectum, regni sedes fuit, cujus ex fundamentis, primum orbis miraculum, surrexit, Babylo. Et in ea turrim erexerunt, quæ cœlo, si superis placet, par esset. Disjecta tandem est superba illa ædificantium vanitas, linguis divisorum, & manibus. Non grassatus est Deus fulmine, non ignibus pœnam inflixit; sed acerbissimum superbis supplicium, contemptum; idioma unum, in septuaginta duo divisum; animorum quoque discordiam invexit, & machinatores longè, latéque dissipavit. Rei seriem paullo pluribus exprimemus.

Jam Cainus Abelis fraterno sanguine, per homicidium fuso, pœnas dederat, jam dudum Cainitis immixiti per connubia Sethiani (Sethi, religione inclyti, nepotes) filiorum Dei nomen intemperanti mulieriositate fœdaverant; & irritatus mortalium unanimi scelere, nequitiáque Deus, inundatione terrarum prodigiosâ delêrat, quidquid vivere priùs jusserat. Jam siccato rursus orbe, Noachi tres filij, totidémque nurus ex *Ararato* monte, cujus vertici tandem institerat Arca, descendentes, Armeniæ superioris vicina quæque loca repleverant, ingenti posteritate; jam denique *Noachus* filio *Semo* Asiam, ultra Euphratem, ad Indicum usque oceanum, dederat; *Iapheto* Asiam reliquam cis Euphratem, cum Europa ad Gades usque; *Chamo* Syriam cum Arabia, & Africa tota concesserat; cùm *Nemrodus*, alio nomine Belus, Chami, paternæ nuditatis illusoris, non degener nepos, robore procerit atéque corporis præcellens, adhæc præfidus, tumidus, ferox, di-

divinorum neglector ; nec inferior oris facundiâ ; mortalibus per clientes ; & amicos ſuos perſuaſit , ut, antequam in varias terras dividerentur, turrim exſtruerent, cujus apex nubes penetraret : ſervituram eam altitudinem cùm gloriæ & memoriæ Conditorum ; tum futurum munimentum , adversùs aquarum eluviones , ſi quando terras iteratò inundarent. Cuncti non aures magis, quàm manus præbuêre promptas. Nec mora , calentibus omnium ſtudiis, inchoatur opus : urbísque dimenſis ſpatiis ac pomæriis, & egeſtô limô, collectóque certatim bitumine , compinguntur & excoquuntur diu noctúque lapides. Murorum , propugnaculorum , turrium , ac domorum firma demittuntur fundamenta ; præcipuéque Turris illius , ac veriùs Arcis, quod in urbis parabant meditullio machinari. Sunt, qui ſtructorum quingenta millia tantæ moli tribuerint. Et ſi Herodoto , Græco Scriptori, credimus , murorum ex lateritia materia craſſitudo unius fuit ſtadij, ſive partis octavæ milliaris Italici , quorum quatuor conſtituunt unum Germanicum ; fundamentorum verò latitudo prorſus incredibilis. Cùm enim octo ſupereſſent, etiam Herodoti tempeſtate, turris in una Turri : ſic aliæ aliis fuerunt ſuperimpoſitæ, ut operis ſublimitas, quanquam inconſummabilis, Divi Hieronymi teſtimoniô, ad quatuor ſaltem paſſuum millia, hoc eſt, milliare Germanicum, aſcenderit. Templum in infimâ turrium , quadriformi ſtetit figurâ, cujus circuitus duûm ſtadiorum; ut non immeritò à quodam Gigantum turris, ac turrium gigas appellata ſit.

Procedebat incrementis ſuis illa moles , & annis

in vicennium jam, & ampliùs; inde Nemrodo dictante fabricæ formam, ac leges; hinc verò præceptis obtemperante cœtu hominum, unâ linguâ utentium, quâ generis humani primi propagatores imbuerunt posteros suos; quæ deinceps in *Hebère* retentâ, Hebraicæ nomen ac dignitatem sola conservavit. Donec proritatus Deus, & arrogantiâ mortalium, & coloniarum in diversa loca tarditate, turbavit uno momento multorum annorum negotium, conturbatis structorum verbis; septuaginta duobus, pro numero totidem principum familiarum, distinctissimis idiomatibus, intra temporis unicum articulum, enatis. Itaque frendere præ cæteris Nemrodus, ferus & impotens animi vir, nec imperium curari suum, nec capi voces ac jussa; discedere, si quos vocaret; venire si quos facessere juberet: cessare laborantes, laborare, quibus ipse cessationem indixisset; pro látere lignum, pro ligno glebam, pro bitumine caseum, aut lactis sinum; probipenni vel malleo panem, vel fructibus refertam corbulam apportari; denique cuncta fieri, præterquam ea, quæ facienda tunc instarent; cæteri quoque nec obsequium, insanis quantumvis acclamationibus, extundebant mutuum, nec familiare responsum; donec vertente in commiserationis affectum indignatione, non jam contumaciam, sed pœnamesse senserunt, ultione Numinis immissam. Ita factum, ut desperatione successûs, alius aliò per manipulos, ac centurias dilaberentur, remanentibus ad extremum solis illis, qui se Nemrodianos usu communis linguæ profitebantur. Tanti refert ad firmam studiorum concordiam retinendam, ne

fer-

sermone quidem dissonare. Ex illo temporis ac rerum puncto, diversissimas in terras, insulásque, mortales dilapsi sunt, & Urbs, pendentibus cæptis, & urbis arx, monstrosa Turris, ab eo tempore nomen *Babélis* sortitæ sunt; quæ vox Confusionem Hebræa significatione præ se fert; ex eo, qui linguas disturbavit, permiscuítque, successu. Græci deinde, Romaníque Babylona nominárunt. Nemrodus verò, convalescente magis ac magis per propaginem populo, clientelísque, quà voluntate spontéque subjectorum, quà viribus & armis, regnum instituit, quem filius excepit *Ninus*, qui genitorem vitâ functum, per exsecrabilem superstitionem, in ipso Turris Babylonicæ templo consecravit, & in impio simulacro DEUM esse jussit, principiô tunc idololatriæ stabilitô. Usque adeò mali Principum mores facilè transfunduntur in populum. Et Salomonis proverbio fertur cap. 29. *Princeps amans mendácia, habet omnes ministros impios.*

NAR. IX.

ABRAHAMI MIGRATIO

E Chaldæa in Chananitidem. Uxoris Saræ in Ægygto periculum. Victoria de Chodorlahomóre Elamitarum regulo. Occursus & Gratulatio Sacerdotis Melchisedechi. Gen. 12. 13. 14.

Ab anno M. 2108. ante Ch. 1945. ab anno M. 2117. ante Christum. 1936

Fidissima in omni via dux est Obedientia, tutissimum in utraque fortuna præsidium. Anno M. 2039. ante Ch. 2014. in Ure Chaldæorum urbe natus est *Abrahamus* ex *Thare* parente, centesimum & trigesimum ætatis annum agente; cùm priùs *Aranem*, & *Náchorem* suscepisset, gentilium erroribus involutus. Septuaginta annorum erat Abrahamus, quando imperiô divinô ex patria migrare jussus, relictâ *Chaldæâ*, profectionem in *Chananæam* (quam regionem Chananæi, flagitiosa *Chami* posteritas, incolebant) instituit cum parente, uxore *Sara*, & *Loto*, ex Fratre Arane, nepote. Ad urbem *Charanem* seu *Haranem* (in finibus Mesopotamiæ, quatenus etiam Chaldæam complectitur, positam) ubi perventum est, ibi quinquennio, Deo sic jubente, substitit. Id loci Thare genitor, jam antè ad veri cultum Numinis traductus, vivere, desiit, cùm annum ætatis quintum supra ducentesimum attigisset. Abrahamus justîs parenti persolutîs, suo cum comitatu, Chananitidem ingressus, aliquanto tempore *Sichimis*, in Samariæ metropoli, consedit. Inde progressus, defertur in convallem *Save*, quæ ob ejus fertilem amœnitatem, *Illustris* est dicta. Hîc erecto altari, prosecutus iter, tabernaculum tetendit inter urbes *Bethelem* & *Haiam*, quarum illa Orientem, hæc Occidentem respicit. Hic quoque exædificatâ arâ, Deóque in vota vocatô, cùm famis necessitate urgeretur, in Ægyptum descendit; miris interea favoribus, & promissis cœlestibus confirmatus. Imperabat tum Ægyptiis *Pharao*, qui captus pulchritudine

dine Saræ, eam sibi uxorem (nam Abrahamus malebat ejus se fratrem, quàm maritum dicere) deposcit. Adducitur in regiam, & ultimum pudicitiæ discrimen mulier; quo tamen dedecore utrumque conjugem Deus liberavit; Pharaonis namque corpori immissi graves crucitatus omnem ei amorum & voluptatum cupiditatem ademerunt. Dimittitur igitur suâ cum Sarâ, & amplis muneribus Abrahamus, non sine amica regis querela, ob dissimulationem conjugii. Reversus in Chananitidem, iterum sedem juxta urbem *Bethelem* posuit. Eo in loco, cùm Abrahamus, & Lotus conductis Chananæorum pascuis uterentur, ortâ inter utriusque pastores contentione, Lotus, optione ei factâ, ad regionem, *Jordani* propiorem, recessit, & *Sodomis* habitavit; Abrahamus verò domicilium fixit in valle *Mambræa* (nam *Mambre* erat dominus loci) non procul urbe *Hebrone*; ubi iterum in præmium fidei, & obsequij præstiti pollicitus ei Deus est numerosissimam sobolem, terrámque Chananæam universam, longè uberrimam. Accidit autem, ut ab Elamitis (sunt ij postea dicti Persæ) duce seu regulo *Chodorlahomore*, victoriâ de Pentapolitanis reportatâ, Lotus cum aliis in captivitatem abstraheretur. Hac, quomodo per Abrahamum liberatus sit, jam expediemus.

Jam diu Pentapolitarum (de quibus inferiùs plura) flagitia cœleste Numen, ad expetendas de nocentibus pœnas, irritabant. Quare visa est armis priùs, quàm excidiô, hominum perditissimorum castiganda malitia: ut sicut illi gradibus quibusdam

scelerum veniſſent ad extremum ſcelus; ſic Deus Vindex à correptione molliore, pedetentim accederet ad irrevocabilem ruinam. *Pentapolitæ* (ſic dicti à quinque civitatibus Palæſtinis, in valle amœniſſima, quam Jordanes irrigabat, ſitis) dominatum *Chodorlahomoris*, quô annum jam duodecimum premebantur, excutere, negatóque tributô, ſeſe veterem in libertatem vindicare ſtudebant. Chodorlahomor, Perſarum regulus ſeu præfectus, contumaces ad officium reducturus, ingenti cum exercitu ſeſe valli (Hebræis à planitiæ *Siddim* appellatur) infundit. Ibi collectô tumultuariô, fœminóque milite, quinque civitatum reguli (*Bara* Sodomorum: *Berſa* Gomorrhæ: *Sennaábus* Adamæ: *Semeber* Seboimæ: *Balæg* ſeu Ségoris tyrannus) ſtultâ ſui fiducia, quàm armis & conſilio inſtructiores, caſtra fecerunt. Magnum victoriæ monumentum collocabatur in puteorum multitudine, quâ Siddæa vallis ſcatebat; hos ſtramentis, virgultísque leviter contectos, hoſti tanquam certiſſimam perniciem paſſim obijciebant. Sed eos exſpectatio ſua, ſicut omnia cætera, fefellit. Aſsyrij quippe, deprehenſis inſidiis, in auctorum ſuorum capita dolum omnem refuderunt. Cùm enim acie collatâ Pentapolitani, vix ad exiguam temporis moram, vim hoſtium irruentem ſuſtinuiſſent, & armis turpiſſimè projectis, incolumitatem in pedibus conſtituerent, evénit, ut eorum pars maxima ferrô Perſico, ſtragéque funeſta ſuccumberent: pars ſuperſtes, inter ipſam fugientium compreſſionem, ac mentis inopiam, bituminis ſe voraginibus in-

induerent. Reliquiæ verò tantæ calamitatis, cum rege Sodomorum, in montium aviorum latibula sese receperunt, sedibus suis Persæ victori in direptionem relictis. Accessit in prædæ cumulum, quidquid ætate, robore, formáque victoribus visum est idoneum, quod captivum abduceretur; eorum in numero etiam Lotus cum uxore & filiabus fuit.

Ea Sodomorum clade nunciatâ, Lotíque nepotis sui captivitate commotus Abrahamus (patruelis enim erat) è familia sua, quam habebat amplam, robustissimum quemque, sub signa raptim compositos, armat. Trecenti & octo vernæ stabant, ad omne patris familias imperium accincti. Quibus adjunxit ille sive precariam, sive volonum manum haud contemnendam, ex trium fratrum servitiis, clientelísque collectam. Habitabat enim eo tempore Abrahamus (id quod indicavimus) in convalle, quæ sub ditione erat *Mambræ* cujusdam, *Amorrhæi* quidem, sed viri pij, Deíque notitiam adepti, cujus fratres erant *Escol* & *Aner*; qui propinquis & ipsi locis, cum singulis familijs agebant.

Cum his igitur, non tam suô fretus, quàm divinô robore, ductor Abrahamus, Persas ac sociales eorum turmas (nam Chodorlahomor tres minorum gentium reges, seu Dynastas, in belli societatem ascivit, *Amraphélum* Babylonis; *Ariochum* Ellasaris aut Cœlesyriæ; *Thádalem* promiscuarum in Phænicia nationum Præfectos) assequitur, & improvisus adoritur; partímque cæsos, partim trepidatione mutua sese præpedientes, ingenti strage fundit. Reliquias beneficiô noctis elapsas persequi-

 tur,

cur, fugientium tergis inhærens. Nec abstitit priùs, quàm, quidquid fugâ, latebrísque cædem pridianam evaserat, occidione deleret; prædámque simul, & captivos omnes extorqueret. Videlicet non Abrahami, sed Dei fuerat, in illa tam clara victoria, vis atque manus.

Abrahamo cum suis omnibus lætis & incolumibus redeunti occurrit *Melchisedechus*; qui Chananæa quidem progenitus origine, cœlestium tamen geniorum ministeriis, imbutus fuit veri Dei scientiâ, cultúque. *Salemum* (quod posterioribus temporibus *Hierosolyma* dictum) urbem ea tempestate tenuerat, ad annum ætatis, centesimum usque, tertiúmque decimum: regia juxta, pontificalíque majestate: quódque laudum auctarium fuit, animo, corporéque per vitam omnem impolutô. Hinc Abrahamo benè precatus, *& Excelso DEO* victoriam illius gratulatus est; non cruentis victimis, sed *pane*, *vinóque*, primùm immolatis, ut Eucharistiæ Christianæ mysterium ac sacrificium adumbraret. Typus ipse Christi Servatoris, Regis, Summi Sacerdotis, ac Virginis: quem in monte *Sion* Pater æternus, Regem postea constituit, & *secundùm ordinem Melchisedechi* Sacerdotem sempiternum.

Cæterùm, ut Pontifex Abrahami copiis victum distribuit; ita vicissim hic Pontifici spoliorum omnimum decimam quamque partem assignavit. *Baro* Sodomorum rex, de divinis ac religione nihil solicitus, & ab Abrahamo victore, cives modò clientésque suos repetere contentus, eum cætera sibi ju-

be-

bebat omnia, belli jure retinere. Sed Abrahamus viros ei, mulieresque restituit captivas omnes; spolia quoque, quæ Pentapolitarum fuisse, constare posset. Ipsô quippe expeditionis suæ principiô levârat dextram in cœlum, voverátque, si potiri victoriâ contigisset, se ex præda Pentapolitanis abactâ, ne calceamenti quidem corrigiam contacturum. Æquum tamen esse dicebat, sociis uti suis, auxiliaribus trium fratrum copiis, de præda Persica, stipendiorum ac jure merces persolveretur, cùm illi præsertim ea, manu forti barbaris erepta, sua cuncta fecissent. Sic Abrahamus, non minùs justus in præda dividenda, quàm strenuus in obtinenda fuit.

NAR. X.

HOSPITALITAS ABRAHAMI. LIBERATIO LOTI

Cum suis, ex incendio Sodomæo. Gen. 18.

Anno M. 2138. ante Gh. 2915.

SEdebat pro more suo, sub meridiem, ad ostium tabernaculi Abrahamus, in convalle Mambræa, captans occasionem excipiendi cujuspiam hospitis, illac fortè transituri; (credebat enim opibus se gravari, nisi beneficiis eas exoneraret) cùm juvenes tres conspicit, viâ publicâ contra se gradientes; (cælestes erant genij, peregrinorum habitu) nec mora; seniles impellit pedes, festinat in occursum, invitat perofficiosè ad divertendum: offert

sedilia fatigatis, aquam pedibus lavandis, cibum recreandis viribus. Quid multa ? capti senis humanitate peregrini, divertunt. Discumbitur; inferuntur epulæ; prandentibus inservit invitator alacritate haud minore, quàm si gratiam acciperet, non conferret. Remotîs mensîs accersitur Sara, non minùs, atque maritus, in officiis charitatis sedula. Injicitur ab hospitum uno, mentio, eam non multò post matrem futuram, adhuc enim proles erat. Illa stans à tergo convivarum, excipit dictum cum occulto risu, quippe spei tam lætæ sterili senecta obnuntiante. Hospes ut ostenderet, aliquid sibi supra hominem inesse, arguit inficiationem furtivæ risionis; editúmque vaticinium iteratò confirmat; non sine tacito gaudio in piorum conjugum pectoribus glisscente. Ubi discubitu surrectum est, actis Deo & Convivatori gratiis, intendunt iter peregrini *Sodomam* versùs. Comitatur aliquousque officij causâ Abrahamus. Inter eundum intelligit decretum Numinis adversùs Sodomæos supplicium; quare de Loto nepote, Sodomæ habitante, solicitus; paritérque miseratione erga cæteros incolas commotus, deprecatur initiô incolumitatem pro nocentibus, si fortè quinquaginta innocentes in tanto flagitiosorum numero reperirentur; cúmque tam multi non essent, eò denique obsecrando delabitur, ut diceret Angelus, quocum loquebatur: si vel decem insontes, ætatis adultæ, in amplissima Sodomorum civitate invenirentur, propter eos omni sceleratæ Sodomæ divinam Clementiam parsuram esse. Sed cùm nec deni possent reperiri, fœdis cupiditatibus intaminati, ventum est

adpœnas, à nefandis expetendas. Inter hæc cœleſtium ſpirituum unus in aſtra, unde advenerat, revolavit; Abrahamus quoque ſuum repetiit tabernaculum; cæteri duo Genij Sodomam versùs proſequuntur iter. Quò poſtquam advenerunt, ſtatim à Loto, non ſecus ac Abrahamus fecerat, humaniſſimè domum ſuam non invitantur modò, ſed pertrahuntur etiam; nam in publico pernoctare conſtituerant. Apponitur cæna divertentibus, cæteráque juris hoſpitalis officia prolixè præſtantur. Cœnatos jam Angelos (ſi tamen cœnârunt) Sodomorum cives, concurſu facto, tanquam homines & juvenes, à Loto poſtulant produci, per corporis contumeliam illudendos. Recuſantem, & alias conditiones offerentem, vi facta propemodùm cogunt ac plurimùm affligunt, additis ad verborum convitia minis. Lotum retrahunt Angeli in ædes: Sodomorum cives repentina cæcitate multatos reprimunt: Lotúmque hortantur, ut ex urbe ſeſe cum ſuorum chariſſimis quamprimùm proripiat. Eum generi duo exſibilant, & ad colligenda vaſa tardiorem efficiunt, ac fortaſſis etiam ſuper urbis interitu ſubdubitantem. Inſtant Angeli, Lotúmque cum conjuge, & filiabus geminis, cunctantem ac reſtitantem, extra mœnia educunt, ſerióque vetant ullô locô vel ſubſiſtere, vel retroſpicere. Ille tam feſtinationis præceptô, quàm impendentis ruinæ metu conſternatus, *Segorem* ſibi urbeculam depoſcit ad latebras & ſecuritatem, cæteroquin eodem exitiô involvendam. Imperat, quod petit; id enim hoſpitalitatis erat & pietatis præmium. Digrediuntur ex urbe, mox ruentibus è cœlo flammis ar-

arsurâ. Exportant, quidquid auri, argenti, vestium, commeatûs in sarcinis efferri posset. Nihil autem precioſius, quàm DEI FAVOREM secum ferebant.

NAR. XI.

SODOMÆ, ET SOCIARUM URBIUM

Deflagratio. Gen. 19. Anno M. 2138. ante Christum 3915.

SUmmus ardor igni, summus fœtor est sulphuri; rectè igitur in libidinem ignis, & sulphur in fœtidissimos æstus cupidinis grassatur. Ita nimirum justâ Divinæ Nemesis trutinâ supplicium accomodatur peccato. Vallis erat Palæstina (quod indicavimus) juxta Jordanem fluvium, omnium amœnitatum patria. Civitates in ea quinque, quibus nomen commune *Pentapolis*, videl. *Sodoma*, *Gomorrha*, *Seboïm*, *Adama*, *Segor*. Incolæ, præsertim Gomorrhæi, Sodomæique mortalium omnium flagitiosissimi. Summa pravitatis hæc erat: Immodicus animorum ex præsenti felicitate tumor, aliorum, præcipuè alienigenarum aspernator: tum ex copia rerum, ingluvies, & commessationes assiduæ, quódque consectaneum erat, sordium animi cunctarum fœcunda nutrix, otium, & ex otio omnium portenta libidinum; usque adeò, ut nec Loti, viri omni virtute cultissimi, Civis sui, quotidianis dehortamentis & exemplis ad vitæ purioris se studia adduci sinerent; & enormia illorum peccata cœlum non jam tantùm incessere clamoribus, sed obtundere dici possent, inque

sui

sui pœnam importunâ violentiâ pertrahere. Jam Lotus, trésque fugæ comites mœnibus, & omni Sodomorum solô relictîs, in campi libertate constiterant, & in oppidulum quoddam, *Balam* nomine concesserant, quam Hebræi *Ségorem* vocant, quæ vox pusillam sonat. Paulatim interea solis adventabat ortus, (nam & tempus nôsse juvat) ac funestæ super Pentapolitas tragœdiæ supremus actus. Sub crepusculum itaque matutinum, Numinis irascentis imperiô, vapores excitari, fuliginea cœlum omne facie fuscari. Cùm ecce, Sodomâ plerâque vel in lectis stertente, vel infandæ Veneri indulgente, sub temporis momentum unum, flare venti, furere turbines ac procellæ, quassari terra, Jordanes in fluctus ac fremitus assurgere; cœlo fulgura micare; tonitruis horrendis aër omnis immugire; tenebris plusquam nocturnis universa repentè vallis inhorrescere; simul tenebræ frangi, discindíque fulminum jactu: cuncta ferientibus, incendentibúsque cœli flammis. Quo tanti mali terrore percussi Pentapolitæ, rapientes alij de stratis corpora, nudi, semitectíque discurrunt. Quòd si qui (sanè paucissimi) jam ad opera fortè diurna surrexissent, in urbibus ac pagis tecta repetebant. Qui verò foris in campis, aut agris erant, jumenta, gregésque secum ad tutiora reducere properabant. Sed intercluserat utrisque viam omnem nova nec antehac mortalibus comperta calamitas. Dictu citiùs, unà turbines, tontitrua, fulmina, tumultus aëris, terræque tremor, ac disruptis è nubibus, in nimbos igneos cœlum omne resolvi; torrentis & ecnephiæ more, terrificè rubens flamma, sulphure, nitro, pice,

pice, bulliente sale flagrantique bitumine mixta effundi. Strepit ignium insano stridore cadens supra tecta, turres, palatia, viarúmque strata pluvium incendium: natántque non undis & eluvionibus, sed gehenna quadam stagnante Seddæa vallis, omnes ubique campi, prata, colles, agri, nemora, viridaria; pagi cuncti, quatuor ingentes urbes, Sodoma, Gomorrha, Sebois, Adama, suis cum suburbiis. Fluitant in ignis immani lacu volucres, pecora, greges, ovium, armenta jumentorum, hominúmque sexus, & ætas omnis: & quidquid antè paullo Siddæam vallem libidinibus ambússerat, communibus nunc flammis exuritur.

Lotus inter hæc, percommodùm *Balam* oppidulum, quod fugæ suæ metam ac diverticulum ab Angelis pactus fuerat, intrare cum comitibus incipiebat. Jámque suburbium tenebant: jam audiri post tergum horrida tempestas, ac Sodomorum incendium tragicum, insanæque brutorum ac incolarum voces, & lugubris in cœlum clamor, ac flammarum, tectorúmque ruentium funestus fragor occæperant. Quæ res Lotum, ac suos tantò magis, ut properarent, incendit: partim quia, nisi *Segoris* in umbilico, securitas illa promissa non fuerat; partim, quod respectandi, consistendique curiosa mora, præceptô fuerat Angelicô discedentibus interdicta. Nec immemores illius imperij Lotus, ac filiæ, cursim petebant, quam sibi destinaverant, *Ségorem*. Quanquam eâ recepti, ne illic quidem fixêre stationem; sed in montana latibula pernici sese cursu subduxerunt, veriti, ne *Ségorem* quoque, sicut scelerum, sic & paris exitij societas cum urbi-

bus

bus cæteris inflammatis, tandem involveret. At non æquè vel memor mandati, vel obsequens uxor Loti, tantos ad fragores terræ pariter ac cœli ruentis, solicitata fœmineô cognoscendi studiô, retrospexit : & ut erat reflexa cervice, momentô temporis in columnam *Salis* versa, fatuæ curiositatis perpetuum stetit, ac sapiens monumentum. Dictu mirum, sed verissimum, ac plurimorum insuper oculis usurpatum, eôdem semper vestigiô, quo se circumegit aspectu, defixum mulieris simulacrum, cum brachiis, humeris, capite, totóque reliqui corporis trunco, defluentísque talorum tenus vestis habitu, post viginti & plurium seculorum circumvolutionem perstitisse. Bissel. *in Dec. 1. Ruin. Illust.* testibus confirmat. Deus, cujus mundissimus oculus, sceleris etiam reliquias persequens, ipsúmque, quô peccatum erat, locum, regionem quondam simillimam paradiso, & vallem, quæ *Illustris* appellabatur, in *Tenebrosam* convertit: cujus nihil quod videre velis, videre queas. Lacus *Asphaltites* (à bitumine sic dictus fumosa nunquam non fuligine ebulliens, nomen *Maris mortui* obtinuit, quòd nihil in eo vivum reperiatur. Terra horrido squalore sterilis luget, æstuante nebularum, ac fumorum intolerabili, ac pestilente mephiti, intermortuô vernantium, & gignentium omni fætu. Poma, solâ coloris futilitate, per orbem celebrata manu vel dente compressa, in favillam, vel pulverulentam nebulam resolvuntur, ut cum vestigio flammæ hæreat etiam memoria pœnæ, & quæ pœnam meruit, culpæ. Ita scilicet libido non nisi meræ infelicitatis affert fœcunditatem, & pœnam suam in ipso infami partu producit.

NAR-

NAR. XII.

ABRAHAMUS ISMAELEM EX ANCILLA AGARE GIGNIT; ISAACUM EX SARA; Agarem cum filio ex ædibus eliminat; Isaacum immolat. Gen. 16. 21. 22. Annis M. 2124. 2139. 2163. ante Ch. 1929. 1914. 1890.

OBedientia, si mactet suscitat; si perdit, redimit, nec dat in pericula, nisi ut servet. Cujus exemplum antequam referatur in admirando Abrahami sacrificio, operæ pretium videtur, priùs enarrare, quæ de *Agare* & ejus filio *Ismaële*, déque nativitate *Isaaci* divinæ produnt litteræ. Abrahamus igitur suscipit ex *Agare* (polygamis enim tum esse licebat; & *Sara* ultro id consilij marito dederat, ut famulam in thalamum, longo tempore sterilem, superinduceret) *Ismaëlem*. Cæterùm Agar ferens uterum, nescit suam intra fortunam se continere; corpore tumuit, animóque. Hinc insolentior fieri in dominam, nulla-dum prole fœcundam; nam ea tempestate, ut summum erat probrum sterilitas; ita decus maximum, fœcunditas. Indigné tulit insultationem ancillæ domina; potestate igitur à marito accepta, non priùs Agarem exagitare destitit, quàm ipsa profugeret ultro in solitudinem. Sitì fatigatam & itinere, revocat Deus per Angelum. Regreditur eò, unde fugerat, parit filium, nomen ei *Ismaëlis* (hoc est *Exauditio DEI*) imponit. Matrem quippe mœroribus afflictam, pérque devia, non

non sine multis ad cœlum suspiriis errantem, exaudivit Deus, pollicitus innumerabilem posteritatem ex ejus progenie subnascituram; inde namque *Agareni* (nempe ab Agare vocati) vulgò *Saraceni*, (nam posteri à Sara malebant se appellare) sunt exorti. Decimum quintum jam annum, thori maritalis consortem toleravit Sara, utique haud paullo modestiorem à reditu, quippe ad id instructam ab Angelo; cùm Deus Saræ, quanquam annis provectæ, matris impertiturus honores, fœcunditatem contulit. Genuit filium ætatis anno nonagesimo, cùm Abrahamus ageret centesimum. Nomen puero ab inexspectata lætitia inditum; *Isaacus* enim *Risum* significat. Aliquantô pòst tempore oblata est Saræ occasio, Agaris & Ismaëlis domô exigendi. Ismaël namque majores, quàm pro filio ancillæ, spiritus conceperat, séque pro hærede & primogenito gerens, cœpit Isaacum, tum quinquennem, despicatui habere, ejúsque imbecilli ætati illudere. Id sibi non ferendum existimans Sara, accedit maritum, postulat, ut ancillam cum filio eliminet domô. Duriùs id accipienti Abrahamo, Deus autor accessit postulationis uxoriæ. Abrahamus igitur, cui nihil erat antiquius, quàm voluntati divinæ obtemperare, dimittit abs se Agarem ac Ismaëlem, tum quidem pane tantùm & aquâ instructos; curam tamen, ut par erat, eorum haud quaquam deponit, sed mox à discessu, necessaria subministrat in solitudine (cui *Bersabeæ* nomen) degentibus. Cæterùm in locis solitariis oberrantibus vires aliquando & penus defecerunt, præsertim aqua. Adolescentem (viginti annorum erat) vehementia sitis tanta accendebat,

ut languidum corpus non ampliùs sustentare valens, subter arborem abijceret ; excussit suprema necessitas tam matri lacrymas quàm filio. Numinis opem uterque flens implorat ; nec incassùm. Nam & Angelus è cœlo submissus , puteum siticulosis ostendit, & sui matrem officij commonefecit. Eo in loco diutiùs sunt commorati , hinc Abrahamo eorum curam gerente ; inde Ismaële sagittîs venationem exercente , vitámque agrestem ac ferocem ducente. Hunc in modum liberata Sara domesticâ molestiâ, tantò Isaacum educabat diligentiore curâ, quantò majores in eo spes repositas, ex oraculis divinis sciebat. Sed , ô mira Dei consilia ! Afflictione non simplici defunctis, haud paullo difficilius virtutis experimentum subeundum fuit tunc , cùm Isaacum, lumen oculorum , columen domûs, solatium & præsidium senectutis , spem posteritatis , in ipso ætatis flore (quintum & vigesimum agebat annum) victimam sibi depoposcit Deus. Rei gestæ pathos exactiùs paullo prosequemur. Fortè nocturnæ se quieti commiserat Abrahamus ; cùm vox è cœlo ad aures allabitur , quâ jubetur *tollere* filium, quem è Sara grandæva susceperat , *unicum* , corculum , gaudium , delicium parentum : eúmque manibus suis jugulatum , Deo hostiam immolare , in eo monte, qui designandus esset à Numinis interprete Genio. Novum imperium , & antehac inauditum , meritóque paterna viscera concussurum. Erat hoc, non filij modò , sed parentis quoque jugulum petere. Quid hîc Abrahamus ? num vel voci cœlesti ; vel suis ipse fidem auribus non adhibet? num de cruento mandato dubitat , disputátue ? Nihil

hil minùs. Naturam priùs exuit, quàm obsequium. Satis fuit, imperâsse; parat manum operi, pedes itineri. Non dubitavit credere, quando filius promittebatur; haud trepidavit offerre, cùm exigebatur. Qualis religio credentis, tale fuit obsequiũ obtemperãtis. Nihil cunctatur in negotio tam luctuoso; sumò consurgit manè, accingit se profectioni, nulla rei mentione uxori factâ, ne lamentis moram inijceret festinanti voluntati: parat necessaria sacrificio; comitem ire jubet Isaacum. adjungit duos è servulis, quique baiulus sit lignorum & foculi, asellum.

Triduô aberat mons, quem cœlum monstraverat; nomen monti *Moria*, plures in colles distincto; quorum qui Orientem respexit, *Sion* appellabatur; qui Occasum, *Golgotha*, postea *Calvaria* dictus; qui Septentrionem, *Acra*. Ex Moria quia longè latéque prospectus patebat, ei *Terra visionis* nuncupatio est facta. Ad ejus montis radicem, quò bidui itinere ventum est; jussi servi cum jumento subsistere; lignorum fascis in Isaaci humeros transfertur; parens foculum ferens, & gladium, cum filio viam in montis usque jugum pergit. Quis jam explicet, quibus tum affectibus paternum pectus misceretur, dum intuetur innocentis vultum filij, nihil triste suspicantis, & mox genitoris manu moriturí? Quot patris hîc taciti gemitus, quot anhelitus, quàm graves? qui mutui aspectus? quid ultima filij in montis ascensu interrogatio: *Pater mi, ubi est victima holocausti?* quo demum colore vultûs, quo sensu animi, suum illud pronunciavit: *DEUS eam sibi providebit, fili mi.* Quid porrò in superando jugo, per unius spatium diei secum volvere potuit afflictissimus

simus pater? Ergo sacrificiô filium sibi dari præcipit Deus, in cujus funere parentum mœstissima orbitas; cum quo spes promissorum decollat nepotum. Ubi propagatio, numerô cum stellis certatura? hic precum mearum fructus? hæc pij generis immensitas? Jam illi jungenda uxor, jam dulces suscipiendi liberi, & jubetur interfici? an parricida ut essem, factus sum parens? pro tædis nuptialibus funestum accendam rogum? an *Risus* hic meus, quem cœlestes Genij Mambræa sub quercu prædixêre? hoc meum est gaudum? Quid ad hæc sacra conjunx? quibus oculis aspiciet redeuntem à jugulatione filij? illa pueri indoles, illa morum suavitas, illa corporis & animi integritas crudeli ferro subijcietur? Mox conjectis in filium oculis, ô mea lux, [tacitis suspirijs loquebatur] mea vita, quis dabit, ut moriar pro te? Túne membratim concidendus es in holocaustum? tu cremandus in pyra, & redigendus in cinerem, sine reliquijs, quas inferam tumulo? Rursus seipso fortior; quid enim? DEO jubenti non parebo? Illi? datam qui fidem, promissúmque non potest fallere. Absit hoc, absit. Mille mihi sint filij, mille mactabo Numini; repetit, quod suum est. Cur, quem dedit, non reddam exigenti, cùm auferre possit nolenti? Atque hos inter fluctus ita sibi constitit viri virtus, ut in spem contra spem pugnans, ne gemitu quidem altiore, aut lacrymis tristitiam cordis exoneraret. Hactenus catastasis; nunc videamus catastrophen.

In montis ubi vertice constitêre, ara manibus utriusque construitur opere tumultuario, componuntur desuper ligna; nihil restat, quàm ut cædatur victi-

ctima. Ibi tum pater (ô acerbum temporis articulum!) cæleſte mandatum exponens filio, Adeſt, ait, hora, Iſaace fili, ſpes unica parentis ac timor: cœli munus, mox muneris futurus pretium: adeſt, inquam, tempus, quô fias patris, imò Numinis æterni, ſic imperantis, hoſtia. Quem te mihi fœneratus eſt puerum, nunc repoſcit adoleſcentem; hoc in rogo cremandus es cœlo victima; divinis gere morem promptum obſequijs. Quid hîc Iſaacus? quid aliud, quàm quòd paratiſſimus in juſſa Numinis, ſine querela, ſine reluctatione, roboratus animi fortitudine incredibili, deponit veſtimentum, aſcendit in rogum, procumbit in genua, manus offert ad vincula, corpus ad cædem, patri valedicit illacrymans, animam commendat DEO, gladio nudat jugulum. O fortem mentem! ô animam religioſam, & humanis affectibus ſuperiorem! O novum ſpectaculum, ac verè Deô dignum! Uter flebilior, uter fortior? Sacerdos, an victima? Non percuſſoris, non percutiendi variat color: non membra timore vibrantur, dum vibratur ictus; non demiſſi, non torvi ſunt oculi: neuter rogat, neuter formidat: nec ſe excuſat, aut turbatur. Ille exerit gladium, iſte præbet cervicem ad feriendum, jugulum ad fodiendum; cedit affectus pietati, pietas religioni; medius ſtupet gladius, nullô impedimentô ſuſpenſus. Poterat Iſaacus jam mortis horrore exanimatus, oculis caligine circumfuſis concidere. Cùm ecce vox de cœlo intonat, quæ inhibet filij cædem: prædicátque, ſat magnum eſſe captum de Patriarcha, fidei ac obedientiæ experimentum.

Abrahamus mutaturus hoſtiam, non mentem,

dùm de ſuccedanea victima circumſpicit, poſt tergum videt arietem, Angelicô utique miniſteriô adductum; quem vepribus implexum corripit, offértque holocauſtũ pro filio, tantò majore utriusq; lætitiâ, quantò propiùs abfuit uterq: à cæde ferenda, & inferenda. Sic Iſaacus iterum natus; Abrahamus iterum parens; Actor uterque corollam tulit, ſpectante cœlo, plaudente DEO, qui veræ cædis progymnaſma meditatus in cæde fictâ, eodem in monte tragœdiam exhibebit filium immolando.

NAR. XIII.

NUPTIAE ISAACI CUM REBECCA.

Geneſ. 24. Anno Mundi. 2178. ante Chriſtum 1875.

UXor bona, donum DEI inſigne. Quærendi igitur conjuges non tam conciliatione hominum, quàm DEI. Id acturus, & Iſaaco quadraginta jam annos nato proſpecturus de uxore Abrahamus Genitor, negotium dat non lenoni cuipiam, non paraſito, ſed Eliezeri, rei domeſticæ Procuratori, viro à fide & prudentia commendatiſſimo. Hunc, cælô priùs ritè imploratô ire jubet in Meſopotamiam, natalem familiæ ſuæ terram, ut ſponſam inde adducat filio, de cognato ſanguine; exactô in eam rem juramentô, de mandatis cum accuratione exequendis. Eliezer imperata gnaviter facturus, accingit ſe itineri, ſeligit è jumentis camelos denos, imponit ſe, co-

comites, munera aurea, argentea, vestem pretiosam. Jam constiterat non procul urbe *Harane*, ubi domicilium habebat *Bathuel*, filius *Náchoris*, nepos Abrahami ex fratre. Vicinus erat urbi puteus, hominum, & pecudum opportunus usui; ad eum puteum Eliezer non parùm solicitus de negotio commissò benè gerendo, præsidium implorat Divini Numinis, cujus afflatu intelligat, quamnam cœlestis Providentia hero suo minori destinârit sponsam. Discit arcanô cœli responsô, consortem fausti futuram thalami, quæ hausturn frigidæ petenti, non modò prompta offerret: sed paratam insuper se præberet adjumentorum sitim exstinguendam. Hæc eo cogitante, ecce mœnibus egressa, accelerat pedes *Rebecca*, filia Bathuelis, neptis avi Nachoris, propatrui Abrahami; onerabat scapulas hydria; quam ubi implêrat undâ, retro,, unde venerat, flectebat gradum; erat puellæ rara venustas, quam rarior modestia decorabat. Relegenti viam ad urbem, obviam se fert Eliezer, ignotus ab ignota pauxillum rogat aquæ, lenimentum siti. Illa nihil cunctata, aqualem è capite in ulnas deponit, inclinátque sitienti; parùm id erat officiosæ humanitati, nisi puteanam iteratô hausiam, camelis quoque propinaret, accedente ad benignitatem obsequij, singulari verborum gratiâ, & virginali verecundiâ, quæ oculos animúmque Eliezeris ita rapuerunt, ut non dubitaret, divinitus sibi oblatam, cujus aquirendæ causâ, octo dierum iter peregisset. Omnia probabantur in puella, mores, ætas, forma, genus; quippe quam ex colloquio deprehenderat, arcta cognatione cum Abrahamo connexam; quare jam certus, eam virginem,

domino suo seniori nurum, juniori sponsam cœlitus constitutam, dona profert in pignus & arrham matrimonij, inaures, & armillas aureas.

Delectata muneribus Rebecca, sed magis spe felicis connubij, invitat hospitem paternas in ædes, omnibus instructas rebus, ad homines & jumenta curanda necessariis. Neque ignara, gratiam beneficij augeri celeritate officij, properè refert domum gressus, communicatura cum domesticis gaudium, quod ex homine peregrino conceperat; Eliezere interim in laudes DEI, & gratiarum actiones eunte.

Nuntiô de adventu hospitis acceptô, *Labánus*, natu major Rebeccæ frater (minor vocabatur Bathuel, cognominis parenti, jam defuncto) properat in occursum, verbisque humanissimis benè jubet venire Abrahami, propatrui sui, legatum. Quid multis? exponuntur causæ itineris, produntur signa ducendæ conjugis, consensus matrimonij à matre geminisque virginis fratribus exposcitur; nec difficulter obtinetur, cùm Rebeccæ, in cujus voluntate rei cardo vertebatur, modestum silentium quavis lingua facundius loqueretur; cui accedebat verborum suavitas, quibus paratam se demonstrabat ad profectionem suscipiendam cum Eliezere, exoptati conjugij pronubo atque interprete: nova hic promit munera, ad parentem, fratresque sponsæ ornandos & demerendos. Nuptiarum ne quid pompæ deesset, instruitur epulum geniale, nox inter mutuas hilaritates agitur; dies intercedunt aliquot, quibus antidóra, & quæ in longam vitam necessaria, expediantur; post eos, nova nupta faustissimas inter precationes dimittitur cum ancillarum, quibus assueverat, comitatu.

Ex-

Exactô itineris octiduô, pedem ponunt in terra non modò Chananæa, sed in ipsâ adeò provincia *Gérara*, ubi tum Abrahamus cum Isaaco degebat. Fortè hic inclinata jam die, prodeambulans in agrum, liberiorem captabat auram; animum cœlestium rerum contemplatione oblectans; cùm agnoscit camelos adversùm se adventantes: festinat in occursum; quem, ut amor est oculatus, conspicata Rebecca, ubi didicit ex Eliezere, virum esse, felicibus auspiciis sibi desponsum, mox verecundiæ causâ, injectô capiti theristrô, de jumento descendere, in desideratissimi conjugis amplexus, oscula, & cætera amantium officia properare. Inducitur sub hæc sponsâ ab Isaaco in tabernaculum, quod mater nuper (triennium effluxerat) ætatis anno 127. è vivis evocata, inhabitârat; ibique inter suavissima salutantium & gratulantium studia, suo cum gynæceo excipitur, Abrahami non minùs, quàm filij luctum, è Saræ funere haustum, novâ lætitiâ plurimum temperante. Discant hinc pudicitiæ decoctores suæ, raptores alienæ, mulierem bonam non nisi bono viro cedere; se verò sui in peccati pœnam uxorem promereri malam, plagam tantò graviorem, quantò diuturniorem: imò totâ vitâ duraturam.

NAR. XIV.

ESAV JUS PRIMOGENITI, PARTIM GULA, PARTIM ASTU FRATERNO PERDIT.

Genes. 25. & 27. Anno Mundi 2223 & 2276. Ante Christum, 1830, & 1777.

Ce-

CEdit natura gratiæ, & fruſtra illius prærogativa, hujus opponitur. Duos Iſaacus ex Rebecca filios ſuſcepit; majori natu nomen *Eſau*, (Latini Eſavum dicerent) minori *Iacobus*; gemelli quidem, partu nam eodem editi, ſed habitu corporis, animíque perdiſſimiles. Major naturâ ferocior, atque ingeniô agreſti, à pueritia ruri multus erat, & addictus venatui, Iſaaco primùm diſſimulante, qui ſciret, nihil invitâ dicendum, faciendúmve Minervâ; deinde etiam approbante, eóque nomine ipſum diligente. Jacobus verò, ingeniô facilis, moribus elegans, mitiora ſtudia frequentabat, aſſiduus domi, quippe quem ſua ferebat indoles magis ad excolendum animum, quàm exercendum corpus; quæ adoleſcentis placiditas, ſuavitásque, ut matris ipſi benevolentiam & amorem mirè conciliabat; ita hiſpido alterius geniô, quem etiam piloſô corpore præferebat, haud parùm offendebatur. Accidit, ut ea pulticulam ex lente, pro ævi illius ſimplicitate, Jacobo ſuo apponeret; quâ dum is veſcitur, fortè ſupervenit Eſavus, oppidô laſſus de venatione, &, ut fieri ſolet, famelicus; vix oculos in edulium conjecerat; cùm dentibus etiam in cibum prurit, adeò, ut eum ſaturandæ fami, præfervidus poſtularet. At Jacobus, qui intentus erat in occaſionem recipiendi juris Primogenito debiti, quod ſibi naſcendi ſorte vindicabat Eſavus: ille autem cœli privilegiô ad ſe pertinere, è matre didicerat; pultem ea conditione concedit, ſi ſibi prærogativam natalem cedat. Hîc turbatus alter cupiditate gulæ, cùm putaret, eam ceſſionem, etiam juramentô firmatam, quippe ridiculam, & à ludibundo factam, nihil de jure ſuo detra-

tracturam, addicit, quod poscebatur; simúlque cum vili lenticula decoquit principatum familiæ, dignitatem Sacerdotij, opimiorem hæreditatis partem, & quidquid bonorum cum fausta patris precatione conjungebatur. Quam ipse seu venditionem, seu perditionem, initiò contempsisse visus est, tanquam irritam, aut certè ferro refutandam; quod postea minatus est; sed Rebecca antevertit cruenta consilia, titulísque juris nascendi Jacobum, astu pio, translatis, salutem periclitanti expedivit. Id qua ratione factum, porrò narrabitur.

Isaacus decrepita jam ætate senex, ferinæ tenebatur desiderió; quare vocat ad se Esavum, dat in mandatis, venatum eat, sibíque ex præda silvestri cœnam apparet, id obsequij liberali remuneratione non cariturum. Proficiscitur in venationem filius, cùm suô studiô, tum patris voluntate. Mater interea pro Jacobo solicita, facilè advertebat, nisi astum aliquem intenderet, beneficium primogeniti (Sacræ Literæ Benedictionem appellant) filio suo non obventurum. Quid comminiscitur? Jacobum ad ovillum gregem amandat, duos jubet afferri hædulos; morem is gerit impigrè; neque segnior mater, utrumque hædorum pelle spoliat; alterum coctură tam exquisitâ, conditáque parat, ut planè crederet Isaacus ferinam ad se allatam. Illator cibi Jacobus, vultu, collo, manibus, pelliculis tectus hædinis, fratrem hirsutum mentiebatur; neque sine periculo. Senex quippe caligantibus jam oculis, tactu explorabat, quod visu non poterat. Sed hirsuta hædorum tegmina hispidam Esavi cutem referentia; odor quoque vestimentorum (quibus major natu sive sacrifican-

cando, sive alia quapiam actione solenni uti solebat) Jacobum circumdantium, sensus optimi senis ita afficiebant, ut Esavum præsentem esse, sibi persuaderet. Sola vox Jacobi, dubitationem aliquam relinquebat; quia tamen reliqua signa primogenitum loquebantur, conjecit, eum omnino esse, ad quem primæ, felicitate nascendi, pertinerent. Comedit igitur de ferina, non in sylvis, sed stabulo captâ; recreatúsque venatoris obsequiô, osculis Jacobum, & primogenitorum privilegiis impertit, abundantiam imprecatur frugum terræ: honorem & reverentiam apud exteros: auctoritatem, dominium, Jurisdictionem in domesticos, ac nepotes. Quibus vixdum actis, adest ecce redux è sylvis Esavus; qui re intellectâ, magno clamore irrugire, plenúsque indignationis in fratrem, semel iterúmque patrem urgere, se quoque fausta precatione felicem redderet. Sed cùm transscriptæ in Jacobum gratiæ revocari non possent, inferioris quædam notæ munera tulit, primogeniti tamen jura, & dona perdidit. Hinc ingens in fratrem odium, non nisi cæde exaturandum, ubi primum è vivis excessisset genitor. Quæ caussa fuit, ut Jacobus, consilio matris, bonâ patris veniâ, in Mesopotamiam ad Labanum avunculum profugeret, secundante omnia cœpta Deo, cui tantò existebat gratiosior, quantò frater erat invisior. Cæterum Jacobus sexagenario patre natus est; *benedictionum* ab eo accepit, annum agente trigesimum octavum, supra centesimum. Vitam porrò in densis oculorum tenebris Isaacus produxit annis quadraginta duobus; universim annos explevit centum octoginta. Vir magnarum virtutum, & typica Christi imago, cujus ad-

adventu præcognito non tantùm ærumnas suas levabat; sed futura cum præsentibus componens, *spiritu*, non secus ac parens Abrahamus, *exultabat*; oriturum ex sua progenie Messiam, omnibus gentibus desideratum.

NAR. XV.
PROFECTIO IACOBI IN MESOPOTAMIAM ET EIUS IBI SERVITIUM.

Genes. 28. Anno Mundi 2276. Ante Christum 1777.

NOn cæca quædam Dea est fortuna, quæ spes mortalium volubili rotat globo; sed DEI, omnia gubernantis, providentia facit, ut alij velut per scalam, quam ipse sedens in summo regit, ascendant ad sublimia fortunati, infortunati alij descendant ad imum, id quod vidit, quódque expertus est Jacobus, cùm ob præreptum piô, quemadmodum narravimus, dolô natalium primatum, in invidiam, & odia fratris natu majoris, incurrisset, simul iras ejus effugiturus, simul uxorem è sanguine, & terra cognata, ducturus, auspice DEO, Parentibus benè precantibus, iter ingreditur in Mesopotamiam, Syriæ Provinciam, ætatis anno septuagesimo octavo. Terminus erat itineris *Haran* Urbs, ubi tum degebat *Labánus*, ipsius avunculus, quippe frater Rebeccæ, homo tam avarus, quàm opulentus, & idolorum cultor. Primum peregrinationis diem dum magnis

magnis urget itineribus, solis occasus, corporisque fatigatio festinantem oppressit, prope urbem *Luzam*. Idoneum igitur sub dio quieti locum capit, puluilli loco, capiti lapidem subijcit, facili somno corripitur. Dormienti scala obiicitur, è terra in Cœlum protensa, quot gradibus, tot arcanis plena mysteriis; commeabant per eam sursum deorsum Genij Cœlites; cacumini DEUS ipse majestatem suam inclinabat; præsignante ostento, Messiam olim nasciturum, in cujus persona Cœlum terræ, Divinitas Humanitati erat conjungenda. In summo quippe, Æterni Pater Verbi, seu Filij; in imo Jacobus, ejusdem secundùm hominem progenitor repræsentabatur; interjecti gradus indicârunt cæteros Majores, quorum progenie Christus erat oriundus. De quo Cœli secreto nequa Jacobo relinqueretur dubitatio, is, qui scalæ inñitebatur, mœstum, & rerum futurarum solicitudine suspensum, erexit commemoratione felicitatum, quibus omnis ejus posteritas erat affluxura. Sacer initiò horror animum peregrini perstrinxit; mox liquida voluptate permulsus, lapidem, cui indormiit, statuit in modum cippi, illúdque mirificæ apparitionis monimentum oleo perungit, consecratque DEO. Ex eo eventu nomen vicino oppido *Luzæ* in *Bethelem* est mutatum; Hebræis, DOMUM DEI, quem id loci spectabilem Jacobus habuerat. Is, qui nova tum spe pollicitationum cœlestium confirmatus, voti sese nuncupatione, in arctiora Numinis obsequia, & peculiarem famulatum obstringebat.

Exinde septem dierum itinere confecto, in agrum *Hanani* proximum pervenit; ubi scisscitanti è pastoribus de familia avunculi sui, commodùm offert se

Ra-

Rachel, in qua cum ætate & formâ, flos pudicitiæ certabat; paternas ea tum oves pascebat ruri, pro ævi illius genio, quo simplicitas & innocentia inter prima virginum decora numerabantur. Erat id fortè temporis, quod adaquandorum gregum Rachelem admonebat, quibus, quoniam lapis puteo impositus accessum negabat ad aquam, Jacobus, ignoto sibi, puellæ gratiam conciliaturus beneficiô, saxum revolvit, viam pecori, copiámque facit bibendi. Hauriunt lympham oves, amorem Rachel; utique postquam verbis ultro, citróque datis deventum est in notitiam consobrinæ propinquitatis; Jacobus igitur basiô castô, dulcibus mixtô lacrimis, salutationis, & amoris officium initiat. Nec mora; calentibus animis, calent pedes. Rachel festina, consanguinei Juvenis adventum nuntiat domum, patri Labano; hic properat in occursum, introducit gratissimum nepotem in ædes, inter amplexus, oscula, mutuos, de causis susceptæ profectionis, sermones: colit omni humanitate advenam; hospitium simul & perfugium offert, spem nuptiarum cum una filiarum facit. Neque hospes adventor quidquam obsequiorum in se desiderari passus; cùm integro jam mense virtutem industriámque egregiè probâsset avunculo, gregis universi curæ præficitur.

Omnino septennium ei servituti, & desideriis potiendæ Rachelis impenderat indefessus pastor, empturus à socero nuptias famulatu, quas ære non poterat. Sed hic, ut erat parcus in promissis, ita fallax in promissorum fide, vafrè substituit pro Rachele *Liam*, annis majorem filiam, longè minorem formâ, quippe oculorum lippitudine laborantem. Alterum pro-

proinde servitutis septennnium pro Rachele exigitur; quod ubi pari alacritate, fidéque Jacobus expleverat, demum Rachel ei in manum convénit, seróque Josephum peperit; cùm ex Lia complurium liberorum pater efficeretur, pensante fœcunditate, quod deerat formæ. Jacobus multa jam actus prole, petit à socero facultatem revisendæ patriæ; sed homo ingenii duri & illiberalis, non contentus tam diuturni servitij impendiô, septennem insuper famulatum paciscitur; nec abnuit, pro indolis suæ facilitate, Jacobus; pactionis erat conditio, ut oves & capræ cùm nigræ, tum vario sparsæ vellere piló ve separatim pascerentur ab ijs, quibus lana candebat; & harum quidem cura Jacobo: illarum, Labani filiis committeretur; ex albis porrò quæ provenirent maculosæ, pertinerent ad generum; quæ sine maculis, essent Labani.

Videbatur hic astus omnem mercedis spem ademisse Jacobo, cùm ex matribus unicoloribus fætura non posset exspectari discolor. Didicit artem è cælo fidissimus opilio, quâ simul vafritiem hominis versipellis eluderet, simul laboris longi ferret pretium. Virgas striatim decorticat populeas, & amygdalinas, eásque ex albo & viridi variatas, proponit in canalibus, unde potus fluebat fœtis gregibus. Ibi tum miraculum naturæ videre licuit; agnæ, varietate virgarum oculis & imaginationi objectâ, maculosum pleræque fundunt partum. Id ubi Labanum advertit, caussæ nequaquam intelligentem, mutatur pactum; diversi colores fœtus vendicantur socero, reliqui permittuntur genero; non meliore infidi locatoris successu; bacillorum namque objectu variatæ

riatæ fœturæ, ſerotinæ ſeu autumnales, utique deteriores, cedebant Labano; meliores autem & vernæ, ſine virgarum ab undis relucentium & imagine conceptæ, ſimplicíque colore lanatæ, in Jacobi incrementum pariebantur: conſiliô utique divinô, quô vicennis operæ merces paſtori, & dos uxorum reponeretur marito. Itaque fortunis ampliter ditatus Jacobus, præter liberorum copiam, (*undenos* enim tum numerabat filios, quorum nomina, *Rubem, Simeon, Leui, Iudas, Dan, Nephtali, Gad, Aſer, Iſſachar, Zabulon; Ioſephum* Rachel peperit; & poſtea in Chananitide Beniaminum, ex cujus partu deceſſit; filiam genuit Jacobus unam; cui *Dinæ* nomen ex Lia ſuſceptam) ancillarum quoque, & ſervorum numeroſum famulitium, minorumque greges pecorum; & armenta majorum nempe camelorum, boum, aſinorum comparavit, ſecum in Palæſtinam abducenda. Adeò proſperitatis fœcunda parens & virtus, cujus pretium longè aliâ metitur æſtimatione DEUS, aliâ homines.

NAR. XVI.

JACOBUS AVCTVS LIBERIS, ET OPIBUS REDIT IN PATRIAM CHANANITIDEM.

Geneſ. 31. 32. 33. Anno M. 2296. ante Ch. 1757.

JAm fluxerat annus vigeſimus commorationis Haranéæ, cùm Jacobus conſilium capit de deſerendo Labani famulatu, adornando in patri-

am reditu. Suadebant discessum cùm aliæ causæ, tum maximè, iniqui oculi, ac linguæ filiorum Labani, quibus affinis incrementa dudum erant unguis in ulcere; accedebant tristes Labani vultus; quippe contra cujus spem, desiderium, & conatum nimiùm creverant opes generi; adhæc, quod erat palmarium, urgebant profectionem jussa cœlestia. Jacobus igitur, communicatô cum uxoribus consiliô, suámque adductîs in sententiam, anno ætatis admodum nonagesimo octavo, parat demigrationi necessaria tam diligenter, quàm occultè; cujus expediendæ per commoda sese obtulit occasio. Labanus ad oves, quæ tridui à Jacobi pascuis aberant, tondendas abit. Jacobus utitur odiosi hominis absentiâ in rem suam; uxores & liberos camelis imponit, insalutatô socerô, nequa vis aut remora inijceretur abeuntibus, discedit. Rachel, incertum, an auri fulgore capta, an patrem ab avita superstitione avocatura, clàm idola domestica convasat, & asportat.

Non potuit adeò clanculum adornari discessio, quin nunciô ad Labanum perlatô, ita & indignatio concitaretur in profugos. Insequitur continuato septem dierum itinere, cum valida suorum manu; assequitur in *Galaade* monte; graviter expostulat (nam nequid sævius tentaret, à DEO prohibitus erat) avunculus cum nepote, socer cum genero; arguit plagij & sacrilegæ rapinæ. Jacobus, ut qui nihil de furtivis idolis resciebat, conscientiâ fretus, jubet expostulatorem investigare; si quod caput in toto comitum esset agmine, quod furti teneretur, sese illud daturum noxæ. Abdiderat Rachel simulacra sub clitellis cameli, cui insidebat; in hanc, cùm fru-

frustra exclusis cæterorum sarcinis manum inquisitor injiceret, illa muliebri delusit astu hiantem corvum, caussata morbum, per quem de jumento descendere haud liceret. Hîc Jacobus animos & ipse sumens, vicissim Labano exprobrat calumniam furti, innocentibus impactam; maléque collocatam tanti laboris, tantíque temporis servitutem; decies repetitam pactæ mercedis mutationem; hanccine gratiam suis rependi meritis? hunc amorem liberis? quid sibi vellent tam atroces minæ; quæ quòd meditatum in facinus non erumperent, id quidem Dei clementiæ deberi, haud persecutoris armati voluntati; DEUM sese judicem, vindicémque appellare. Quibus auditis, sedatior Labanus, utique majore via adactus, ultrodescendere ad fœdus cum genero ineundum; móxque in ejus rei memoriam magnus lapidum congeri cumulus, unde nomen Galaadis factum est monti; in extremo acervo utrinque adstituta saxa, tanquam columnæ & termini, neutri pacisentium transgrediendi; quorum alter Mesopotamiam, alter Chananitidem respexit; ibidem victimæ immolatæ Numini, cum adjuncta hilaritate convivij. Redit ad sua Labanus; cœptum prosequitur Jacobus iter.

In ipsis Chananææ finibus obviàm in aëre se tulerunt Angeli, ejus Provinciæ Protectores, inde locus appellationem sortitus est Castrorum, nam & Genij Mesopotamiæ custodes, instructa veluti acie comitati sunt ad limites regionis Jacobum, & præsides Chananitidis Genij, venientem, tanquam præsidiarij milites exceperunt. Id loci per torrentem (*Jacobus* vocatur) agmine traducto, Jacobus cis

amnem ſolus reſtitans, & intentus de nocte precibus, ſpectabilem habuit ſub diluculum, Angelum Tutelarem, virili ſpecie, ultro ad luctam provocantem. Ille tametſi grandævus, videns neceſſitatem ſibi impoſitam congrediendi cum adverſario, deſcendit in arenam, manum conſerit manui, pedem pedi, ut palæſtritæ ſolent, ea virium contentione, ut videretur palmam homini concedere cœleſtis colluctator; tamen oſtenſurus antagoniſtæ ſuo, quis eſſet, quocum inijſſet certamen, os ei femoris luxavit, nervúmque diſtorſit. Ne huic quidem dolori ſuccubuit Jacobi virtus, quæ magis & magis ſeſe colligens, injectis implicat adverſarium brachijs, arctóque ſtringit complexu tamdiu, donec illuceſcens dies aperuit, luctationem eam cum cœlite commiſſam fuiſſe; mox ſubeunte animum metu, ne parùm reverenter dimicatio ſuſcepta fuiſſet, petit ab Angelo, in ſignum ut benevolentiæ illibatæ ſibi bene precetur, útque velit adeſſe præſidio, in proximo, cum fratre, congreſſu. Obtinuit, quod rogavit, indéque nomen *Iſraelis* tulit, in teſtimonium fortitudinis, arduo iactamine probatæ; ex eo tempore gens omnis Hebræa Iſraëlitarum; lucus verò certaminis appellationem *Phanuelis*, ſeu Viſionis DEI traxit.

Cæterùm Jacobo ex lucta claudicanti, venit in occurſum frater Eſavus cum quadringentis viris armatis, ad quem jam antè paſtores famulos cum muneribus præmiſerat. Jacobus Agmen autem ſuum in tres turmas providè diſtribuit, chariſſimîs quibusque in tertiam turmam receptîs, ut ſi hoſtilis manus priores duas invaderet, ſpes ſuas in ultima fugiendo ſervaret. Poſt hæc progreſſus cum muneribus, ſingu-

gulari verborum humanitate conditis, ita placavit animum hominis, cæteroquin horridi & asperi, pristinis ut odiis in amorem versis, exciperent sese mutuis amplexibus & osculis, multa cum officiorum significatione; quibus persolutis, ab invicem digressi, Esavus Idumæam (quæ & *Seir*, & *Edom* dicitur) repetiit; Jacobus quoque prosecutus iter, locum, ubi tentoria fixit, *Socothum* denominavit, indéque post aliquot menses discedens, juxta urbem *Salemum*, ditionis Sichimorum, consedit in agro centum agnis coëmptô, arâ ibidem Numini erectâ, cum inscriptione *ARA DEI FORTIS ISRAEL.* ut etiam lapides loquerentur illum, cujus, ut validam erat opem expertus Jacobus, ita cupiebat monumentis æternis religionem propagatam.

NAR. XVII
DINÆ JACOBI FILIÆ, VIOLATIO. ET INDE CONSECUTA SICHEMITARUM CLADES.

Genes. 34. Anno M. 2035. ante Ch. 1748.

NImirum heu! multis vidisse, perijsse fuit. Urbs erat in Chananitide, cui nomen *Sichem* aut *Sichar*, (secundùm quosam *Salem* postea, aut *Salemum* dicta, dissentiente Saliano) in ejus urbis vicinia, agrum emerat Jacobus, ubi constitutis tabernaculis, aráque (uti memoravimus) exstructâ cum familia ampla habitabat. Ubi & provinciæ imperabat *Hemor*, cujus filius *Sichem*, in

voluptates effusior, licentiam vivendi ducebat à potentia dominandi. Fortè *Dinam*, Jacobi filiam, jam nubilem, formæ supra cæteras puellas venustæ, curiositas impulerat urbem Sichimorum visendi, morésque fœminarum urbicos, & studia cognoscendi; virgines enim coævæ tunc magno numero sive ad nundinas, sive festum qnodpiam solenne convenerant; quas ut ipsa videret, videri simul cupiebat. Rarò sine periculo prodit in publicum cultiore veste formáque castitas. Exijt Dina Penelope, redijt Helena. Vix oculis libavit puellam *Sichemus*, cùm flammam in pectus attraxit, cœpítque ardere simul & amare, efflictímque deperire. Mox abreptns cupiditate virginis potiendæ, cùm lenocinijs ad flagitium pertrahere non posset, vitium obtulit reluctanti. Ita nimirum, quasi flos pulcherrimus simul & tenerrimus in fœminis pudicitiæ fama, ad levem marcescit auram; flatu corrumpitur. Illam, ut par erat, illati dedecoris injuriam, indignissimè ferentem, vindicèsque minas spirantem, conatur pudoris prædo blanditijs lenire, spem facere conjugij, quo culpæ simul & ignominiæ macula abstergeretur. Nec ipsa, ut fœminarum est ingenium, visa est aspernari nuptias. Quare Sichemus amoribus suis, jam honestis fruiturus, adit parentem *Hemorem*, instat, urget, obsecrat, sibi ut Jacobum, Dinæ patrem, exoptatásque nuptias conciliet. Cæterùm ejus rei rumor jam antè ad Jacobum pervolârat, & ab hoc ad filios, Dinæ fratres. Oritur omnium indignatio gravissima, & abolendæ injuriæ cupiditas. Interea adest Hemor, petit filio suo uxorem Dinam,

offert

offert mutua connubiorum fœdera ac commercia; munera præterea dotalia, & quidquid pro delicto satis dandum exposceretur. Simulant fratres Dinæ, eam societatem haud displicere, sibi; modò affinitas, ut esset stabilior circumcisione corporum, juxta ritum Hebraicum, sanciretur; glisçente interim sub pectore meditatâ sævitiâ. Acquiescunt sectioni Hemor, & filius, eámque suis persuadent civibus. Fluit undique sanguis, unius ad hominis libidinem extinguendam. Itaque stratis omnium voluntario de vulnere corporibus, die tertia, quâ maximè dolor exacerbatur, Israëlitæ occasione vindictæ utendum rati, consurgunt furiosè, ductoribus Simone & Levi, armatíque urbem ingressi, crudelem agunt stragem inter Sichimitas, ex recenti sectura decumbentes, ac invalidos ad resistendum; mares omnes interfecti. Irrumpunt suis cum manipulis cæteri quoque fratres, non tam cædis, quàm prædæ participes futuri; urbs omnis diripitur, greges, armenta, uxores parvis cum liberis in captivitatem abducuntur. Tanti stetit vel ira, cùm in rabiem vertitur; vel amor, cùm libidine insanit. Vesana crudelitas meritô gravissimè Jacobum affecit; quippe cujus mores ab omni sævitia plurimùm abhorrebant; tantóque detestabilior accidebat ei juvenum furiosorum immanitas, quòd videbat illam conjunctam, cum summa perfidia & sacrilegio; quando ad dirum facinus perpetrandum non dubitârunt præferoces ultores Sacramento circumcisionis, quô nihil religiosius apud eam gentem habebatur, abuti. Et erant illi facinori alia quoque scelera involuta, Quid enim tanta

ta ſupplicij atrocitas in eos, qui pro damno illato facere ſatis, daréque paratos ſe oſtendebant; quid cædes tot innocentium, & nulli culpæ affinium; quid direptio ædium, fortunarum, agrorum; quid in ſervitutem abſtractio pecorum, hominúmque, in quos nullum jus hoſtilitatis, nulla juſti furoris cauſſa? Accedit maxima temeritas, quæ Jacobum cum omni familia in præſentiſſimum internecionis diſcrimen conjecit, quod imminebat ab ijs, quorum communia odia & arma, barbaræ crudelitatis exemplum provocavit; hæſiſſétque dubio procul ultio in tergis nocentium, niſi vicinarum civitatum vindices manus avertiſſet Divini providentia Numinis, mirifico favore Jacobum protegentis. Auxit gravitatem ſceleris obſtinatio peccantium, dum cædium & rapinarum auctores, objurgati à parente, nihil pacati reſpondent; &, tanquam furor tot ſævitiæ argumentis nondum exſatiatus eſſet, perſeverant juſtitiam prætexere vindictæ, juris omnis & modi limites excedentis. Nempe cùm pudorem profligavit contumacia, virtutum nomina ſceleribus imponuntur; & quod malè fit, longè peius defenditur.

NAR. XVIII.
VARIA JOSEPHI PATRIARCHÆ FORTUNA

Geneſ. 37. & ſeqq.

ET fortuna miſera eſt ſine inimico, & virtus ſine hoſte marceſcit; utraque enim non niſi agitata

tata crescit. Ioſephus filiorum Jacobi ut pulcherrimus, ita ſanctiſſimus, Rachele natus, â fratribus cæteris, inter paſcua, per invidiam & odium innocentiæ, crudeliter oppreſſus, Iſmaëlitis inſtitoribus, illàc fortuitò prætermeantibus venditur: & ab his in Ægyptum abducitur, cùm ætatis ageret annum ſeptimum, ſupra decimum. Illic iterum *Putiphari* cuidam, ſupremo regiæ militiæ Præfecto venundatus; pro mancipio ſervit, quem liberum mater genuerat: quémque pater fratrum conſpirante mendaciô deceptus, flebat, tanquam à ſilveſtri beſtia laceratum. Sed Joſepho tamen interim, ob virtutes ac Numinis aſſiſtentem opem clemens fuit, ac tantùm non Dominica ſervitus. Fuiſſet eadem & felix; niſi præſtantis formæ bonô, parùm fauſtô, pudiciſſimus juvenis in oculos dominæ deſcendiſſet profundiùs, quàm ipſe voluiſſet. Hujus illi ſollicitationibus primùm venereis; deinde (cùm eam repulſa caſtiſſima rejeciſſet) calumnijs appetitus, in iram herilem, carcerémque regium inſons detruditur, annos natus ſeptem ac viginti. Trienniô lapsô, cùm Ægyptio regi *Pharaoni* perplexum de ſeptenis bobus pinguibus, ac macilentis, totidémque ſpicis opulentis, & exeſis, perſpicua dexteritate ſomnium enodâſſet: de ſervitio translatus in libertatem, déque carcere productus in palatium, Ægypti Prorex renuntiatur. Eius dictatis, conſiliísque, quidquid ſeptenniô primô fertilitatis enaſcitur, in horrea congeritur, & in pyramidum illa ſpatioſa granaria, famis ſubſecuturæ provido remedio præparata. Succeſſit ſeptennium alterum, ſterilitatis: quâ, neque cœlo terras, neque Nilo campos influente; paſſim

omni, non Ægyptô tantùm, sed Arabiâ, Palæstinâ, Syriàque laboratum est. Tunc apertis in tempore frumentarijs cellis, frugibúsque divenditis, per compendia fiscus regius in immensum auctus Ægyptus argento, pecore, libertate fuit exhausta; volens tamen ac lubens, & ob id injuriarum actionem in nullo foro repertura. Subegit autem eodem temporis, illa publica famis, ferreáque necessitas, etiam Jacobum, in Chananitide sedentem; ut ad se, suorúmque familias alendas, semel iterúmque filios suos ablegaret in Ægyptum, ad annonam commercandam. Qua coëmptionis occasione Josephus (cujus in urbem & ædes frumentarias illi venerant) prior ipse fratres agnovit: póstque multiplices dissimulationis ambages, tandem & agnoscendum se præbuit; injuriæque, quam ab eis olim acceperat, memoriâ penitus in benevolentiam, conversâ, nihil tale meritos, perliberaliter habuit: & alimentis pecuniáque gravatîs eorum jumentîs, domum latos remisit. Nec eo contentus fraternæ mentis officio, submissis ex Ægypto curribus, & patrem jussit ad se, & omnem filiorum ejus, nepotúmque sobolem deportari: ne, cùm quinqueñium adhuc sterilitatis famelicæ restaret, identidem longiùs molestiúsque petendus victus esset. Nec cunctatus pater est, cui persuasum ægrè tandem fuit, supervivere filium, quem in silva jam olim extinctum, ipse crediderat, ac deplorârat. Is igitur in Ægyptum, uti jussus fuerat, demigravit, cum omni domesticarum rerum supellectili, familiæque capitibus septuaginta. Tot enim jam tum, & quos ipse genuerat, & quos filij, numerabantur, Israëlitarum vulgò nomine ce-

le-

lebrati. Venientes lætus excepit Joſephus, ac præcipuè patrem. Cujus in occurſum juncto curru, progreſſus, in regionem *Geſſenam* (nam ibi ſubſtiterant advenæ) mutuo ſtringens amplexu, dulces inter lacrimas, auctor illi, fratribúsque fuit, ut, quoniam paſtoritiæ ſtuderent, in ea potiſſimùm Ægypti parte ſedes ſibi deligerent; quòd locus eſſet herbidus, frugum ferax, & præ cæteris paſcuus; eò conſiliô id potiſſimùm ſpectans, ne in regni viſcera recepti, Ægyptiorum profanis ſacris, ac Deorum multitudine, quondam inficerentur; quam deinde regionem Iſraëlitæ, approbante rege, legitima poſſeſſione retinuerunt. A principio tam bono, quid niſi fauſta exſpectares, eô quidem incrementô, ut ringeretur invidia, & perire ſe crederet, niſi perderet felices innocentiæ ſucceſſus, verùm dum nocere cogitat, tum vel maximé, etiam invita prodeſt.

NAR. XIX.
EADEM HISTORIA FUSIUS EXPOSITA.

Anno Mundi 2319. Ante Chriſtum 1734.

MAgnum eſt, in rebus adverſis non deijci, majus in proſperis non extolli, ſed longè maximum in perpetua utriusque fortuuæ viciſſitudine juſtam animi ſervare æquabilitatem. Exemplum aſpice in Joſepho Jacobi filio, qui mira Dei vel indulgentiâ, vel mercede virtutis, diverſiſſimis jactatus caſibus, immotus tamen ſtetit in virtu-

tute. Is patri longè chariſſimus, cùm per invidiam divenditus eſſet à fratribus, & apud Putipharem Dominum gratioſus, placuiſſet & Dominæ; pudicitiæ tamen poſthabens omnia, per heræ calumniam conjectus in carcerem, trienniô caſtitatem amavit in vinculis. Mec ultra DEUS præmium diſtulit; Joſephus per interpretationem arcanorum, Pharaoni notus, ad regni adminiſtrationem evectus eſt, triginta natus annos, in qua per octoginta perſeveravit, inaudita aulici felicitate; verè caſtitatis Martyr & Corona. Hiſtoriam multò amæniſſimam, & eventuum varietate mirabiliſſimam, per membra ſectam dabimus.

CAUSA INVIDIÆ FRATERNAE, ET VENDITIO JOSEPHI, Geneſ. 37. Anno Mundi 2306. Ante Chriſtum, 1747.

JOſephus ocellus patris ſui Jacobi, & ſenectutis, nam grandævus eum genuit, delicium, ſedecim annorum adoleſcens, in gravem apud fratres, quos numerabat decem (undecimus *Benjaminus* admodum puer erat) invidiam & odium incidit, non niſi innocentis interitu extinguendum. Flammas livori ſubjecit cauſſa non una; exulcerabat enim fraternos animos incuſatio criminis, neſcio cujus; *peſſimi* tamen, ut divinæ loquuntur paginæ, cujus ipſi ad parentem à Joſepho erant delati; tum imagines quædam adoleſcenti per ſomnium objectæ, quas ipſe, de ſua metiens alios innocentia puerili candore aperuerat, dum per quietem vidiſſe ſe narrat, &

& fratres colligare manipulos; ſuum ex illis manipulum ſtetiſſe erectum, viſúmque adorari à fraternis manipulis circumſtantibus; aliàs quoque, ſolis & lunæ ſpeciem, undecímque ſiderum oblatam, ſeſe devenerantium. Quas illi narrationes intolerabilem arrogantiam Interpretantes, indignabantur, puerum inter viros affectare dominatum. Uſſit quoque invidorum oculos veſtis polymita, togula ſcilicet multicolore filo eleganter contexta, quam Joſepho fieri parens curavit, dedítque ferendam, in amoris præcipui inſigne. Amandaverat is fortè adoleſcentem ad fratres paſcendis gregibus occupatos, exploratum, quid agerent, quibúſque in paſcuis curam gererent gregum. Joſephus Imperij paterni tenaciſſimus, oberrabat ſollicitè, dum inveniret non jam fratres, ſed penè carnifices. Vix enim procul venientem intuiti, continuò de cæde illius deliberant, ſomniatorem per convitium appellant; atque, ut patri os oblinerent, à feris diſcerptum dicere ſtatuunt. Interceſſit cruento conſilio fratrum unus, *Ruben* nomine, ſuaſítque, ſicca morte afficerent puerum, ínque ciſternam abjectum enecarent fame potiùs, quàm tenero manus imbuerent ſanguine. Placuítque genus necis. Verſicolore igitur prætexta adoleſcens exuitur, quidquid ille precibus, lacrimis, queſtibus, obſecrationibus inſtarer, modò ſingulos, modò univerſos, per DEI clementiam, pérque parentis ſenectutem deprecando. Nihil potuit frigidus ſudore pavor, blandus rogantis decor, fraterni pietas ſanguinis. Ab obſtinatis per funes in profundam demittitur foveam, lenta fame conficiendus. Non diu latuit in illo cavo, ſepultus

an-

antè quam mortuus; cùm auctore *Iuda* retrahitur in lucem, & *Madianitis* negotiatoribus, fortè prætervehentibus, viginti venundatur argenteis; à quibus in Ægyptum abducitur, Putiphari, viro Principi, militiæque sub Rege Pharaone duci, denuo pro pretio addicendus. Interea per plagiarios fratres illuditur parenti seni, persuadetur ei, Josephum filium, in prædam cruentæ belluæ cessisse: fidei faciendæ, pueri tunica, hædino sanguine tincta exhibetur; nec difficile fuit viro candido fucum facere; mox igitur miserabilis senex ire in lacrimas & lamenta nullo solatio, nisi morte lenienda. Adeò scelus ex scelere nascitur. Qui fratrem invidendô dederunt exitio; parentem mentiendô vivum funus fecêre.

III.

JOSEPHI PUGNA PRO CASTITATE, ET CONJECTIO IN CARCEREM. Gen. 39. Anno Mundi 2316. ante Ch. 1737.

DEUS Josephum, domi ut servavit, ita nec peregrè destituit. Hinc in rebus omnibus secundus succesſus; hinc gratia & benevolentia heri Putipharis, famuli sui prudentiam fidémque mirè suspicientis; & adeò domûs ei totius curam committentis, eô quidem emolumentô, ut omnes heri facultates maximis augmentis locupletarentur. Sed ô nihil tutum in rebus humanis, nihil ab omni parte beatum! erat Josephus eleganti forma, ideóque gratior, pulchro veniens in corpore virtus,

virtus. Hæc Dominæ irritamento fuit amoris impudici. Jam illa liberiùs, quam castam decebat, oculos in adolescentem conijcere, & veluti raptis in fomite igniculis, occultum sub venis ignem alere; mox observare tempus, quo sine arbitris posset ephebus ad flagitium invitari. Animosè non semel repugnanti, fidémque hero, Deóque debitam opponenti, iterum iterúmque admovere preces, blanditias, munera, terrores; instare quotidie importunior, tandem etiam manum inijcere recusanti, & ad facinus tantùm non compellere. At ille victoriam in fuga positam esse ratus, pallio, quod lena prehenderat, in manibus improbis relictô, foras sese proripuit, quamvis potiùs calumniam, quàm jacturam castitatis subiturus. Irrîtata juvenis verecundiâ Venus, tantúm exarsit odio, quantùm priùs flagrârat amore: nimirum aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium. Et sævissima tunc est, cùm stimulos odio pudor admovet. Primò apud domesticos innocentem infamiâ onerare; deinde ad maritum cum pallio accurrere, cum lacrimis & questibus famulum in crimen intentatæ turpitudinis vocare, in testimonium defensæ integritatis amiculum, violento pudoris aggressori ereptum, ostendere. Credidit inconsulta temeritas mulieri; reo decem ipsis annis, exploratæ probitatis argumentis suffulto, locus purgandi non datur. Innocens in carcerem & vincula abripitur, fiducia bonæ caussæ, etiam in illa fortuna, animum sui securum comitante.

III

VATICINIA JOSEPHI

IN CARCERE Genes. 40. Anuo Mundi 2317. ante Christum 1736.

TEnuit igitur custodia vinctum, si teneri vinciríque potuit mens conscia recti; aut deprimi calumniâ, quem perpetuus Numinis favor erexit; Gratiam, quam apud Putipharem meritis suis inierat, captivo quoque virtus apud carceris Præfectum conciliavit. Fortè in eodem carcere attinebantur duo, de Pharaonis palatinorum numero, quorum alter pincernis, alter pistoribus præfectus. Utrique aliquanto póst tempore, eadem nocte, objectum fuit somnium, cùm officijs, quæ gesserant, tum rerum eventui congruens. Utrumque species oblatæ tristem & futurorum exspectatione suspensum tenebant; nec libertas dabatur conjectores pro gentis illius superstitione consulendi. Obtulit operam Josephus, spe fretus, DEUM, arcanorum omnium cognitorem, illa visionum abdita sibi reseraturum. Somnium pincernæ erat objecta vitis cum tribus palmitibus, è quibus gemmæ primum erumpebant, tum paullatim dilatatæ frondescere, fructus minutos emittere, & hi florentes grandescere, ádque maturitatem perduci, à pocillatore in calicem Pharaonis exprimi, regíque porrigi videbantur in potum. Explicavit visum Josephus, & *tres vitis Propagines* totidem dierum intervallum interpretatus, prædixit, hominem elapsô triduô, muneri suo restituendum. Ex ea conjectatione spem me-

melioris fortunæ etiam Pistor concipit, quidque somniâsset, exponit; visa nimirum tria canistra viminea, capiti suo imposita, in quorum medio & imo panes inerant candidi, è polline confecti; in supremo varij servabantur cibi, arte pistoria confieri soliti, quos advolantes depascerent aves. Neque hîc vel fides interpreti defuit, vel veritas. Prænuntiat misero Vates omnia alia fata & effata exspectanti, fore, ut intra trium dierum intervallum, suspensus de patibulo, cederet in escam corvis. Nec aliter, quàm vaticinatus est, utrique evenit. Inter hæc qui ad regios stabat cyathos, gratiæ, unde exciderat, redditus, & conjectoris oblitus sui, & datæ fidei, quâ receperat, se apud regem libertatem captivo impetraturum, in caussa fuit, quare Josephus biennio insuper hæreret in vinculis, DEO famuli sui tolerantiam exercente, & ad majora reservante. Inter illos, quos per somnium viderat, manipulos, spicam diceres, etiam Josephum fuisse, tantò honorum fertiliorem, quantò ad terram inclinatiorem.

IV.

JOSEPHUS SIBI REGIS PHARAONIS GRATIAM CONCILIAT VATICINIJS. Gen. 41. A. M. 2319. ante Ch. 1734.

LIbertatem, cujus spem explicatio somniorum, jam antè Josepho fecerat, Vates ferè divinus, à rege Pharaone hunc in modum, cum magno felicitatis incremento, reportavit. Videbatur

sibi rex per quietem stare juxta Nilum fluvium; ex hoc cernebantur emergere septem boves pingues, in locis humentibus atque herbidis pascentes, remotiùs â fluminis alveo. Totidem aliæ indidem ascendebant, sed macie confectæ, inque ipsa amnis ripa tenue carpentes pabulum; quæ tametsi strigosæ & macilentæ, habitiores illas, & corpulentas devorare visæ sunt; quô alludebatur ad fertilitatem & sterilitatem Ægypti. Nam in tenui Nili incremento, sterilescebat æpyptia terra, id quod significabant jumenta in ipsa ripa cibum quærentia; secùs pinguioribus accidebat bobus; quippe quibus pabulum suppetebant remotiora pascua, & fluminis humore abundantia. Accessit ei somnio alterum, materiâ diversum, significationis ejusdem. Videbantur septem uberes spicæ culmô attolli unô, juxta quas aliæ septem graciles, & uredine afflatæ surgerent, priores absumentes. Terruit ea res Pharaonem jam vigilem; petit à divinatoribus conjecturam somnij; aptam nullus dedit. Hîc pincernarum præpositus, sui memor interpretis, Pharaoni auctor est, Juvenem ut divinandi peritum advocari jubeat è carcere. Vocatur, ritúque attonsus Ægyptio, ac vestitus, in regis conspectum admittitur geminum ei somnium narrantis. Respondet expeditè Josephus, ijs somniantis spectris indicari magnam tam copiam, quàm inopiam pecoris ac frumenti, septem annos ubertatis, exceptum iri à totidem annis ingentis sterilitatis; suadet unum aliquem virum sapientiâ & industriâ præditum, summa cum potestate frumentationi præficiendum; frugúmque in annona vilitate coëmptarum, maximum commeatum in re-

gi

gis apothecis & horreis condendum, ingruentis subsidio famis. Placuit consilium tam regi, quàm optimatibus; præficitur Josephus (quis enim alius aptior?) universæ rei frumentariæ, & regijs decoratus insignibus, annulo signatorio, purpura, torque, curru, totius prorex Ægypti proclamatur. Palmam diceres Josephum, quæ pressa resurgit, tantò altior, quantò pressior.

V.

JOSEPHI INFRATRES MITIS AUSTERITAS. Gen. 42. 43.

A. M. 2327. ante Ch. 1726.

SEptenniô fertilitatis exactô, sterilitas ingens non Ægyptum modò, sed totam Chananitidem, & vicinas provincias afflixit; quare Jacobus, compertô, frumenta apud Ægyptios esse venalia, denos mitti filios, triticum comparaturos. Qui delati *Memphin*, aut potiùs *Tanin*, non procul inde sitam, tunc urbem regiam; adductique ad proregem (fratrem non agnitum; multùm enim viginti annorum spatiô & facies erat, & vox immutata) supplici demissione Principem venerantur, & rogant, annonæ sibi coëmendæ fiat copia. Josephus vultu ad severitatem composito, paullatim eos interrogationibus adducit, genus ut omne suum, familiámque declarent; inde occasione sumpta imperandi, ut *Benjaminus* fratrum minimus ad se adducatur; imperijs terrores addit, hostiles exploratores appellat. De quo crimine cùm ipsi sevenerabundi purgarent,

noménque parentis, & alia innocentiæ ſuæ argumenta prætenderent, Joſephus graviores fingens iras, jubet omnes cuſtodiæ tradi, quaſi per otium in quæſtionem dandos. Triduô poſt eductos è carcere, domum remittit cum tritico, repoſitâ clàm in ore ſaccorum frumentariorum pecunia, annonæ coëmptæ pretio, additis in viam cibarijs; *Simonem* retinet obſidem, non eximendum vinculis, donec natu minimus, primo quoque tempore ſiſteretur. Quæ dum fiebant, collatis inter ſe capitibus fratres, regreſſi in memoriam veteris delicti, calamitatis cauſſam referunt in crudelitatem, quâ fraternum in ſanguinem olim ſæviebant, intelligente (quod non rebantur) ſermonem Joſepho, & ſe cum lacrimis ultro fluentibus, avertente. Non potuit enim animus tam nobilis diutius reprimere humanitatis ſenſum, & cum invita natura luctari generoſus ſpiritus.

JOSEPHI AGNITIO, ET FRATRUM, AC APRENTIS LÆTITIA,

Gen. 44. 45 46. A. M. 2328. ante Chriſtum. 1725. Jacobi obitus & Joſephi A. M. 2345. 2399. ante Ch. 1708. 1654.

Gen. 47. Exod. 13.

QUibus rebus domum ad Jacobum renuntiatis, revectáque, quam pro merce debebant, pecuniâ, duo comprimis optimi ſenis animum afflictabant, alter filiorum (Simeon is erat) captivus; alter dimidium cordis ſui, Benjaminus in exteras terras abducendus. Simul fame magis

acmagis ubique graſſante, altera adornatur profectio; adijcitur alterum tantum emptionis pretium: adduntur munera Ægyptio Principi ferenda; ipſe quoque Benjaminus non ſine maximo mœſtiſſimi parentis dolore, extorquetur itineris ſocius. Redeunt in Ægyptum; accipiuntur à Joſepho perhumaniter: Benjaminus præſertim, cujus præſentia amoris lacrimas excuſſit ignoto fratri: adhibentur epulo: primæ lautitiæ Benjamino dantur, iterúmque dimittuntur cum ſaccis annonariis, & pecuniâ in ijs abſconditâ, ſcyphóque argenteô in Benjamini ſaccum impoſitô. Et ecce novus actus fabulæ! Dum abeunt, ſibi ſuæque familiæ de humanitate Venditoris gratulantes, ſubitò miſſis equitibus retrahuntur ex itinere: repoſcitur non pretium tantùm tritici ſaccis iterum frumentariis abditum, ſed ſcyphus inſuper argenteus, veluti furtô ablatus. Quid multis? aperiuntur ſacci; adoleſcens (pro cujus ſalute vadem ſe parenti *Iudas* obtulerat) reus ablati argenti tenetur, & in ſervitutem depoſcitur. Omnium hîc conſternatio, nec, quid obtenderent, quídve excuſarent, ſatis habebant. Agnoſcunt facinorum quondam patratorum Ultorem Deum, humíque proſtrati, genua Principis amplectuntur, manu ferientes pectora, pérque parentis miſerandam canitiem pro Benjamino deprecantes, cauſſam imprimis perorante Juda, & ultro ſe fratris loco, ſervituti addicente, ac Beníamino impactam ſibi culpam decoris lacrimis diluente. Non potuit ultro ſe cohibere Joſephus, affectibus & lacrimis inter ſe certantibus; jubet arbitros è loco faceſcere, ſolísque retentis fratribus, in flentis ſimul, & geſtientis vo-

cem erumpens, dat sese agnoscendum, *Ego sum*, inquiens, *Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* Nolite pavere animis, DEUS DEUS est, qui vestrum in bonum in has me terras præmisit. Festinate & patri nuntiate, Josephum filium vivere; maturaret igitur cum omni domo sua iter in Ægyptum; quinquennium supereſſe famis; & Pharaoni constitutum, non ultrà frumentum extra regni limites divendere. Quibus dictis singulos suavissimè complexus, cum largo fletu in Benjamini collum ruit, lacrimas miscens lacrimis. Fama rei, primò per omnem Pharaonis aulam dicta, deinde ad regem perlata, implevit omnes gaudijs. Mox jussu regis expediuntur currus, jumenta, munera, ad subvectionem conjugum, liberorum, omnisque suppellectilis. Venit Jacobus cum universa familia & facultatibus suis in Ægyptum; Josephus acceptô de patris adventu, nuntio, curru sublimis procedit obviàm in terram *Gessenam*; redditur parens filio, filius parenti postliminiò vivus; itur in lacrimas, amplexus, oscula; regio Gessena assignatur advenis; in qua, rem curantes pastoritiam, adeò numero sunt & divitijs aucti, ut intra quindecim annos & ducentos, quo tempore Hebræi Ægyptum incoluerunt, & septuaginta capitibus, quæ cum Jacobo immigrârunt, (superaditô Josephô cum duobus filijs) posteritas succreverit ad virorum millia sexcenta, non putatâ puerorum, mulierum, servitiorum multitudine. Adeò crevit semen, quod olim Abrahamo Deus inter astra spectandum dedit. Genes. 22.

Cœterùm centum triginta natus erat Jacobus, cùm ex Chananitide profectionem in Ægyptum sus-

sce-

scepit. Ibi cùm annis decem & septem commoratus, magnas comparâsset opes, in supremam ægritudinem incidit. Ad decumbentem invisit *Iosephus*, tum temporis Ægyptius prorex, duobus cum filiis, *Ephraimo* & *Manasse*. Senex recreatus filij, nepotúmque præsentiâ, erigit sese in lectulo, demissis în terram pedibus, commodiùs admissurus in amplexus charissima capita. Adduxit utrumque Josephus adparentis genua, auspicatas avi preces excepturum. Manasses (quippe primogenitus) stabat ad dextram Jacobi, Ephraimus ad sinistram, Jacobus cœlestibus mysteriis edoctus, natu posteriorem antefert priori, decussatis brachijs, lævam imponit Manassi, dextram Ephraimo. Monitus de adolescentium ætate, manibus quoque paternis in alium situm à Josepho translatis, respondet id à se factum, haud quaquam futurorum ignarô, nam Manassæam tribum ab Ephraimitica longè superatum iri tam ditionis amplitudine, quàm multitudine colonorum. Invocato deinde super eos non DEI solùm, sed Angeli quoque Custodis sui nomine, copiosam utrique posteritatem est imprecatus. Ipsi autem Josepho, in grati signum animi, terram *Sichimorum*, belli Jure ab Amorrhæis obtentam, dedit muneri. Advocatis sub hæc, cæteris ad se filiis, monita salutis, & faustam precationem impertit; quæque seris pòst temporibus essent eventura, prædicit; Judæ præsertim, nascituri ex ipsius progenie *Messiæ*, Vaticinium edit.

Ad curas postea supremi conversus officij, petit à filijs, (id quod jam antè à Josepho, religione juramenti interpositâ promissum ei fuerat) ut cadaver

ſuum in Chananitidem revehant, & in agro *Ephronis Hethæi*, non procul urbe *Hebrone*, ubi Abrahamus & Iſaacus in ſpelunca conditi, avito monumento inferant. Quibus dictis, ſeſe in lectulo compoſuit, & ſanctam animam placidè exhalavit, anno ætatis quadrageſimo ſeptimo ſupra centeſimum. Clauſit ei oculos filiorum amantiſſimus Joſephus largas funeri lacrimas cum oſculis impendens. Eam pietatem fratres ſecuti reliqui. Corpus exanime, juſſu Proregis, à pollinctoribus vario conditum eſt aromate. Luctus ad ſeptuageſimum uſque diem extractus. Quibus peractis Joſephus cum fratribus paternum funus in Chananæam regionem, & deſideratum conditorium, magna cum pompa deduxit. Ab eo tempore Ioſephus provixit in Principatu quatuor & quinquaginta annos, univerſim octoginta; vitæ centum & decem. Ejus lipſana, uti fratres adjuraverat vivens, annis abhinc ampliùs trecentis, à Moſe in Chananitidem ſunt aſportata. Lege hinc admirandam Divinæ Providentiæ ſeriem; innocentiam Joſephi cole, & dabit tentatio profectum, aſcenſum dejectio, pugna Victoriam, mors ipſa Coronam.

NAR. XX

EXERCITATIO PATIENTIS JOBI IN JACTURA BONORUM FORTUNÆ lib. Job. c. 1. Anno M. 2398. ante Chriſtum 1655.

Cer-

CErtamen egregium spectavit DEUS, & se dignum, cum Dæmone, miserisque omnibus Jobum compositum. Illustrior hic, quàm ex triumphato Pompeius Orbe, prælio triplici tergeminam confecit palmam. Liberorum inconcussus audivit funera; spectavit tanquillus bonorum jacturam; in cruciatus omnia obtulit membra; ac demum carcinoma fœtidum, vivum cadaver, è sterquilinio vicit hostem. Spectaculum patientiæ, fortitudinis, constantiæ dedit, omnibus sæculis admirandum. Spectemus igitur virum in theatro versatili, jam opibus, jam inopiâ: modò luctu, modò gaudijs; nunc prosperitate, nunc calamitate, in oculos incurrentibus.

Jobus gente Idumæus, *Esavi* prónepos ex patre *Zara*, Princeps regionis *Hus*, seu Idumææ, inter malos bonus in medio nationis pravæ, ut virtutibus, sic opibus eminebat. Felicitatis comes fuit invidia, non tam ab hominibus, quàm Orco concitata, qui tantam virtutem eversurus, Jobum velut ad singulare certamen à superis depoposcit; urebat Acherontem integritas & sanctimonia viri, cujus fama terrâ cœlóque clara. In ejus rei experimentum obtinet à DEO potestatem, quibuscunque posset modis, Jobi vexandi, vis modô vitæ ne inferretur. Alastor in omnes nocendi vias intentus, continuò Sabæos, Hussææ regioni conterminos, excit, & armat; ut in Jobi ditionem (quæ tanta erat, ut inde regium nomen tueretur) irruptione facta, mille quingenta (cum Divino scriptore numeremus) majoris capita pecoris, boum scilicet & asinorum abigerent, custodibus ferrô peremptîs, præter eum,

qui perferret calamitatis nuntium, quem credibile est fuisse cacodæmonum quempiam, qui concutiendo Jobo, famuli pagani habitu, scissis vestibus, vultu & manibus cruentis, silens, ægro singultiens anhelitu, totus in lamenta compositus, animum excelsum deijcere laborabat, damnô tam repentinô, quàm gravi. Qui frûstra cùm esset aries, mox alter superveniens, stupens sensu, vocéque torpente (ut contingere solet, quibus tetrum aliquod prodigium apparuit) Numen inquit, ô Princeps à salute nostra aversum, adversum cœlum; iratus DEUS voracem ignem in tuos ovium (erant septem millia) greges jaculatus, unà cum opilionibus, sævô incendiô delevit, ne ullâ quidem victimâ, quâ DEUM placare possis, relictâ; Me è flammis volitantibus incolumen evasisse, quô tibi hæc nuntiarem, nescio, quo nomine factum dicam. Sed in scopulum & hic immotum incidit. Extrema verba secundi, tertius famulus lugubriori nuntiô prosecuturus excepit. Hæret enim in vestigio tertia stygis larva, pavitánsque memorat, Chaldeos equites, gentem raptô vivere assuetam, tres in turmas divisos, tria camelorum millia in prædam abstraxisse, cæsis famulîs, extra se unum, tristissimæ stragis testem. Adfuit mox quarta plaga, septem filios, tres filias, eadem in domo convivantes, vehementi turbine concussîs à fundamento, quatuor ædium angulîs, unâ sepultas esse ruinâ. Potuit hoc ab ictu dejectio sperari, si pectus aliud ferijsset. Jobus tot cladibus acceptis, nec prædones, nec fortunam, nec dæmones ipsos, malorum omnium auctores, accusans, satis habuit vestium dilaceratione dolorem suum testari,

ſtari, capútque, pro more lugentium, radere. Deinde coràm luctuoſis nuntijs, intentáque ora tenentibus proſtratus in genua, Deóque ſe flagellanti demiſſiſſimè ſubijciens: Nudum, inquit, me naſcentem, & venientem in lucem, terra mater protulit; nudum me hinc euntem, & diſcedentem eadem me iterum in gremium ſuum recipiet; è tenebris & anguſtijs materni uteri, imparatus ab omnibus vitæ præſidiis, prodii in uſuram vitæ, ſpoliatus fortunis omnibus, in ſepulchri tenebras concedam. Nihil hîc fatum, aut fortuna, aut caſus egit: DEUS, quod dedit, abſtulit; ipſe dominus, ego manceps, quæ commodatò accepi, libens reddo; redeant ad fontem, unde manârunt; maximo eſt ſolatio, DEO ſic placuiſſe, cui placere injuſtum nil poteſt. Fecerint ſanè hoſtes per ſummam injuriam, quod factum eſt; meum eſt æquô perferre animô, quidquid intulerunt illi; Deo debentur hymni, & gratiarum actiones, pro ſua æquitate & providentia, præclarè mecum agenti. Ille, quos amat, flagellat; virtutem probat, dum exercet; Ille ſpectator, ego ſum actor; felicem me, ſi in hoc theatro viri perſonam probi rectè ſuſtinuerim. Ita dixit, ita fecit; ringente Satana, & ad quatiendam tanti animi conſtantiam novas machinas moliente.

NAR. XXI.

PROBATIO JOBI IN ÆRUMNIS CORPORIS, ET ALIJS CALAMITATIBUS lib. Job. c. 2. &c. Recuperatio prioris felicitatis. c. 42. A. M. 2405. ante Ch. 1648.

QUas detegit magnanimitas, metit palmas constantia: nec tam cæpisse fortiter, qnàm perseverare victoris est. Hostis, ubi primo congressu turpiter locô motus, pedem cum ingenti damno, & ignominia ex prælio retulit, novis collectis viribus, novisque artibus, & dolis pugnandi conceptis de integro bellum apparat, invictum Jobi animum perpetua calamitatum serie dejecturus. Impetratâ igitur à DEO facultate in ipsum Jobi corpus sæviendi, & si non animum, certè linguam in maledicta adversùs cœlum impellendi; lugentem adhuc, & in filiorum funeribus occupatum invadit, maxima qua potest vi; horrendo mox ulcere totum corpus affligitur, & cum illo, morborum omnium cohors incumbit Jobo, nulla membrorum parte, à calce ad verticem, relicta incolumi. Sunt, qui morborum genera viginti quatuor enumerant, quibus Acheroniticus tortor in omne viri patientissimi corpus desæviit; per intervalla tamen; ut qui cupiebat miserum in pœnas diu provivere, & denique in desperationem præcipitari; vitam ne adimeret afflictando, cœlesti interdictô cautum erat. Initiò, quod dixi ulcus, seu phagedæna maligna, tetra, verminosa, serpens undique, miseréque depascens artus, peredebat carnes. Accessit sacer ignis, seu erysipelas, flamma per poplites & tibias maximè grassans; cui adjunctus cancer, totum corpus puri ac tumori objecit. Nec abfuit frequens animi defectio, unde similior exspiranti, quàm vivenri crederetur. Lepra ad ipsa descendit ossa, & plumbeum sanguinem, mœrores, somnia terrifica, & angores peperit. Podagra infestavit pedes, ut chiragra ma-

manus; arthritis, seu morbus articularis, omnibus in membris horribiles cruciatus excitavit. Ebullierunt hinc inde vermes; innata sunt ulcera, seu tabes purulentæ naribus, auribus, ori, & gingivæ, quas comitabantur vehementissimi capitis, & dentium dolores; cum cordis palpitatione, singultu, tremore. Adde putredinem viscerum; nephritin seu exulcerationem renum; malè olentem halitum; sanioſum sputum; pleuritidem latus instar gladij transverberantem; asthma, seu respirandi difficultatem; anginam seu phlégmonen, palatum & colli glandulas tumore incendentem, & exasperantem; profluvium alvi; bulimiam seu appetentiam caninam, cibos semper expetentem, sumptos revomentem; marcorem seu corruprionem corporis ex inedia & siccitate ortam, cum febri hectica, insomniâ, mœstitiâ, & atra bilepenè ad insaniam excruciante. Quid multis? Spectrum erat, non homo, cujus aspectus oculis, fœtor naribus intolerabilis, mephitim exhalabat, omnia tecta inficientem; unô verbô, pus merum erat & vomica Jobus.

Hinc omnium domesticorum tanquam ab extremo busti cadavere fuga; præsertim cùm integrô septenniô ea lues teneret, & pecunia quamvis copiosa, tot medicinis & adhibitis, dilaberetur omnis, ut adeò princeps nuper opulentissimus, jam ad inopitas redigeretur, alijs alia compilantibus, & ut fieri amat, ex aliena miseria suum quæstum facientibus. Desertissimus igitur, metúque contagionis, suis ipse proscriptus ædibus, velut vivum funus, à libitinariis & vespillonibus in publicum fimetum, extra urbis

regiæ

regiæ (*Denaba* cui nomen) portas effertur, ex omni facultatum copia ne vili quidem centunculô reliquô, quo pus extergeret; pro strophio aut spongia servijt testula, temerè in fimum abjecta, qua vel saniem siccavit, vel eam strigilis loco abrasit.

In tot, támque acerbis malis cùm temporis diuturnitas, morborúmque ac dolorum immanitas nihil viri fortissimi constantiam frangerent, validissimum aliud tormentum instaurat hostis, quô hominem deijciat; atque eò periculosiùs, sed verbis conficiendum. Nam uxorem (quæ ei sola ex tam magna familia, levaminis gratiâ relicta videbatur (communi plagâ adversarius exceptam voluit, usurus, non aliô, ad virum expugnandum aptiore instrumentô. Illa igitur, princeps antehac femina & regina, tot támque diuturnis calamitatibus fracta, memor pristinæ fortunæ, & præsentis egestatis, quacum conflictabatur, ut marito unguis esset in ulcere, suggerit amaro cum sarcasmo ultimæ desperationis remedium, ut post ultricia in DEUM convitia, sua sibi manu consciscat necem, sic finem tot malis inventum iri, hanc virtutis ipsius mercedem, hunc pietatis honorem esse. Hîc tum Jobus, qui nullam hactenus in dirissimis cruciatibus vocem ediderat, dolorum indicem, auditô mulieris ne farió consiliô, vultu ad severitatem composito: Quænam, inquit, est stulta hæc & impia suasio? hæccine tu ex mea disciplina & institutione? ita didicisti de Numinis providentia & sentire & loqui? *Si bona suscepimus de manu* DOMINI, *mala quare non suscipiamus?* An non æquissimum est de præpotenti manu, pari

affe

affectu fortunam admittere, sive blandientem, sive sævientem ? ille læta mutat tristibus, tristia lætis, nunquam non pater, sive severiùs nobiscum agat, sive mitiùs; nostrum est in utraque sorte ipsum amare timendo, timere amando.

Interea tanti Principis, aut regis potiùs calamitatis non modò per Hussæam provinciam, sed longè latéque per omnem viciniam, rumore propagata, excivit cognatos, tres regulos, quorum nomina *Eliphaz, Baldad, Sophar*; qui suscepto simul itinere, cùm ad mœnia urbis *Denabæ* appropinquâssent, ecce tibi, Jobum regio sibi sanguine junctum, conspiciunt in fimeto sedentem, fœdè deformatum, & ad extremum usque spiritum cum morbis & Orco luctantem; spirantis instar cadaveris. Hìc illi miserabundi, ejulatum & lacrimas edere, vestibus discissis, capiti pulverem aspergere, velut in funere luctum testari; mox humi se prosternere, septem ipsos dies calamitoso spectaculo attoniti assidere, reputantes animo, mirificam viri afflictissimi patientiam, & cum voluntate divina conjunctionem; qui ex secundissima fortuna, ex amplissimis honoribus, quibus nuper affluebat, nunc illo felicitatis gradu deturbatus, fortunis omnibus exutus, liberis spoliatus, fœdissimis morbis oppressus, omníque miseriarum genere cumulatus, cunctorum ludibrium & purgamentum abjectus esset. Diebus illis tristi silentio evolutîs, insistunt disputare magis cum amico, quàm consolationem adhibere misero, eóque collimare argutationibus suis, ut ostendant, improbum omnino atque impium esse, existimare, à DEO longè Optimo Justissimóque, quemquam in-

no-

nocentem suppliciis affici, adeóque miserias omnes & ærumnas Jobi in vitæ anteactæ pœnas, esse referendas; quibus ille sese opponere, vitæ suæ innocentiam, quoniam ita cogerent, pertrexere, docere, nequaquam Divinæ sibi Sapientiæ, sive benignitati adversum esse, quòd calamitatibus exerceantur innocentes, & supplicia differantur nocentûm. Disceptationi DEUS ipse silentium & finem imposuit, excitato turbine, pérque nubem oraculô editô, quô controversiæ sententia pro Jobo pronuntiabatur.

Is verò, Sathanâ in hunc modum turpissimè victô ac profligatô, pristinæ mox, aut meliori etiam valetudini restitutus, & de cœlo ob virtutem commendatus, cum priore fortuna Amicos recepit; à quibus inter applausus & congratulationes reductus est in regiam, certatim omnibus inopiam ejus munerum largitionem levantibus, dignitatem ornantibus, atque amplificantibus; tantis quidem incrementis, ut fortunæ amissæ alterô tantô redirent copiosiores; exceptô filiorum & filiarum censu, quos eodem, quô priores, numero suscepit ex uxore, utique jam saniore; & tantò feliciore, quòd posteriores liberi, & pulchritudine præstarent, & indole; nec in terræ modò ampliorem, sed cœli hæreditatem geniti; quibuscum parens rerum omnium affluxu, & præteritorum malorum recordatione beatus, centum insuper & quadraginta annos provixit, universim ducentos & septemdecim. Decessit anno Mundi 2544. Ante Ch. 1509. Sepulchrum habuit juxta Jordanem in regione Trachonitide, pyramide insignitum. Fuit is, Patriarcha populi DEUM extra Israëlitas colentis, sive genus ipsius spectes, sive vivendi ratio-

nem.

nem. Fuit Propheta, qui inter alia arcana, Oraculum de resurrectione corporum admirabili claritate profudit. Fuit Martyr, non tantùm supplicíorum acerbitate, sed etiam causâ. Fuit Doctor, & gentium Magister & verbis & factis. Fuit Sacerdos, cujus ipse munus sæpius pro filiis & amicis sacrificando ostendit.

NAR. XXII.

MOSIS ORTVS, EIUSQUE AD PHARAONEM, ÆGYPTI REGEM LEGARIO

Exodi 1. 2. 3. 4. Anno M. 2451. ad Annum 2543. ante Ch. 1570.

ISraëlitæ, postquam in Gessenam, Ægypti regionem descenderunt, annorum centum & decem intervallô, in immensum excrescentes benevolis semper regibus usi sunt, Iosephi meritorum in Ægypto gratâ memoriâ. Post cujus decessum alius Pharao, propria nuncupatione *Amenophtes* vel *Amenophis* Ægyptijs imperavit, perinfensus Hebrææ genti, quam pecunijs primùm exsuxit; deinde mutuum sumere coactos, nec tamen solvendo pares, per creditores in nexum, nervum, servitutem traxit. Per operum quoque locatores, mercede justa defraudantes, ad acerbitatem & laboris detrectationem eos perduxit. Detrectantes nihilo seciùs ad opera per exactores & præfectos adegit: ut luto subigendo, látere coquendo, saxis cædendis, calce miscenda, convectando sabulo, corradendis are-

nis, egerendo limo, glebis effodiendis distinerentur: & quidquid in omni regno sordidi negotij, vel despecti ministerii reperiri posset aut excogitari, manibus id Israëliticis universum tractaretur. Id ni facerent, tergo luerent. Additum crudelius imperium obstetricibus, ut Hebræos masculos omnes, simul ac editi forent, elisis faucibus suffocarent. Quam barbariem cùm obstetrices, pijs fraudibus eluisissent, ipsis mandari parentibus cæptum est, inaudita legis immanitate, Parvulos ut mares statim ab ortu, Nilo demergerent: femellas, Ægyptiorum famulitio, libidinique reservarent. Qui secus fecissent, capite luerent. Cùm autem ne sic quidem Hebræa virilitas imminueretur, tyrannus structurarum & ædificierum omne genus (præter duas urbes *Phithonem* ac *Rameſſen*, opum & thesaurorum custodias eductas) commentus est, in alijs insuper urbibus ac castellis instaurandis, permuniendis, obvallandis, Nilo in multas fossas diducendo, & aggeribus eas cingendo, ad miseros diris modis delassandos; donec uno, trigintáque regiminis expletis annis, infelicem animam Tartaro, vicissim torquendam transmisit.

Quem in regno post alios secutus est *Cenchris*, cognomento & ipse Pharao (nam hoc nomen commune omnibus Ægypti regibus) eousque progressus est immanitatis, ut Israëlitæ, qui sub jugo tyrannidis hucusque regum aliquot servierant, sub isto potissimùm gemuisse, tanquam in fornace ferrea, perhibeantur. Quibus ærumnis finem ut DEUS faceret, *Mosen*, *Amrami* & *Iochabédæ* filium, *Levi* nepotem, libertatis vindicem adhibuit Anno M. 2543 Ante Ch. 1510. Ejus ortus ita se habet.

Se

Staellites Ægyptij tertio quoque menſe Hebræorum domus ſcrutantes, curam injecerant parentibus, ut infantem (tunc nominis expertem) ob oris venuſtatem, ſagaci tegerent cuſtodia, ne rumor nati, ne vagitus flentis, ad cujusquam aures exirent. Quando verò ad eam ventum erat neceſſitatem, ut incertæ morti puerum committere præſtaret, quàm illum, totámque familiam tyrannico furori objicere, mater filiorum in fiſcella ſeu corbula de ſcirpis contexta clauſum, rimis diligenter bitumine & pice óblitis, demittit in Nili, quà tenuiſſimus tunc amnis ripam lambebat, vadum, & in carecto abſcondit, datis filiæ puellæ mandatis, ut, quid illo tandem futurum eſſet, velut aliud agens, cominus exploraret.

Fortè ſic res, imò cœleſte conſilium tulit, ut eodem illo, quo puer expoſitus erat die *Thermutis*, Armenopthæ regis filia ſecundùm flumen deſcenderet, meridiani temporis calorem lavacro temperatura. (Nymphæum ad Nili ripam fuiſſe videtur, parietibus circummuntium.) Jgitur illa cùm in hærentem carici fiſcellam incidiſſet, & aperuiſſet, vagientem in ea puerum, forma conſpicuum invénit, & exabſecta pellicula, ſtatim Hebræum eſſe cognovit. Partim autem miſericordia ſtimulante, quam infantis decoræ lacrymæ provocabant; partim, quòd liberis ipſa magnas inter opes, carens, ex adoptione ſaltem, ſterilitatis remedium quæreret, tolli parvulum juſſit, ac nutriri. Puellæ ſororis accurrentis, & operam ſuam in adducenda nutrice pollicentis, ſedulitate factum eſt, ut eum non alia lactaret, quàm eadem illa, quæ pepererat. Hæc à lacte

tandem depulsum Thermutidi reddidit; quæ Mosis seu Moysis ei nomine (propterea quôd ab undis extractus esset) haustô, filium adoptavit. Septimum deinde ætatis annum ingressum, superinductis instructoribus, Ægyptiorum omni litteraturâ curavit imbuendum, & liberalibus in Aula disciplinis expoliendum. Qui postquam adolevit, nuntium Aulæ regiæ remisit, & idolatrarum profana commercia vitans, Israëlitarum cœtus frequentavit. Unde Sacrificulorum Ægyptiorum indignatione, criminationibúsque labefactatus, regíque delatus, quod Ægyptium quendam, Hebræi percussorem, neci dedisset, ut supplicio se subduceret, ex Ægypto in *Madianitida* regionem profugit, ibíque *Raguelis*, cognomento *Iethronis*, filia *Sephòra* in uxorem ductâ, ex eáque duobus susceptis filijs, gregum soceri sui custodem & pastorem in solitudine *Pharan* egit.

Nam Moses sibi, Deóque vacaturus, vitæ sese pastoritiæ addixit in regione, ubi minimè nasceretur. Fortè sederat ad puteum fatigatus, cùm supervenêre septem filiæ Sacerdotis Madianitici, viri Principis, ad hauriendam aquam Mose officiosè earum operam adjuvante. Cúmque cuperent greges adaquare suos ex alveis, quos undâ repleverant; prohibentur à pastoribus, alieno labore per vim fruituris. Moses, qua erat & corporis dignitate, & animi robore, insurgit unus contra plures, fugátque rudem & ragrestem ferociam. Puellæ beneficiô hominis peregrini domum nuntiatô, jubentur à parente redire ad fontem, & invitare in ædes hospitem tam humanum. Ejus præsentia adeò delectavit Jethronem, ut filiarum unam in matrimonium ipsi daret;

vi-

vicissímque à genero veri Numinis cultum jam tum, ut Salianus vult, acciperet, anno scil. Mundi 2506. Exod. 2. Interea Moses custodem pecoris agere perseveravit, annos omnino 40. Donec anno M. 2543. ad radices Horebi montis (qui pars est jugi Sinæi) pascenti, Angelus DEI vices repræsentans, in rubo flagrante quidem, nec tamen conflagrante, aspectabilem se fecit, denuntiavítque, iret legati munere regem ad Ægyptium, Israëliticæ gentis oppressorem: ut illius sic gratiis, sive (quod certiùs futurum) ingratijs, Hebræos omnes ex Ægypto deduceret in opulentas Palæstinæ regiones. Adversùs id imperium, humili de se ipso sensu, nitentem Mosen, & excusationibus super imperitia sua, variis tergiversantem, animat gemino, novóque prodigio; primùm quidem, virgæ pastoritiæ; quam proijci jussam, verti vidit in colubrum, ac de colubro rursus in virgæ naturam, formámque reverti. Deinde manûs in sinum suum immissione mundata: quam Moses primô, leprâ coopertam retraxit; altera mox retractione penitus sibi restitutam, ac sanam recepit; adjecta his pollicitatio, Nili fluminis in sanguinem olim trausmutandi, & fratris ei Aaronis eloquentiâ valentis (linguæ enim balbutiem excusârat Moses) adjungendi.

Tot ac tam gravibus exstimulatus hortamentis Moses coacto Procerum Hebræorum & Seniorum cætu, expositóque manus in sinum immissæ leprâ correptæ, luéque depulsa retractæ; Nili præterea haustæ lymphæ repentino cruore infectæ, specimine edito, cum Araone fratre, omnibus approbantibus, ad Pharaonem regem adit DEI mandata diser-

tis verbis exponit: Israëlitarum omne nomen, itinere triduano, poscit in Arabiæ deserta emitti; Deo cœli victimis illic certis, ac lege præscriptis, sacrificaturum. Adquæ postulata Tyrannus graviter excandescens, eos non tantùm à se repulit, ejecitque; sed mox diriùs etiam Hebræos haberi jussit, adigique ad stipulas, paleas, & omnis generis quisquilias undique comportandas, sectásque luto miscendas, & laterum pensum severiùs præstandum; instantibus operum præfectis, quâ verberibus, & nudata terga, loris ac flagris scindentibus. Ita furentem Tyrannum, cùm Moses & Aaron, mandatô divinô, rursus conveniissent & populi dimissionem nequicquam ursissent, denique expugnandæ, plectendæque pertinaciæ, ad prodigia & supplicia ventum est. Nam Vindicta divina à mitioribus remediis ad acriora; & à minoribus supplicijs ad extrema procedit, tantóque ferit durius, quo lentius coquit in obstinatos fulmen.

NAR. XXIII.

DECEM PLAGÆ ÆGYPTI,

Exodi 7. 8. 9. 10. Anno M. 2543. Ante Christum 1510.

Sicut Pueri nequam, & pervicaces verberibus fiunt duriores, ita Scelerati flagellis à DEO incussis. Posteaquam missionem deneganti Pharaoni, & inani potiùs cupiditate, quam obsequendi voluntate, legationis indubitabilem veritatem,

tem, jubenti prodigijs obsignari, innoxia primùm spectacula exhibita fuerunt, virgâ Mosis pastoritiâ, ab Aaraone ante Regis oculos projectâ, & in serpentem conversâ, colubróque magorum incantationibus productos, devorante; horrendæ tandem plagæ & obstinato Tyranno, & toti Ægypto incubuerunt, excepta regione Gessenâ, ab Hebræis inhabitatâ. *Prima* itaque *plaga* fuit, Nili virgâ Moseâ percussi mutatio spissum in cruorem; cujus unda, piscibus & crocodilis extinctis, putrefacta, ad potum inhabilis Ægyptijs est effecta. Quæ pœna cæteras etiam aquas, lacustres, fluviales, ac fontanas involvit: ut ad effodiendorum fontium novorum laboriosam necessitudinem adigerentur Ægyptij.

Non multò post ijsdem in undis, è quibus primùm cruor eductus fuerat, *Ranarum* immanis protracta multitudo; coaxatione, lue, sordibus, ac saltu, quidquid in Ægypto publicum erat & penetrale, complet; ne cubilibus quidem, lectulorúmque recessibus illi fæditati relictis inaccessîs. Ranas secuti sunt *Cinphes*, seu culices è terræ pulvere producti: genus animalculi minutissimi, pennatum; quod in aëre suspensum, ingentium instar nubium, sed si singuli volent, oculis indeprehensum, stimulet priùs ac vulneret, quam prævisum caveri queat. Eorum examina, velut extensa nubes, totam obumbrabant Ægyptum, aculeatis corpora stimulis terebrantes, nares etiam aurésque pervadentes, in oculos involantes.

Ciniphibus *Muscæ* successerunt, omnis generis ac nominis muscæ, quæ copiâ, volatu, proboscide, ma-

maculis, & inquietudine; quin & admorsu, linctúque fœdo gravabant homines, mordebant jumenta, contaminabant mensas, inquinabant vestes ac vasa, pervagabantur omnia: Terram tantummodò Gessenam relinquebant intactam. Quod idem discriminis alio quoque tempore videre fuit, Ægyptios inter & Gassenos inquilinos. Cùm illos quidem, muscîs, jam depulsîs, pecorum *pestilitas* ac strages; humanorum item corporum *ulcera* turgentia torquerent: Cùm item magnitudinis inauditæ *grando*, fulminum discursu mixta: grandinique succedens *locustarum* innumerabilis multitudo; post locustas verò *tenebræ* triduanæ densissimæ cruciarent. Hebræis autem in Gesseno tractu, suum pecus, sanitas, segetes, horti, lúxque serenissima constarent indemnia. Graves hæ, non antehac mortalibus auditæ compertæque plagæ, nec tum quidem obstinatum regem, & Ægyptios permoverant: ut æqua mente, quòd Israëlitæ petebant, eis concederent; fluctuante Pharaone semper animo, & nunc abitum promittente, mox negante, ac pernegante: nunc portentîs tertiô, ac pertinaciæ pœnitente; paulò pòst in veterem pervicaciam relapsô, tanquam ludus quidam ac voluptas esset, *Iratum variè semine DEVM.*

Ad Insitam Tyranni cruditatem, & moribus sævis irroboratam duritiem, haud parùm momenti attulerunt, consultores mali, pessima regiarum pestis, duo superstitionum Ægyptiarum præsides, ac sacrificuli, *Iannes* ac *Mambres* perpetui Mosis ac divinæ Legis oppugnatores. Erant hi præstigiatores ac Magi, simiæque Mosis & Aaraonis, conati, quidquid

quid egissent illi, Tartareis & ipsi viribus agere: miraculorum verè divinorum elusione fallaci. Tentârunt hanc elusionem impostores illi, quoad Numinis permissu concessum est: virgarum in viperas mutatione, rivorum in cruorem conversione; ranarum ex undis evocatione: ciniphum autem è pulvere suscitaturi copias, altiore vi prohibiti, defecerunt: *DEI digitum illic*, non hominis aut dæmonis operam esse, confessi. Peste verô jumentis, & ulceribus immissis Ægyptiæ genti, ne consistere quidem coràm Mose sano valentéque, nedum incantare Magi sustinuerunt, doloris magnitudine subigente.

Has inter DEI Legatorum, ac Regis contentiones atque certamina, dilapsô jam annô, Moses Numinis præceptô profectionem indicit suis: aui ab Ægyptijs, ad ea, quæ forent in futurum exequenda sacrificia, multa vasorum suppellectili, tum ex auro, tum ex argento, vestibúsque pretiosis mutuatis, pretiosissimis eos rebus sub specie mutui exspoliârunt, DEO Præceptore summo, jus dicente, cujus est terra, terræque plenitudo. Cæterùm atrociſſima præ cæteris plaga hunc in modum inflicta est. Agnus ubi præscriptus in cænam, ex lege ritúque consumptus ab Hebræis erat, lumborum tenus præcinctis, manu baculos tenentibus; mediô noctis intempestæ cursu, silentibus omnibus, altúmque stertentibus, Angelorum sub unius é præcipuis vexillo, repentè de cælo decurrit innumerabilis exercitus. Hic somnijs primùm horrendis, Ægyptiorum perturbat quietem. Mox districtis imperij divini romphæis, quidquid in Ægypto tota

pri-

primò natum aut jumentorum esset, aut hominum, inaspecta trucidat plaga: thalamis ac stabulis Hebræorum, quorum postes agni cæsi sacro cruore erant illiti, cunctîs prætermissîs. In ea strage Pharaonis quoque cecidit filius, in spem ac successionem imperij destinatus. Clamor erat morientium, cum clamore parentum mixtus; & ululatu vesano, planctibúsque cœlum feriebatur; illætabilis ubique questus, confusíque luctus ac funera.

Primus Pharao cum Optimatibus, mox omnis Ægyptus urgere Hebræorum abitum, rogitaréque, ne cunctarentur; neque venerat in mentem, ut quæ paucis ante diebus pretiosa vasa cum vestimentis ac supellectili commodatò dederant, ea nunc, ante profectionem repeterent. Haud minori studio, quám urgebatur, Israëlitæ quoque discessum festinabant; raptim omnes ac singuli, pro se quisque pecora sua, filios, jumenta, sarcinas, ac, quæ portari possent, fortunas eripere. Quòd verò cocti jam cibi nihil, nisi quod sale forsan conditum, & in diurnitatem sepositum esset, ad manum occurreret, farinam conspersam, & aquâ tantummodô, sine fermenti mixtura, madefactam pallijs involvere: tum humeris inijcere, sive suis, sive famulorum & ancillarum. Inter cætera verò, quorum simul efferendorum eos cura stimulabat, non oblitus est Moses ossium, reliquiarúmque corporis Iosephi, castissimi Patriarchæ, ne voluntatem ipsius supremam præteriret. *Et alioquin vivorum felix comes est, Ut Sanctus, etiam extinctus*, quippe virtute cælestis hominis in mortuis etiam ossibus, adhuc spirante.

NAR.

NAR. XXIV.

PHARAONIS ÆGYPTIJ REGIS CUM EXERCITU SUO, IN MARI Rubro ſubmerſio: Iſraëlitarum per illud ſiccus tranſitus.

Exodi 14. A. M. 2544. Ante Chriſtum 1509.

IDem qui ceram liquat Sol, lutum indurat, exſugendo humorem, quo priùs molliebatur. Eodem pænè modo cor hominis indurat DEUS, ubi ſceleratis ſubtrahit gratiæ rorem quo bonos aſpergit. Induratum cor Pharaonis probavit DEus, ſi vel effuſo mari integro poſſet emolliri. Et hæc poſtrema reſtat dicenda, omniúmque graviſſima Ægyptiorum plaga, & funeſtiſſimus tragœdiæ exitus. Cùm jam nihil eſſet, quod moraretur Hebræos, Ægyptijs inſuper impellentibus, dant ſe in viam. Agmina prima puerorum erant, ac mulierum, & ſeniô confectorum. Millia deinde plusquàm ſexcenta, rubuſtorum in prœlio virorum, qui quini per ſeriem & ordinem militarem incedebant. In medium agmen impedimenta receperant, in quibus & greges erant & armenta pecorum ac jumentorum. Claudebat expeditionem promiſcuæ multitudinis, ſervitiorum, vernarum, & qui ſe volones ex Ægyptijs melioribus adjunxerant, exercitus innumerabilis. Ad vicies centena millia, turbam omnem abeuntium aſcendiſſe, non abſurdè arbitrantur doctiores. Exibant autem lætiſſimi, quòd à tergo ſuo nonaginta trium annorum duriſſimam ſer-

servitutem relinquebant; à fronte verò, libertatis ampliſſimam ſibi januam viderent apertam. Recreabat imprimis oculos, animósque nubes lucidè denſa, quam in columnæ quoddam altiſſimæ ſimulacrum erectam, ac principio ſtatim profectionis divinitus præire juſſam, Angelus itinerum moderator inſidebat. Hæc de die quidem, lucis ac ſpiſſitudinis temperamentô; de nocte verò flammante ſulgore, conſpicuam ſe præſtabat. Eâ proinde columnâ, ſed magis Angelô, Deóque ducibus, non rectâ viâ Palæſtinam petebant, cum nollet DEUS, præliorum minùs, quàm flagellorum ſcientem populum, Philiſtæorum bellicoſæ gentis occurſu proteri, ſed eos, per ambages, & loca deſerta, retrorſum expeditione flexa, circumduxit.

Tertiô, poſtquam profectionem iniverant, die, Pharao per explorationes compertô, non id ab Hebræis agi, ut Numini ſuo litent, ſed ut occultâ ſe fugâ dominis ſubducant, indignatus ſuæmet, quâ tam inconſideratè multitudinem tantam dimiſiſſet, indulgentiæ, quidquid virium per ſummam celeritatem contrahere potuit, contraxit, & adversùm fugientes eduxit; In cetero terrore quadrigarum rotarúmque ſomidabilium, erant ſextenti falcati currus; ex his gladij prominebant & haſtæ, crudeliter occurſantes laceraturæ. Ioſepho teſte, ſcutati Ægyptiorum pedites ducenta millia, equites quinquaginta millia impleverunt.

Sextus ibat à ſuſcepta profectione gentis Hebrææ dies; quo die ſtabant hi quidem, columnâ nubis antiſtite, ſupra rubri maris oram, ſubjectos inſani freti fluctus, oculis, ac mente futurorum incertâ, deſpe-

spectantes, Rex autem, & Ægyptus armata, cùm in fugitivorum tergis hærerent; ingénsque omnium pavor, & adversùm Mosen expostulationes orirentur, Angelus se in columna nubis, medium inter Hebræorum terga, frontémque barbarorum insequentium collocavit; illos quidem, longè latéque fuso lumine antrorsum illustrans, ut certo vestigio graderentur; in hos verò tenebras à columnæ dorso spargens, & spissæ caliginis interpositu, fulgurúmque terroribus viam præpediens. Ibi tum Moses, cùm priùs ad mittendum conceptum pavorem, & ponendam in DEO fiduciam suos adhortatus fuisset, manum, quâ solitam sibi virgam tenebat, super Erythræi maris æquor extendit; quod continuô in geminum latus discedens, utrinque se, murorum in formam & altitudinem erexit, undísque sublimè suspensîs, siccam transeuntibus Israëlitis viam pandit; trepidantem multitudinem præeunte *Mose*; mox *Aminadábo* Iudææ tribus principe, cæterísque horum exemplô certatim subsequentibus; quos dum caliginosæ nubis protectione munitos insequuntur hostes; & alij Hebræorum in litus evadunt; alij pendentes inter gurgitum montes viribus summis, ne vel à fluctibus coëuntibus, vel ab imminente cervicibus Pharaone intercipiantur, effugium intendunt; alijs, num pergerent fugientes, an potiùs ultrò se Pharaoni derent, ambigentibus; ecce tibi è columna nubis Angelus, medias inrer tenebras, quas Ægyptijs oppositerat, terribilem formam, & mortali quacunque specie venerabiliorem oris majestatem indutus, minacibus primùm ac flammantibus oculis perstringere cœpit hostem; mox con-

glo-

globatis spississimis undequaque nubibus: & infrà quidem fremente mari, superiùs autem æthere tonante, crebri fulminum, ignitorúmque telorum ac lapidum jactus in hostica spargebantur ora, tempestatem horribilem intorquente, castrorum, quem dixi, Angelo mirificæ nubis insessore. Strages erat unà virorum, equorum, curruum falcatorum, ac militarium quadrigarum. Feriri fulminibus equites, pedites, jumenta, tela: subverti currus, & in frusta dissilire rotæ. Clamor interim, & increpatio, Pharaonis; ringentis victoriam turbari sibi. Clamor invicem & ducum ac bellatorum; Pharaonis irritum imperium esse, vociferantium, & ad fugam potiùs ac receptum, quàm ad pugnam mutuô sese cohortantium, DEUM enim cœli bella gerere pro suis Hebræis. Jámque pergentibus alijs ad imperata regis exsequenda, plerisque verò regressum in littus Ægyptium urgentibus; inter se studijs ac vijs diversis impliciti, nec quid agerent, omitteréntve, nec quorsum viam intenderent, Ægyptij certum habebant: pergentibus interim, ac summa celeritate nitentibus in littus extremum Israëlitarum reduîs. Pharaonem, tandem ipsum cœlum, mare, strages exercitûs, ac victoriæ desperatio compulerunt in fugam. Sed hanc intercluſurus DEUS, in medio recedendi furore, mandat Mosi: virgam suam pastoritiam ac manum, super undas explicaret; quáque via se reciperent Ægyptiarum legionum reliquiæ; fluctibus utrinque stantibus missionem daret, ac reditum in locum suum. Id exsecutus Moses, sub ipsum surgentis solis ortum, Pharaoni cum suis omnibus induxit occasum. Recurrentibus enim,

nim, quà fugiebant illi, conjunctísque denuo fluctibus; Canchres Rex, & quotquot tempestas cœlestis reliquos fecerat, cum omnibus bellici furoris instrumentis, apparatúque, sepulti sunt, Arabici sinûs voragine, ne nuntiô quidem tantæ cladis superstite emergente. Hebræi enatantia cadavera læti spoliârunt, armatíque detractis, quæ proxima nocte formidârant, telîs, salutem ex inimicis induerunt; loricas illas, & galeas, ac thoraces ferreos in sui tegumenta vertentes, quæ fornaces olim Ægyptiæ procuderant in eorum exitum. Secutum est epinicium, Mose quidem viris, *Mariâ* vero Mose sorore, suo sexui præcinentibus. Hic finis Cenchræ fuit Pharaonis; Regis quondam Ægyptiorum; exagitatoris Hebræorum; contemptoris magni DEI; ludificatoris divinæ voluntatis; contumacium omnium exempli singularis; & hodie Tartareæ fornacis incolæ: cujus ille sempiternos ad ignes, descendit, Ægypto comite, medias per undas. Enimverô sentit nunc, qualem lacessiverit Dominum. Jacet æternum perditus, & cum illo jacebunt, quicunque putant, se posse illudete Divis.

NAR. XXV.

ISRAELITARUM PROFECTIO PER DESERTUM, ET MIRABILIA DEI IN EOS BENEFICIA.

Exodi 15. 16 17. Anno M. 2544. ante Ch 1509.
Anno primo ab exitu ex Ægypto.

For-

FOrtuna levis est: levius cor humanum. Nuper exoptata nauseat, & non pridem fastiditu requirit. Post siccum Maris Erythræi transitum, cùm triduô integrô nulla potabilis aquæ fieret copia, venerunt Hebrœi ad locum (nomen ei *Mara*) undis quidem divitem, sed quarum amarities, sitientium elusit desiderium; unde querulum exortum est murmur; cui compescendo Moses certi generis lingnum à DEO ostensum immittit in aquas, eásque momentò reddit dulces, & gustatu suaves; sive vis ea nativa fuerit ligni, hactenus ignorata, sive tumprimùm ad præsentem usum à Deo indita.

Unum jam mensem in itinere faciendo, & commeatum absumpserant, cùm infelicitatis suæ cum priore fortuna, quam sibi stolidè finxerant, & inopiæ, cum copia contentione, in improbas iterum querelas & minas, adversùs Mosen & Araonem, duces suos, prorumpunt malè domita capita, repoſcunt cum expostulationibus ollas carnium in Ægypto relictas, flagellorum & diræ servitutis proterve obliti Apellæ. Quorum murmuratio cùm ipsum pugnaret in DEUM, is tamen quasi aliquô provocatus obsequiô, non necessitati tantùm alimenta, sed gulæ quoque delitias subministrat, convolante tanta vi coturnícum, ut tertium in mensem omni multitudini sufficerent.

Nec eo munere contenta Divina Liberalitas, suavissimum ex æthere manna effudit, in pruinæ modum, per omnem castrorum circuitum latè terram obtegentis, quod sive elixum cacabis, sive frixum in furnis; sive incoctum etiam, seu crudum, neque fra-

fractum, ut quemvis desiderabilem proborum palato saporem repræsentabat: sic impijs murmuratoribus, in pœnam & nauseam cessit, sili quas & furfura se mandere credentibus; adeò lingua maledica gustum omnem perdiderat. Concurrebant in eo cibi prodigio complura miranda; nam dimensum in singula quotidie capita, cœlitus præscriptum, (Hebræis *Gomor* Græcis *chœnix*) erat commune viro, puerόque; neque plus colligere poterat manus avarior; neque minus, parcior; esca nec servanda in diem posterum, nisi putridam vellent: nec æstuante sole relinquenda in agro, quippe calore diffluxura? sexto quovis die cadebat copiosior, etiam in septimum seu Sabbathum suffectura; ídque per annos omnino quadraginta; totô nimirum peregrinationis Israëliticæ, per deserta, tempore. Et tamen inventæ sunt fauces, quæ nauseabant has delicias. Ægyptio cucumere, peponéque corruptæ.

Vix ea seditione compositâ; quis credat, aliæ super alias sunt exortæ. Nam cùm progressi, castráque metati in regione *Raphidin* penuriâ laborarent aquæ dicam, an hauriendæ è DEO fiduciæ; rursu ad superba jurgia, & impias adversùs cæleste Numen querelas convertuntur; erant in medio beneficiorum divinorum cursu, quibus diu noctúque fovebantur; erant in clara luce miraculorum, quæ omnium perstringebat oculos; illi tamen pro eo, de missis ut à cælo precibus siti remedium efflagitarent, tumultuosis vocibus Mosi lapidationem intentant, nisi mox aquas unde unde eliceret; insolentiâ suâ, Divinæ quoque præsentiæ ac gubernationis, tot jam prodigijs demonstratæ experimentum capturi. Meruis-

set hæc linguæ protervia, siccas ut intra fauces con-
tabesceret, nisi cum perduellium contumacia ma-
luisset certare DEI clementia, beneficijs odia pen-
sandô. Percutitur igitur Numinis jussu petra Ho-
ba, eâ ipsâ virgâ, quâ Moses potentiam, cœlo ter-
ræque dominantem, sæpius jam per prodigia pala-
fecit. Et ecce! erumpit latex non minore limpi-
ditate, quàm copiâ, sitimque simul & obmurmura-
tionem extinguit.

Hanc cœli gratiam statim consecuta est alia, quan-
do in Arabiam Petræam delati, *Amalecitarum* fines
attigerunt. Erant ij ab *Amalece*, Esavi nepote, ori-
undi; quorum rex partim inveteratô in Jacobi po-
steros odiô, ob præreptam patris *benedictionem*, partim
metuens populationem agris; excitâ oppidatim ju-
ventute, petentibus transitum, negavit; quòd si ar-
mis viam sibi aperire conarentur, sperabat integris
viribus, & recenti milite, se fessos itineribus & com-
meatuum inopiâ, facile superaturum. Qua re per
exploratores Moses cognitâ, fortissimum quemque
bellatorum deligit, iisque *Iosuen* seu *Iesum* imperato-
rem præficit, aleámque pugnæ committit. Ipse
cum fratre *Aarone* & *Hure*, Mariæ sororis marito, a-
scendit collem montis Horebi, procumbit in preces,
extentis cœlo brachijs. Conseritur interea præli-
um; mira res! pendet victoria ab inermi. Vin-
cit Hebræus, levante manus in altum Mose; suc-
cumbit, succumbente precantis habitu. Aaron i-
gitur & Hur sustentant fatigati Ducis brachia simul,
& victoriam; quæ cum die finem habuit, Amale-
citis cum suo rege fusis, fugatis, trucidatis, & opimis
inde spoliis relatis. DEO victoriæ datori exstru-

ctaara parata sacrificia, beneficij memoria dicata; Amalecitarum omnis posteritas, decretô Numinis, diris & cædibus devota. Usque adeò severa vindicta incumbit illis, qui in eos, quos DEUS in oculis habet, crudelitatem exercent, quemadmodum Amalecitæ Hebrææ genti innoxium transitum petenti ferrum & furorem obiecerunt.

NARRATIO. XXVI.
LEGISLATIO DECALOGI. ADORATIO VITULI AUREI ULTRICES GULOSORUM POENÆ: ET MARIÆ, SORORIS MOSIS.

Exodi. 19. 20. 24. 32. 24. Numer. 11. 12. 20. An. M. 25.44. & 2545. 2575. Ante Ch. 1507. 1508. & 1478.

MOtis ex Horebo castris, ad montem ubi Sinam consederunt Hebræi, Moses interpres & internuntius inter DEUM & populum, ascendit in jugum, accipitque responsa Numinis, quibus gens Israëlitica in peculiarem favorem deligitur, & adoptatur, magnis adjunctis promissis, si vicissim obsequia, fidémque spondeat. Quod omnium mox consensu, verbis magis præstitum, quàm factis. Sub hæc constituti per circuitum montis termini, ultra quos, pœnâ mortis propositâ, non progredi, consistere liceret. Fortè mirabitur quispiam, suam à DEO legem, inter tonitrua tertorésque promulgatam. Verùm uti necesse est,

amor leges mitiget, ita pariter firmari debent timore. nunquam ad mandata attentiores sunt mortales, quàm cùm calamitatum fulmina in eos ruunt, cùm grandine diversarum cladium insternuntur; tum arrectis adstant auribus, séque omnia facturos, amplissimè pollicentur. Tertia pòst die cœperunt magno fragore sonare tonitrua, micare fulgura, clangere buccinæ, in modum lampadum coruscare nubes, mons contremiscere totus & fumare; in cujus vertice Angelus, DEI legatum agens, igneo splendore circumdatus, omnibus ad terrorem concurrentibus (nam ad contumaciam gentis in officio continendam, erat Numinis reverentia, metu incutienda) Mosen ad se evocat & Aaronem, vocemque terribili leges Decalogi promulgat; quas deinde Mosi seorsim accersito, post quadragintadiale jejunium tradidit, geminis tabulis lapideis comprehensas, cælesti scriptas manu. Quo tempore Vates multa cœli arcana didicit, Ritus, Sacrificia, Leges judiciarias, constructionem Arcæ fœderis seu testamenti, in hanc quoniam duæ Legis tabulæ continebantur, ideò summa ejus religio & veneratio omnium mentibus insita. Erat ea cista quadrangula, longa duos cubitos cum dimidio, sesqui-cubitum alta, ex ligno Sétino (quod nescit cariem) auro obtectô. Eam operiebat tabula, seu operculum aureum; quod *Propitiatorium* vocabatur, insistebant duo juvenes alati, Angelorum specie, partim alis, partim corpore tabulam tegentes; *Cherubini* in sacris litteris appellantur. Accepit quoque ideam Tabernaculi seu Tentorij Castrensis, tribus parietibus e tabulato ligneo constantis, duobus longioribus,

tri-

triginta cubitorum singulis; unô versùs Austrum, alterô versus Aquilonem; tertiô breviore, decem cubitorum; qui ab occasu prædictos duos longiores clauderet, parte Orientali apertâ relictâ. Hoc septum quaternis velis operiri jussum, scilicet primo byssino pretiosiore, *altero* cilicino, *tertio*, de pellibus arietinis, *postremo* de pellibus hyacinthinis (tassorum, ut in Hebræo habetur.) Apellatur verò sacris in Litteris Tabernaculum hoc, sanctuarium, quòd esset Arca fœderis in eo reposita, & Divina Majestas ibi tanquam in oraculo responsa consulentibus dando, præsentem se, & Præsidem, Tutorémque populi sui præberet, certis solennibúsque diebus, ad preces, sacrificia, laudésque DEI celebrandas, ejúsque legem audiendam, eò corvenientis. Præter structuram Arcæ & tabernaculi, Mosi in eo secessu descriptum, designatúmque, quidquid ad universum sacrorum apparatum pertineret.

Quis non crederet, eô quadraginta dierum intervallô, quo religiosissimus Hebræorum Ductor, Dei consuetudine in *Sinæo* jugo utebatur, populum ad radicem montis, latè tendentem, pari religione, datam cœlo fidem culturam fuisse? Alia omnia. Ducis absentia vertitur iu occasionem sceleris, & nefandæ superstitionis licentiam. Nihil jam memoria gratiarum, largè cælesti sinu fluentium: nihil fœderis cum DEO initi, pactíque sacrosancti ratio valet; itur in sacrilegum nefas ab omni multitudine, solîs exceptîs Levitîs, neque cunctîs tamen; & siqui alij impietati restiterunt viri boni. Aaron Mosis frater, & imperij consors, religiosi cæteroquin in DEUM animi princeps, sed æquô timidioris, importunis

juxtà & nefarijs poſtulationibus adigi ſe patitur (cunctabundus tamen, credibile eſt enim, ſpem habuiſſe diſcutiendi ſceleſti conſilij, tum ſui procraſtinatione conſensûs, tum maturato fratris è monte deſcenſu) ut ex pretioſis aurium ornamentis certatim oblatis, vel vitulum integrum, vel caput certè vitulinum ex auro conflari permitteret. Itaque fabricatur idolum, ad exemplar ſimularcri Ægyptij, quod bovinâ fictum formâ, *Apidis*, *Serapidis*, *Oſiridis* nomine ei genti colitur; urgente celeritatem operis & adjuvante malo dæmome. Nec mora; erigitur deteſtabile ſignum, tenduntur manus bubulo capiti, curvantur genua, ponitur ara (non jam conſentiente tantùm, ſed manum etiam admovente Aarone) adolentur thura, mactantur victimæ tanquam libertatis vindici & aſſertori DEO. O portentoſa dementia! ô nefanda ſceleſtiſſimorum mortalium vecordia! Ab impio ſacrificio fit gradus ad cetera flagitia, ad laſcivas epulas, choreas, cantus; eſtur, potatur, luditur; omnia ſacrilegis vocibus perſonant; Novus DEus, ſummorum & infimorum gratulatione conſalutatur.

Exarſit juſtiſſimus DEI furor, non niſi gentis perfidæ excidiô reſtinguendus; obicem ruenti vindictæ opponit ſupplex Moſes. ſuo pro aliena ſalute, capite dovotô. Exin de monte deſcendit, geminas Decalogi tabulas manu geſtans, comitante Joſua; qui percepto populi vociferantis tumultu, non eſt, inquit, hic clamor pugnam poſcentium, ſed tripudia agitantium; id propior jam factus, cùm ſuis ipſe oculis auribúsque Moſes hauſiſſet, in deteſtationem execrandi facinoris, lapideas, quas à DEO accepe-

rat

tabulas, allidit ad saxum, & confringit; simul reputans cœlesti munere nefandos idololatras; simul atrocitatem injuriæ, divinæ majestati, illatæ contestans. Mox accedens ad vitulum aureum, dissolvit igne metallum, redactam inde massam redigit in pulverem; hunc spargit in aquas, jugi miraculo è petra *Horeba* dimanantes; cúmque alius latex in potum non suppeteret, coguntur vel inviti suum simul scelus, & sceleris pœnam bibere. Innoxia fuit, criminis exortibus lympha; maleficis inflavit corpora, & languida tabe necem attulit. Nec stetit hîc supplicium, Moses acerrimus honoris divini vindex stans, in ingressu castrorum, si quis, inquit, Domini est, jungatur mihi; palàm faciet hæc dies, quo quisque loco habeat vel ignominiam DEI, vel gloriam. Aliquorum sanguine omnium redimatur exitium. Agite, si viri estis, manum mecum & ferrum in piaculum tanti sceleris stringite. Accendit ea vox, vel Numinis potiùs inspiratio, Levitas; densi conglobantur; & gladijs, ut erant jussi, armati, facto per media castra transitu, obvios quosque, aurium elenchîs destitutos (hoc enim idololatrix signum erat) sine discrimine trucidant, cæde tantò expeditiore, quantò timidiùs, improvisiúsque in ferrum incurrebant, epulis, ludis, choreis marcentes. Occubuerunt ea strage non minùs viginti tria millia. Ita decuit expiari vitulum, quem impietas sacrilega excogitavit, timiditas ignava procudit, temulentia divinis honoribus affecit, Zelus gloriæ Numinis in pulverem dissipavit.

Territîs ea occisione vecordium pectoribus; redit Moses in montem, Actorem simul & reum pro per-

vi-

vicaci populo acturus; denuóque placato per preces & longa jejunia Numine; novas curat confieri tabulas; quas in montem relatas, iterumque Decalogo, cæleſti digito inſcriptas, ſancitîs denuo DEUM inter & populum fœderibus, reportat in caſtra, reperítque novo ſupplicio conſternatos, quos enim ex idoli cultoribus gladius ultor non abſumpſit, vindex Numinis ira de medio ſuſtulit, occulta quadam peſte afflatos.

Iterum ad ſpem erecti animi, deprecatore Moſe, iterum obſequia DEO jurata, & Ductori populi; cui majorem etiam apud omnes venerationem conciliavit facies, à divina collocutione fulgurans, & radios, quaſi duo cornua ab extrema fronte utrinque emittens; cùm ecce, caſtrîs tertiîs à monte Sina promotîs, tædium prolixi itineris novas turbas concitat. Mittuntur iterum, (ô linguam inferis ignibus torrendam!) atroces in cœlum voces, tanquam ductrice columna produceret æquô longiùs, profectionis ſpatia, cùm unius anni veternoſa quies indulta fuiſſet ad *Horebum* & *Sinam* conſidentibus. Quid iterum Deus? erumpit ignis ſive ex alto, ſive profundo, invadítque extremam caſtrorum partem, quíque ex omni tribu ignavi ceſſatores reſtitârant, abſumit. Graſſantis incendij furorem iteratæ Moſis preces ſtiterunt; locus à deflagratione nomen obtinuit *Incenſio.*

Et verò, quis animum inducat, ſibíque perſuadeat, niſi divinæ pro teſtimonio paginæ loquerentur, neque his flammis incaluiſſe obſtinata pectora. Ultrices nondum ſatis erant ignes extincti, cùm ad nova obtrectationum arma venitur. Faſtiditur

mâ-

manna cœlo delapsum ; esuriuntur carnes, pisces, alia Memphitica; neque sine seditione deposcuntur. Irritatus toties DEUS, ministeriô venti, immensam conturnicum copiam latè per castra effundit; quæ volatu fatigatæ, fractæque, nullo negotio convertebantur magis, quàm colligebantur in cumulum. E vestigio gulam secuta est pœna, dum ingluvies saginatur pennatâ prædâ, mors cum cibo deglutitur, multis mortalium millibus per id, quô vitam gulosiùs conservatam volebant, è vita exturbatîs; ubi epulum, ibi tumulum habuerunt; quem ne ignorarent posteri, epitaphium Sacer historicus addidit: Sepulchra Concupiscentiæ. Populi in Mosen obtrectationes & pœnas excepit oblocutio ac supplicium *Mariæ* sororis; quæ ortô inter ipsam, & *Sephóram*, uxorem Mosis, Madianitidem, jurgiô; (ob honoris, ut credibile est, prærogativam) dum altera uxoriô se titulô, altera sororiô præfert; cœpit Maria obterere laudes fraternas, ejúsque culpæ parte aliqua Aaronem quoque, alterum fratrem, aspergere. DEUS simul famuli sui dignitatem assertus: simul improbitatem linguæ castigaturus, repentè fædissimâ leprâ feminam inficit, & ab hominum consortio excludit. Elatiores spiritus repressit morbus & ignominia; gravia mala ei sexui; quæ ne ultra septiduum adhærerent obmurmuratrici, preces Mosis, hominum mitissimi effecêre. Modestiùs illa deinceps de se sentire docta, multis virtutibus ornata, extremum diem obijt *Cadibus*, in Idumææ finibus; ætatis anno centesimo, primo; publico luctu, sumptúque elata. Aaronis, quia levius in ea re delictum, ideò mitior etiam pœna

fuit; Sola DEUS reprehensione in eum animadvertit.

NARRATIO XXVII.

EXPLORATIO CHANANITIDIS ET PUNITIO IMBELLIUM.

Num. 13. 14. Anno Mundi 2545. Ante Ch. 1508.

DEmersis Arabico sinu, cum ipso Pharaone, turmis Cohortibúsque Pharaonis; Moses, & præ Mose, Ductor Angelus, qui populum, omni sine clade transportârat, ingentem sibi apud Israëlitas fidem, auctoritatémque comparaverunt. Unde factum est, ut, quocunque deinceps locorum, ac regionum traherentur, secuturos se promptis animis, ac pedibus præ se ferrent. Sed ut mobile plerisque mortalium esse solet ingenium; longè verò mobilissimum Hebrææ nationi, promptitudinis illius ac obsequij constantiam non tenuêre diuturnam; multò minùs perpetuam. Mutavit eorum mentes mutata loci facies, ab Ægyptiæ terræ culta forma plurimùm abludens. Ducebantur (& hoc, per annos quadraginta) squalidissimis Arabiæ Petrææ solitudinibus; præcipuéque Desertô Pharanicô, cujus longitudo, latitudóque vel ipsi Germaniæ, regionum Europæ spatiosissimæ, certare queat. Causa tam longæ circumductionis erat imbel-

bellis Hebræorum, quippe in servitute educatorum, animus, & adversus hostium occursus meticulosus.

Sed lenivit incommodorum pleraque; multa quoque sustulit, aut emendavit, DEI paterna Providentia: nam Hebræis oberrantibus (ut sæpe jam dictum est) Ductorem dedit Angelum: ambigentibus Directorem Mosen, & Oracalum; Sacrificaturis Pontificem Aaronem; famelicis cælestem mannæ cibum: siti confectis aquas dulces, & vivos è scopulis fontes: arsuris æstu solis, nubes ingens umbraculum: nuditate laboraturis, vestium inviolatam durationem: destitutis ope medica, corporum firmitatem: domô carentibus, incorrupta pellium tentoria: vagis, in exilio medio, patriæ nonnullam faciem: nihil habentibus denique, semetipsum impendit, hoc est, OMNIA. Quô factum, ut si verè se, suáque bona novissent æstimare: desiderare nihil, nisi modestiam, bonámque mentem potuerint.

Eò jam processerant in Deserto *Pharane*, ut non procul *Cadesbarne*, Moabitarum civitate, castra ponerent; suscipitur hîc consilium de Chananitide, terrarum felicissima occupanda; quæ cùm jussu divino, manu esset armata iuvadenda; illi suo magis timori, quàm DEI imperio audientes, mittunt, qui regionis illius non fertilitatem modò, sed militare robur explorent; quâ pœnâ ignaviæ, mox recensebimus.

Constitutum erat DEO Populum Hebræum, maximis prodigijs ex Ægypto eductum, in promissam Chananitidem, terram lacte, melléqur, hoc est, re-

rerum omnium ubertate manantem inducere, armis tameu & virtute capiendam. Nec erat difficilis futura pugna, quæ cælo auſpice committenda. Sed quia contumacia non præter ſolitum capita, diffidentia opis ex alto ferendæ inceſſit, conſultatur de re, quæ citra injuriam Numinis in deliberationem trahi non poterat. Mittuntur viri duodecim, totidem tribuum primarij, in quibus *Ioſue* & *Calebus*, cum mandatis, diligenter ut explorent regionem ad eò decantatæ felicitatis, cúmque fide referant, quæ viderint, compererintque: & quando regionis illius fæcunditas tantopere prædicaretur, fructus ſecum reportarent beatô ſolô natos, argumentum & ſpecimen exploratæ terræ. Luſtrant illi provinciam diebus admodum quadraginta, omnibúsque exploratè cognitis, referunt diverſiſſimi affectûs nuncium. Cæteros inter fructus apportatur ingentis magnitudinis palmes, recenti cum uva, ſupra Vectem duobus baiulis impoſitum. Ea telluris opimitas quantùm allexit oculos, tantùm abſterruit animos ejus potiundæ difficultas. Exploratores quippe cæteri, præter *Ioſuam* & *Calebum*, ſuo metu implere populum, malignis verbis in majus attollere regionis munimenta, urbium propugnacula, bellatorum robora, vaſta incolarum corpora, quibus ipſi compoſiti, locuſtæ poſſint videri. Contrà Calebus & Joſue ſuſcipiendæ expeditionis elevare pericula, addere animos timidis, victoriam audentibus polliceri. Cùm verò explorationis ſocij non deſiſterent aggravare diſcrimina; vincente denique ſpem metu, ſolvitur indignatio in querelas & lacrimas. Quid enim? tot menſium & viarum labo-

res

res frustra exant latos; vanis promissis aures impleri; terram ostentari i cujus possessionem nunquam sint adituri: cum gigantibus bellum suscipiendum; graviora jam se perpeti fornacibus Ægyptijs; satius esse reverti eò, unde ventum, & inter homines servitutem pati non famelicam, quàm cum liberis & uxoribus miserrimè perire in vasta solitudine. Res proximè seditionem erat; onernantur contumelijs ac vitiis gemini Ductores, Moses & Aaron; jámque nihil restabat, absterruit concitatos insolitus de colnmna fulgore terrificis radijs supra tabernaculum evibratus. Steterunt aliquamdiu stupefacti eô spectaculô cervicosi homunciones; cùm vox etiam aures de cælo ferijt, cum minis pestiferam lucem intentantibus; objecit iterum preces supplex Moses, irasque Numinis hactenus mitigavit, ut jussi redire viâ, quâ venerant, (quid enim aliud murmuratio vesana quærebat) longis annorum quadraginta ambagibus per deserta vagarentur; neminíque omnium, qui vigesimum ætatis annum snperârat, decretoriâ supremi Numinis sententiâ, pateret aditus in fortunatam Chananitidis terram, præterquam Josuæ & Calebo. Primi omnium decem exploratores illi timiditatem suam subita morte luerunt; quô supplicio ceteri, more suo perculsi, dum aggrediuntur rebellionem ignavam fortibus factis corrigere, ut stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt; præposterâ ruunt audaciâ præcipites, & inconsultô Deô, Moséque dehortante, movent in *Amalecitas* & *Amorrhæos*, alpestres Chananææ ragionis incolas; magnáque funduntur clade. Qui hostilem effugerunt gladium, seris lacrimis

& Mosen, (quorum erat consobrinus, quippe *Isaari* genitus, fratre *Amramis*, illorum parentis) exauctoraret, *Dathanem* sibi & *Abironem* adjunxit, homines potentes & factiosos : & per hos, spectatissimum quemque, populóque maximè venerabilem ad partes suas traxit, ut conjuratorum convenirent ducenti, quinquaginta, patritij generis omnes, consiliique publici Senatores ; quorum omnium eò redibat Summa conjurationis, ut Mosen, Aaronémque magistratu depellerent : Huic Coren ; illi, quemcunque visum foret, è corpore suo subrogarent : ceteri sortibus inter se jactis, sacerdotia minora caperent Leviticæ stirpis essent : Aliarum autem stirpium tribules, populi præturas, præfecturas, tribunatúsque sibi partirentur. Quæ cuncta munia factiosi spe jam devorârant ; adeò certâ quidem, ut, qui Sacris obeundis inhiabant, intra tentoria sibi quisque clanculùm acerras, thuribuláque præparanda curarent : uti, cùm tempus pastulâsset, ad adolendum accincti, progrederentur.

Jámque satis omnibus compositis, cùm ingenti cuncta motu, tumultúque miscerentur, crescente pessimorum hominum colluvie, conveniunt *Coritæ* pro divini Tabernaculi foribus, cum suis singuli thuribulis æneis ; aderant & Aaron thuribulô Pontificis aureô, Moses autem virgâ Iudicis instructus ; hic coràm maxima populi frequentia, quæ dixisset, fecisséque, Divini juxta præceptum Oraculi non ambitionis suæ comentô, dicta, factáque contestatus, dehiscentis terræ sepulchrum, & ignium Inferorum supplicia interminatur rebellibus, linguas impias in DEUM potiùs ipsum

mis temerarium damnantes consilium, ad Arabica & inhospita saxa redierunt; mox etiam ad ingenium suum reversuri; id quod in *Coritarum* seditione, de qua statim memorabimus, nimis quàm palàm fecerunt. Terra Promissionis cœlum est, quod si pro uberiore telluris gleba & viribus fuit opus, & animo, dextràque præsenti! quâ confidentiâ sperant ignaris? cœlesti patriâ se posituros, manibus in sinu compressis, cùm tamen asseverante supremo Imperatore, *Regnum Cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud*, Matt. 11.

NARATIO XXVIII.

SEDITIO ET INTERITUS CORAE. DATHANIS, ABIRONIS, AC SOCIORUM.

Num. 16. Anno Mundi 2546. Ante Ch. 1505. Item pœna violati Sabbathi. Num. 15. blasphemiæ. Levit. 24. neglectæ religionis Levit 10.

CErtus ad interitum gradus est, ambitioso ferri in honores animo. Aaronem Deus supremum Sacrorum Pontificem; Mosen verò, tum Civilium causarum Judicem, tum Divinæ quoque voluntatis Internuntium declarârat. Pungebat ea res *Coren* quendam, de Optimatum numero, Leviticæ virum propaginis, qui ut Aaronem simul

& Mo-

ipsum, quàm in se distringentibus; quod impendens perduellibus capitibus Vindicta mox palàm esset factura, & alterutram partem vel crimine absolutura, vel damnatura; orat insupar obsecrat, dehortatur à nefarijs cœptis; illi contrà frendentes expoldere, & seditiosa obstinatione in amentia sua persistere. Dictu formidandum! postquam jussu Dei & Mosis, pars populi proximè tendentis, ab impiarum tabernaculis recessit, tum illic, ubi *Dathan* & *Abiron*; tum alibi, quô locô, *Core* cum suis (frequens erat domesticorum atque participum turba) constiterunt, disrupta terrâ, voragine latè diductâ, præcipites unô temporis articulô deduxit & ipsos, & eos, qui cum ijs constiterant. Hausta simul sunt, discissæ telluris immani cum fragore, ruentiúmque confuso clamore personante, tentoria, rebellium uxores, liberi familiæ, pecora, supellex; Omnia denique subsederunt, horribili barathro devorata. *Coræ* tantummodò filios tres, impietatem parentis detestatos, divina vis tantisper in aëre vacuo pendentes sustentavit, quoad in seipsam discissa terra recomponeretur; Num. 26. patris, ac sociorum animæ, vitâ prius intra viscera terræ extinctâ, ad inferos, eò, quò sua ipsos merita vocabant, raptæsunt.

Exterruit hic interitus omnem, quæ totis circùm castris, maximéque cum Mose, steterat, multitudinem. Hæc & terræ disruptæ tumultibus, & intereuntium miserabili conspectu, vocibúsque consternata, terga fugæ dedit. Sub idem tempus, quô terra contumaces absorbebat, ducentorum illud ac quinquaginta virorum collegium, quod to-

tidem

tidem cum acerris ad Tabernaculum Dominicum, Mose jubente, convenerat; dum totum est in Sacerdotij prensatione, totum abit in flammas. Forcipibus enim, ab Altari, raptâ prunâ, dum incendere thus, & adolere parant, incenduntur ipsi: flammâ, vel de cælo jactâ; vel ab ara prosiliente; vel quod credibilius, ex ipsis singulorum thuribulis in ora succedentium provolante. Cúmque vim ignis, quippe cælestem, opes humanæ nullæ nec evitare valerent, neque restringuere: ceciderunt ad aram ipsam, ad quam adolere cogitârant, simul omnes: pro Sacerdotibus, quod esse voluerant, facti victimæ, quod esse nolebant. Cæterùm æs thuribulorum, incendio colliquefactum, divino jussu conflatum, ac productum in laminas, altari suffixum est, tam prodigiosi rerum supplicij perenne monumentum.

Nec stetit hîc vel rebellio, vel rebellionis pœna. Nam ecce! quos aliquis pridie, trium perduellionis principium favor ac studium infecerat, aut cognatio devinxerat, ij per noctis otium circulos atque cœtus facere, tot procerum, tótque charorum capitum mortes lamentari; Mosen, Aaronémque peremptorum invidiâ gravare; DEUm denique ipsum querelis incessere. Castrîs commotis universîs concursatur ad Sacrum Tabernaculum, & ad illi vicina Mosis Aaronísque tentoria; per manipulos & agmina inclamantur Interfectores, ac Latrones, & interfecti populi Carnifices; redderent sibi, redderéntque vitæ grandem illam, quam pridie necavissent, multitudinem; quæ DEI fuerit, non homicidarum natio. Fratribus autem duobus in hæc

placidè reſponſuris, obſiſtunt vocibus inſanis alij aliud ſuccłamantes. Jámque pugnos intentantes, & arma, vix manus ab eis, lapides, ferrum abſtinebant. Moſes & Aaron in Tabernaculum, tanquam in Aſylum refugiunt, nebulâ denſiſſimâ, diducente in latum ſe columna, involutum. Angelorum Caſtrorum in Sacri papilionis culmine formidabilem ſplendore majeſtatem expromens, DEUM ipſum adeſſe, furoris Ultorem, indicavit. Intonuit & vox DEI clarè miſſa; quæ Moſen juberet, cum fratre tota Caſtra relinquere; ſe námque, quod pridie minatus eſſet, etiam tum exſecuturum, omni deletarebelli gente, ſupplicium.

Nec caſſæ volabant minæ; exortus enim repentinus ignis, vaſtare cœpit ab ipſo Tabernaculi Divini veſtibulo, quidquid caſtrorum, ac multudínis inde ſe porrigebat. Ubique luctus & ejulatus; in uno natabant æſtuario, terra, viri, mulieres, jumenta tabernacula, facultates; ibátque morientium, in cœlum clamor: in favillam corporis artus: in Tartarum ſceleſtorum Spiritus, quippe deprehenſus inflagranti tum corpore, tũ contumacia. Ululatu, duorum ad Ducum aures perlatô, Aaron correptô thuribulô, vivísque carbonibus ex ara repletô, thus ſacrum, per media deportatum caſtra, celeriter adolendo, reſiduam caſtrorum partem ab incendio ſervavit intactam. Ita ſpatium pœnitendi coceſſum factioſis: ſupplicium, pro malefactis irrogatum obſtinatis; quorum uno flammarum curſu, tanquam ventoſo fulminum præſtére, quatuordecim millia tunc, & ſeptingenti ſunt abſumpti. Quibus ſi connumeres, qui pridiana clade, vel terra, vel igne, perierunt, nu-

numerô fortaſſe non inferiores: ad millia, viginti novem, interfectorum ſummam facilè perducas.

Finijt tandem Numinis iram, Sacerdotiique diremit litem, Aaronis virga: quam arentem, juxta duodecim alias, totidem tribuum virgas, itidem ſiccas, collocatam; divino juſſu Moſes in Oraculi tentorio per noctem aſſervârat. Eam enim manè poſterô, ſolam amygdalino vernantem flore, cùm aviti duodecim Principes inveniſſent; ſuas è contrario, ſicut attulerunt, emortuas, dubitare porrò nequierunt, quin, cujus unius virga flore ſe veſtiſſet, ejusdem ſolius & caput, & ſtirps Inſulam deinceps Pontificalem indueret. Ea virga perpetuo virens flore, cum Manna cæleſti in Tabernaculo deinceps aſſervata eſt in memoriam rei, & ambitioſæ diſcordiæ metum.

Circa hoc tempus quidam ex Hebræis tenuioris homo fortunæ, ut neceſſitati proſpiceret domeſticæ, lignorum quædam ſarmenta aut fragmenta collegit die Sabbathi; In eo deprehenſus labore, mox conjicitur in vincula, Moſique & Aaroni, populi Principibus, ſiſtitur. Res ad Oraculum relata eſt, vel quia de novæ pœna noxæ, vel de ejus gravitate dubitabatur; durum namque viſum eſt, ſupplicium capitis in eum ſtatuere, quem paupertas adegerat ad ſamenta, fruſtuláve lignea comportanda. Reſponſum è Tabernaculo eſt editum, ut facinus lapitatione plecteretur. Ita ſeveritate exempli ſancita eſt obſervatio diei feſti in documentum poſteris, non arborum tantùm magnarum ſtrage, ſed parvis etiam ſegmentis, hoc eſt piaculis ſpeciem levioribus, iram DEI accendi.

Ad hæc etiam tempora pertinet disparis criminis non dispar pœna, divini jussu Numinis inflicta. Erat quidam, mixto ex Ægyptijs & Israëlitis genere oriundus, huic fortè jurgium cum Hebræo Sacerdote intervenerat: in jurgio, ut fieri solet, longiùs irà provectus, blasphemas in cœli Dominum voces effudit. Igitur captus, capitísque damnatus, lapidibus est obrutus, DEO sic imperante, & nominis sui contumeliam ulciscente.

Neque multò ante aliud contigit supplicium, temeratæ religioni irrogatum, ipsámque, quâ Pontificatum inierat Aaron, diem funestavit. Pontificis recèns consecrati, filij Sacerdotes *Nadab* & *Abiu*, cùm ignem *Sacrum*, nempe è cœlo delapsum, & ex altari holocaustorum sumendum, ad sacrificia perpetranda adhibere debuissent, incertum, an oblivione præcepti, an quadam perturbatione acti, ignem profanum, quô carnes in atrio sanctuarij coquebantur, arripiunt, eóque implent thuribula, & *incensum* adolent. In vestigio adfuit animadversio divina; nam in ipso tabernaculo, dum offerunt thymiama, subitò flamma ex altari in ipsos erupit, & utrumque repentina morte consumpsit. Tanta cura est Numini, ut, quæ ad sacrum pertinent cultum, ritè, religioséque obeantur. Et intererat honoris divini, ab ipso institutæ religionis principio tristius exemplum edi, quo cervicosa Hebræorum capita admonerentur reverentiæ, Sacris quàm accuratissimè exhibendæ.

NAR

NARRATIO XXIX.

NOVA HEBRÆORUM SEDITIO, EIUSQUE CASTIGATIO. PETRA PERCUSSA FUMDIT AQUAS. ÆNEUS serpens, aspectu salutaris. Aaronis & Mosis obitus. Num 20. 21. Deuteron. 33. 34.

A. M. 2583. Ante Ch. 2470.

NEMO unquam mortalium securus est à lapsu, justi etiam eidem obnoxij esse sinuntur, ut se homines esse sciant. Anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto ventum est ad urbem *Cades*, in extremis Idumææ finibus sitam. Ibi cœpit iterum sitire populus, iterùmque cœli patientiam querulis vocibus lacessere. Moses & Aaron nihil habuêre prius, quàm ut irritatum Numen supplices propitiarent in Tabernaculo, Accipitur vox Oraculi, ut imperent petræ, (alia hæc est à Sinæa, Exodi 17.) neque dubitarent, quin ad imperium sint aquæ prorupturæ. Moses contrà, quàm mandatum erat (credibile est, perturbatione quadam animi, ob ingratissimi populi querelas concitatum subdubitâsse, an DEUS toties rebellibus & incredulis sit è saxo lympham expressurus) arreptâ Aaronis virgâ (quam supra diximus in Tabernaculo asservatam) rupem repetita percussione verberat. Nec mora; ad alterum ictum, aquarum magna se effundit copia, & cum aquis, ira Numinis; indi-

gnissimè ferentis, ipsos populi Duces, suo dicto minùs audientes, incusso feciſſe verbere, ſolo quod verbo effectum dari oportuiſſet ; in neglecti igitur obſequij pœnam ingreſſu Chananitidis utrique interdicitur ; mors proximè vicina denuntiatur. Ea, tertio pòſt menſe Aaronem ſuſtulit, & brevi ex intervallo, Moſen quoque.

Urgentibus itaque ſuis Aaronem fatis, induitur is, juſſu DEI, Pontificijs ornamentis, unáque cum filio *Eleazaro*, natu maximo, in montem *Hor* educitur à Moſe. Ibi cùm in Eleazarum ſacræ parentis veſtes, munúsque translata fuiſſent, diem claudit extremum, centum viginti trium annorum ſenex, omnium fratris peregrinationum, & curarum particeps : hoc felicior, quòd dormienti ſimilior, quàm morienti, ſine morbo, vitæve tædio (nam viribus integris montem conſcendit) in præſentia, & quaſi in gremio Moſis, germani fratris, & Eleazari filij, exſpirârit.

Mortuo parentatum eſt triginta dierum luctu; vixque ſiccatis lacrimis ſolita de cibo & potu querela, quaſi nænia redintegratur : longæque viæ denuo ſubeunte faſtidio, cum Moſe expoſtulatur abijs, qui ob recentem adversùs *Aradem*, gentis Chananææ & *Ogum* ac *Sebonem* Ammorrhæorum, reges, opimam ſpolijs Victoriam, DEO felicitatis Datori gratias, quantas maximas poterant, debuerant. meminiſſe. Pro ſceleris modo, ſupplicium fuit; peſtilens oris virulentia ſerpentibus eſt caſtigata, quorum morſibus inflammata corpora, & veluti carbunculis uſta contabuerunt, non ſine magna mortalitatis ſtrage. Saluti denique fuit pereuntibus ſimulacrum ſerpen-

tis

tis æneum, longa super pertica in omnium oculis erecti. Et verò solus hîc juvabat aspectus; consanuerunt, quicunque oculos in signum intenderunt. Adeò potens jam tum illius fuit umbra, qui secuturis pòst seculis erat pro nobis exaltandus in crucis stipite, animóque scelerum pœnitenitente contemplandus.

Jam *Mosen* quoque, tot laboribus & ærumnis mors erat absolutura. Elapsis ab obitu fratris, mensibus non ampliùs octo, jubetur à DEO comitatus *Eleazaro* novo Pontifice, & *Iosua*, filio *Nunis*, fido in omni fortuna ministro, ascendere montem *Abarim*, & ex eo, *Nebonem*, alterum montis jugum; in cujus ubi vertice (*Phasga* nomine) constitit, subrogato sibi Imperatore belli, Josuâ, cùm jam ante cum bonorum omnium imprecatione & repetita Legum promulgatione populo suo valedixisset; circumfert oculos per Chananæum (*PROMISSIONIS* terram) cujus ingrediendæ multis annis desideriô unicè tenebatur, sed frustra; DEO diffidentiæ ab ipso in percutienda petra admissæ pœnam exigente; cujus ipse providentiæ suavissimè acquiescens, placidam oppetijt mortem vegetus & validus, anno ætatis vicesimo supra centesimum; funus curârunt Angeli, & in valle *Moab*, seu *Moabitis* confini, terræ mandârunt. Anima in sinum Abrahæ, in quem frater Aaron jam antè fuit receptus, est deportata. Mortuum populus integro deflevit mense.

Fuit Moses prodigiorum patrator illustris, naturæ, quam ad nutum regebat, propemodum dominus, & in pertinacissima gente supra fidem humanam mansuetus, DEI charitatis & patientiæ magnum e-

xemplar. Quadraginta primos annos in aula versatus inter principes; medios in Madianitide inter pastores atque cælites; postremos in horrenda, vastâque solitudine, inter Israëlitarum turbas, ærumnásque diuturnas transegit. In prima vitæ periodo castè delicias regum attigit: in altera, corporis labores fortiter pertulit: in tertia, heroicâ virtutis constantiâ tantas animi curas expertus est, quantas patientissimo Rectori improbissimus populus inferre potest. Ubique scilicet virtus inclyta, quot palæstras occupat, tot agit triumphos.

NARRATIO XXX.

ASINA BALAMI ARIOLI LOQUITUR; IPSE QUANQUAM INVITUS, BEne precatur Israëlitis Num. 23. & 24. Anno Mundi 2583. Ante Christum 1470.

COngruè bruta mens hominis per brutum docetur. Debellatis & interfectis tribus regibus, *Atáde Chananæorum, Ogo Basanitarum & Sehone Amorrhæorum*, eorúmque provincijsà gente Hebræa occupatîs, ingens terror vicinas regiones concussit. Jam fulmen belli etiam *Moabitas* afflaverat, in quorum oculis castra fixerunt Israëlitæ. Imperabat tum Moabitis *Balácus*, qui cùm plus præsidij in magicis incantationibus, quàm in militari classico reponeret, advocat è Mesopotamia *Balaámum*, Ariolum

lum famosum, & carminibus potentem; si forté ejus operâ victoriam obtinetet incruentam, quam sese reportaturum armis desperabat. Proposita erat Mago per legatos, ampla vis pecuniæ, si execrationibus & detestationibus Hebræos vel deleret, vel certè procul à Moabitis repelleret. Stimulavit auri fames hominem, ut non ægrè sequeretur legatos. In itinere, dum illi plusculùm præcedunt, objicit se Balaamo Spiritus cælestis, ferro stricto viam intercludens. Jumentum, quô Ariolator vehebatur, erat asina; hæc Angelum conspicata exerto gladio minitantem, semel, iterúmque declinat à via; quam dum insessor repetitis verberibus in semitam reducere laborat, illa redacta in angustias, geminas inter materias, cùm hinc obstaret fulgurans mucro, inde callis in arctum compelleret, attrivit ad murum, sedentis pedem: ferociùs inde pulsata, sub plagis concidit; hîc herus in clementiùs furere, & fuste latera bestiæ validè tundere. Rupit indidignatio vocem asinæ, movente linguam Angelo; & quid est causſæ, inquit, quòd sævias tot ictibus in immerens animal? Ille contra, nihil motus prodigio (credibile est talibus assuetum fuisse monstris) convitia in refractariam pecudem ingerere, & jam gladium domandæ contumaticæ poscere. Perrexit asina caussam suam agere, & ingrato homini pristina servitutis obsequia in mentem revocare; semper adhuc se habenis obtemperantem, rectoris ductum secutam, recto tramite processisse; molliter, securéque herum suum absque cespitatione vexisse; jam verô pro tot annorum ministerio atrocia verba reponi, barbara planè sævitie ne be-

ſtijs quidem toleranda. Non potuit inficias ire fidelem expoſtulantis jumenti operam vector, neque tamen cauſſam tergiverſationis intelligere. Cùm abſtersâ nebulâ conſpicit & ipſe minacem formidabilis Genij gladium, territúsque in genua provolvitur. Cui Angelus, ecquid, ait, furis in inſontem beſtiam? ego ſum, qui tibi viam ſceleratam intercepi, ego remoram aſinæ veſtigijs objeci, absque cujus declinatione fuiſſet, tu funus eſſes, illa viveret incolumis; nunc perge, licet, viam, quam cæpiſti; ſed cave, quidquam loquaris aliud, quám ego præcepero tibi. Ita monitis & pecudis, & Angeli inſtructior Divinator, proſecutus eſt iter.

Interea temporis avida tenebat exſpectatio *Balaacum* advocati Incantatoris; cujus adventu nuntiato, in ipſis occurrit ei regni finibus, & quô poteſt, lautiſſimo apparatu hoſpitem excipit, aureis promiſſis onerat, carmen ut in execrationem componat, quo nomen omne juguletur Hebræum. Eum in finem excitantur aræ, immolantur victimæ idolo *Báali*, ijs in montibus, unde proſpectus patebat, in caſtra Iſraëlitarum, latè tendentium infrà. Nihil deerat, niſi, ut diris omnibus devota Hebræa capita, ultimô exitiô involverentur. Interceſſit Genius cæleſtis, & Arioli linguam ac mentem impulit, ut alia omnia, quàm cogitârat, ſentiret & loqueretur. Pro malis devotionibus audiuntur imprecationes fauſtæ, cum vaticinijs à DEO ſuggeſtis, de futura gentis Hebraicæ felicitate; déque Chriſto, ſtellæ inſtar Matutinæ, ex ejus poſteris orituro; ringente interim ſuis cum optimatibus rege, & Ariolum cum indignatione à ſe reijciente. Qui tamen ſperatis ne mu-

neribus excideret, aliam viam inijt, quâ Hebræis noceret; quibus cùm per auguria, & divinationes maleficium inferre non posset, auctor est Balaaco, per mulieres ut *Moabiticas & Madianitidas*, ut erant eximiâ formâ præstantes, ad amorem eos priùs, deinde ad *Beelphegoris* idoli cultum pelliciat, ita futurum, ut suô se laqueô, simul & irâ Numinis inuerent, cujus destituti præsidiô, haud dubiè essent sine armis perituri. Quale consilium, talis eventus; utrumque pessimum. quod deinceps referemus.

NARRATIO XXXI.

HEBRÆI DANT POENAS SACRILEGÆ LIBIDINIS, CUM MOABITICIS ET Madianiticis fæminis commissæ Num. 25. Anno Mundi 2583 Ante Christum 1470.

QUid non facit pellax fæmineo in corpore forma! quanta est illecebra & vis pulchritudinis! quod armatorum vigor sæpe non potest, fæminarum potest mollities. Vincuntur specie, qui non vincebantur prælio, læditur oculis, qui spiculis non vulnerabatur. delitijs emollitur, qui non frangebatur tormentis. Gratia flectitur, qui terroribus non concutiebatur. dictorum fidem adstruet, quod narro. Proximè superiùs diximus, *Balaamum* præstigiatorem, Israëlitis imprecari nefasta conatum, à

DEO

DEO ſemper in contraria raptum: necquicquam repetitîs ſæpius, & arîs, & Sacrificiîs, ac vaticiniorũ carminibus, Hebræo populo fortunatis, Numinis afflatu, coactúque, in Meſopotamiam denique ſuam eſſe reverſum. Eò tamen antequam perveniret, *Balaaco* regi, ne penitus mali nihil homo peſſimus patraret, ſuaſorem fuiſſe, ut Iſraëlitas, oblatîs, obtrusísque per feminas illecebrîs, in ea præcipitare ſtuderet ſcelera; propter quæ DEO, Tutori ſuo, vel maximè fierent exſecrabiles, & ideò, quibus vi deinceps, etiam imbelliſſimis, ſuperari perfaciles. Gaviſus conſiliô nefariô *Balaacus*, ut cui ſatis eſſet, in regno ſuo pacatas ſibi res eſſe; ſeu per fas id, ne fasve, ſive per Inferos, aut Superos, aſſequeretur, electiſſimæ formæ mulieres, ex omni, tam *Moabitarum*, quàm *Madianitarum* regno conquirendas curavit, & ad ſe perducendas: quæ mox, ſpeciem ſuam, amictûs inſuper apparatu, perpolientes, ad Hebræorum extrema caſtra, *per ſacrificandi cauſſam*, velut pudibundæ, cunctantésque ſubreperent. Sacrificio delecta erat, *Séthima*: locus, illius incorrupti ligni nemoribus frondoſus: ac valle, quam *Sattim* appellabant, amœnus. DEUS autem, cui lituras ſe feminæ profitebantur, *BEELPHEGOR* erat, *Priapus* aliàs, vel ipſa nominatione pudendum ſimulacrum; vocatur etiam *Phegor*, *Phogor*, *Baal*, *Bel*.

Tales igitur, *Moabitides* illæ, & *Madianitides* conſederant in extrema Sethimææ vallis parte: laſciviis geſtibus, procacibúsque verborum irritamentis, choreis quoque, fractísque in mollitiem cantilenis, „ juventuti militari fraudem ſtruentes. Cùm non „ deſint, inquiunt lenocinantes, domi facultates

amœ-

„amplæ: nnc parentum ac domesticorum affectus;
„nec corporis formam huc nundinaturæ veneri-
„mus; sed ut viros formâ inclytos hospitali gratiâ,
„obsequióque demereremur, faciliores nos amori-
„bus vestris præbuimus. Nunc verò, cùm verea-
„mur, ne libidine exsatiatâ, retrò cum injuriâ, con-
„tumeliáque ablegemur ad parentes, cupimus le-
„gitimis vobiscum nuptijs copulari; si tamen quem-
„admodum corpora erunt communia, sic etiam e-
„adem esse Sacra velitis; neque enim sat fidis jun-
„guntur thalamis, qui dissident aris; patriam vo-
„bis cum dijs patrijs offerimus; per vos stat. diuti-
„us errare per alienas terras, an stabilem hîc domi-
ciliorum, & amorum sedem esse malitis. Quid multa? frons, oculi, vultus, forma feminarum quavis suadâ potentiùs perorârunt. Vicit viros invictos libido, & ex pectoribus animum, avitámque Religionem excussit. Non plebs duntaxat, sed & de nobilitate, numeróque Principium nonnulli meretricijs amoribus sunt implicati; &, quod magis abominandum, ijsdem quoque impurissimis Sacris, ne delicias illas suas aut amitterent, aut contristarent, operari non dubitârunt. Sacrilegis in vestigio supplicium hæsit; pestilitate divinitus immissâ, vastari castra cæpta; punitúmque bubonum, & carbunculorum ardore, quid libidinoso corporum igne peccatum erat. Nec eô contentus supplicio DEUS: in eos primùm graviùs exarsit, qui præter vetitam corporum inquinationem. insuper & Priapi Sacerdotium accepissent; turpissimi simulacri cæremonijs initiati Procerum. Quos ille cunctos, habitô per Mosen (nam hæc ante eius mortem con-

ti-

tigerunt) conciliô, conquisitos, ac sacrilegij convictos, duci jussit; &, è regione micantis solis, in crucem tolli: quò supplicij fierent, qui sceleris fuerant, plebi spectaculum. Post hos, qui quoquo modo Priapéis se manculâssent, nec tamen adhuc vel lue, vel funepœnas dedissent; necari ferro præcepit: nullo propinquitatis, aut generis habito, per eos, qui cædis ministerium exsequerentur, discrimine. Quô factum est, ut exiguum intra tempus, nocentium capitum, vel peste, vel reste, vel gladiô sublata sint, quatuor, ac viginti millia. Nimirum in febri tam pestilenti & vulgari plurimis debuit mitti sanguis, ne contagio traheret omnes.

NARRATIO XXXII,

ZELUS PHINEÆ IN VINDICTA FOEDI CONCUbitûs sumenda. Internecio Madianitarum

Num. 25. & 31. Anno Mundi 2583.
ante Christum. 1470.

STragis, quam memoravimus, tam ingentis, oculis objecta gravitas, nondum sanavit tamen animos omnium libidine fascinatorum. Usqueadeo tenax est, ac lentum hominis malum, Lasciva cupiditas: ut, quem semel insederit, eum in furoris cursum pertinaciter propellat; ac sine præcipitio vix unquam dimittat. Pœnas non videt, dehortamenta non audit; futura non præmediatur: &, in summa, nec oculos cæca, nec aures surda, ne-

neque cor fatua circumfert. Ipsa circumfertur interim; quocunque demens eam animi morbus impulerit. Jacebant ecce tot in conspectu, peste peremptorum funera; tot crucibus suffixorum corpora; tot ensibus trucidatorum cadavera. Flebat eos ac demonebat stratus ante Sacrum Oraculum, dux Moses. Cum Mose, populi pars sanior, & optimus quisque, sævientem tum vel maximè, vindicem DEI manum lacrimis propitiabant. Nec adhuc tamen, aut *Madianitides* puellæ cunctæ castris abscesserant: nec Hebræa juventus universa desierat ad earum contubernia commeare.

Sed ex omnibus, unius imprimis feminæ, sicut præcipuum genus & forma, sic contumacior fuit, ad castra, desidia. *Cozbæa* nominabatur; *Suris* Madianitarum quinque Regulorum potentissimi filia: quæ Priapæi quoque Sacerdotij partes principes obibat. Hæc tabernaculum sibi, præ cæteris omnibus conspicuum, & juventibus insidiosum extenderat: in quo scelesta, tanquam in lupanari, Venerem ex professo cauponari, sui muneris gloriam ducebat & palam. Id nobilioribus præsertim Iuvenum frequentatum ac patulum; comessantium scortantiúmque perpetuis vocibus personabat.

Incendit inter alios *Zambrin*, virum Hebrææ stirpis, *Salve* Patre, tribúque *Simionitarum* ortum: &, quod dedecoris caput erat, illius universæ stirpis principem, ac Ductorem. Hujus tam intemperans fuit in *Cozbæam* amoris ardor: ut luce palàm, omníque castrorum aspectante multitudioe, Mosis in oculis, nulla fronte, verecundiáque, prostibulum peteret, Erat nemo, quem viri tanti tam

spi-

perſpicua nequitia, non aut improbitatis admiratione percelleret, aut indignatione juſta commoveret. Tacebant tamen omnes; Moſi, Deóque ſceleris, vel vindictam, vel diſſimulationem permiſſuri. Tacebat & Moſes ipſe; ſolas ac ſupplices in lacrimas effuſus. Quid enim, ipſis jam Ducibus exemplô turbam trahentibus, Imperator ageret? niſi fortè, deletîs jam tot millibus, inſuper & reliquias populi de medio tolleret: aut, quod procivius erat, novus ſibi *Coras*, *Dathanes*, *Abirones* excitaret.

At non eâdem, quâ cæteri, patientiâ, Pontificis Eleazari filius, *Phinees*, uſus; inſtinctu Numinis, ac divinæ violatæ legis dolore, ſtimultaus: primô quidem intimo mentis exarſit ſenſu. Correptô deinde pugione ſubalari; neminique ſuorum, quorſum eruptura conſilij ſui vis eſſet, apertô: Zambris veſtigia, concitato gradu perſequitur: & animum ingentem, ſub fulminantibus oculis, ac ferrum latens, ſub veſte minimè ſuspectâ gerens; in Cozbæ tentorium uſque, cunctis apertum ſe penetrat. Ibi deprehenſos utrumque, *Zambrin & amicam*, fœdœ jam rei dantes operam, nec præ dementia flagitij, quid inſtaret ſibi mali ſentientes: tribus interpellans verbis; Hoc Habete Scelesti! pugione ſimul utrumque transverberat. Et quidem, ut manum percuſſoris agnoſceres, divina directam manu; perfodit ambos, in ipſa ſceleris miniſtra vulnere perlatô. Quibus in hunc modum perfectis placato jam numine, lues eſt omnis conſopita: data venia populi reliquijs; *Phyneæq;* Sacerdoti conſtabilita promiſſi Pontificatûs æternitas. At, extinc-

momentô, duo miserabiles amantes, Zambris & Cozbæa funus jacebant sempiternum.

Ne verò *Madianitæ* impunè ferrent (*Moabitis*, quî magna sceleris & cladis pars & caussa fuerant, est parsum ob merita *Loti*, eorum progenitoris; & *Ruthæ* Moabitidis, unde Christus erat originem ducturus) geminum nefas, quòd & devotionibus perdere tentârint Hebræos; & per immissas feminas, eosdem ad Sacrilega Sacra induxerint; DEUS imperavit Mosi expeditionem ultimam; (nam paullò post erat è vitâ migraturus) qui delectis, è quavis tribu, mille militibus, cùm exercitum duodecimmillium confeciſſet, jussit eos, Duce *Iosua*, in hostem numerosissimis copijs superbum movere, comitante Arca, eiúsque Custode Phineâ, Sacerdotúmque, tubâ clangentium Præfectô. Nec difficilis erat victoria, auspice DEO. Primo mox congressu tanta Madianitarum est cæsa multitudo, ut numerus cadaverum iniri non posset, ne unô quidem ex Hebræis desideratô; ut agnosceres manum, ex alto dimicantem. Jussu Numinis (penes quod vitæ necísque potestas in omnes) occisi mares omnes, & mulieres virum passæ; quinique Madianitarum reguli, *Eui*, *Recer*, *Sur*, (Cozbææ memoratæ parens) *Hur*, *& Rebe*. Occubuit eô quoque prælió *Balaamus*, qui expatriâ Mesopotamia, quò nuqer abierat, reversus, sive ut novô quodam maleficio affligeret Hebræos, sive divinationis ut suæ lucrum aliquod reportaret; qui dum alienis intendit malis, interitum sibi imminentem priùs non vidit, quàm communi implicitus cladi sensit. Credibile est, ipsum (ut hoc

genus hominum ignaviſſimum, & mortis timidiſſimum eſſe ſolet) inermem, ſuis confiſum artibus cecidiſſe. Id certum, DEO Iudice; multis degravatum ſceleribus caput, in malè agendi pertinacia, præcipitatum in Tartarum.

Fuſis hoſtibus, urbes omnes, vici, caſtella, jubente DEO, flammis vaſtata, & ſolum, in habitabile redditum. Præter ingentem vim auri factique, quod ultro à milite victore, DEO Servatori dedicatum, capta, ſunt ovium ſexcenta, ſeptuaginta quinque millia; boum ſeptuaginta duo millia; aſinorum ſexaginta, unum millia; puellarum triginta duo millia; quæ ſunt omnino capita octingenta, & quadraginta millia. Sic ferit Vltio Divina, mortalium flagitijs provocata. Quædam ulcera non ſatis inciduntur niſi radicitus exſcindûtur.

NARRATIO XXXIII.

RAHABÆ, MULIERI IERICHUNTINAE, FIDES ET Officium erga Exploratores ejusdem Urbis, à Joſua Submiſſos; & relatum Præmium. Joſue. cap. 2. Anno Mundi 2584. Ante Chriſtum. 1469.

CUm impendentem Rebellium cervicibus Juſtitiam Divinam ſæpe ſæpius mitigâſſet Moſes, de quo ſuprà memoravimus, & ad extremum ipſe quoque pœnas aliquas, obſequij minùs

nùs accuratè præstiti, dedisset, dum in populi repetita jam tertiùm, quartùmve, ob aquæ penuriam, obmurmuratione, non ut mandatum erat, *Horebæam* rupem, solô vocis imperiô profundere jussit aquas, sed eàs bis incusâ virgâ provocavit; id quod Numini severâ lege exigenti imperata, displicuit adeò, ut & ipse, & frater Aaron desiderijs suis, adeundæ Palestinæ, quam in conspectu habebant, quámque annis omnino quadraginta per tot viarum asperitates unicè anhelârant, sint immortui; Mosi in magistratu successit *Iosua* is qui jam antè arcanorum omnium conscius, familiæ Mosis præerat universæ; qui divinus Poliorcetes, sine machinis urbes expugnavit; qui, ne tardiùs vinceret, solem stare jussit; Israëlitas in Chananæam, promissam olim terram, induxit; inque ejus possessionem immisit; Summus Imperator, qui DEO fretus, non rariùs vicit, quàm pugnavit. Ex rebus ejus mirabiliter gestis, quasdam commemorabimus; & primò quidem *Iericbuntis*, explorationem, fidémque in ea re per *Rahabam* præstitam.

Josue, ut in ipso sui muneris aditu omnes boni Imperatoris partes obiret, non priùs expeditionem (Numinis jussu decretam) in Chananæam, suscipiendam putavit, quàm per exploratores emissos recognosceret Vires hostium, urbis præsertim *Hierichuntinæ*, inter primas adoriendæ. Ii tametsi non ignari, quanto discrimini objicerent capita, non dubitârunt tamen, fiduciâ divini præsidij, sese viæ periculosæ committere. Superato Iordane, quà maximè vada aperiebat, veniunt sub occasum solis (nam hoc cum Sacra Scriptura meminisse juvat)

ad urbis *Ierichuntis* portas, & inter alios plures subeuntes ementito se penetrant habitu móxque conjiciunt in ædes, mœnibus vicinas. Inhabitabat eas *Rahaba* prostituti corporis femina (Divina pagina meretricem vocat.) Ibi quiete noctis transactâ, postridie urbem dissimulanter obeunt, séque sub vesperam ad suum referunt hospitium. Non potuerunt esse tam inobservati, quin re ad regem delatâ, mitterentur lictores, qui emissarios comprehenderent & oneratos vinculis in custodiam darent. Id agi præsentiens callida mulier, abscondit peregrinos in solario seu parte domicilij superiore, eósque lini stipulis, quas ad solem expansas siccabat, cooperit. Superveniunt interea regij apparitores, & advenas perquirunt. Mulier à mendacio, ut credebat pio, consilium capiens, respondet, viros quosdam ignotos paullò antè apud se cænatos, discessisse; qui si proditionis suspecti sint regi, posse eos negotiô parvô, de via retrahi ab insequentibus; esse tantùm opus celeritate. Illi feminæ verbis circumventi, omissa perscrutatione domûs, ne cunctatione spatium darent fugientibus, excurrunt festinanter per viam, quæ ad *Iordanem* fluvium ducebat, rati, fugam insidiatoribus, undarum obstaculô intercluſum iri. Interea mulier adit hospites, indicat, in quanta mortis vicinia versentur, quos tamen ipsa vel capitis sui periculô servatos cupiat, haud nescia, Chananitidis possessionem jure divino genti Hebrææ concessam; marcere dudum incolarum animos, perterritos famâ rerum mirandarum, quas terra, maríque, & recenti Amorrhæorum strage supremus omnium Dominus edidisset; id unum se rogare, ut me-

memores, quanto suo discrimine ipsorũ saluti consuluisset, urbe per vim occupatâ, sibi suæq; familiæ gratiam rependerent pro beneficio; ejúsque rei fidem juramentô confirmarent. Illi præsentes ei gratias agunt, & in futurum abunde relaturos jurati pollicentur, porrectô in manum funiculô coccineô, in urbis expugnatione suspendendô pro fenestra, per quam demissi fugam expedierint; agnitô illo tutelari Symbolô, domum universam, cum omnibus propinquis, qui in eam se recepturi essent, in tuto fore, & quavis injuriâ liberam. Itaque demittuntur per fenestram, in eodem cum urbis mœnibus pariete apertam; moniti, conscensîs ut montanis, vitarent viam campestrem, perquisitoribus infestam, triduóque laterent, in abdito, donec investigatores in urbem redijssent. Consilium non minùs eventu felix, quám inventu sagax. Ita dictum, factúmque. Nam insecutoribus ad urbem reversis, quòd crederent Hebræos prima nocte Jordanem trajeciisse, descendunt hi de monte, séque ad suos referunt, magnô affectos gaudiô, sive quòd de eorum Salute conclamatum videretur; sivc quòd reduces ostenderent, in manu esse victoriam, hostibus timore jam devictîs & prostratîs; nam quos fregit metus, nulla servant arma.

NARRATIO XXXIV.

SICCUS ISRAELITARUM PER JORDANEM FLUVIUM TRANSITUS, DUCE DEO AC JOSUA. Lib. Josue. c. 3.

Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.

INvia nulla est virtuti via. Posteaquam Josuæ ab Exploratoribus ex Palæstina, quò miserat eos, reversîs intellexerat, regionis ejus habitatores, famâ rerum trans Jordanem ab Hebræis gestarum, vehementer esse perterritos; non cunctandum ratus, dum suorum calerent animi, hostium marcerent: movet versùs fluvium castra, *Ierichuntem* Chananitidis [seu Palestinæ] firmissimum trans Jordanem munimentum, invasurus. Trajectus fluminis prodigiosus ita se habuit. Ubi ventum est ad amnem, tum temporis (æstas erat) vel maxime exundantem, primi omnium talorum tenus ingressi sunt Sacerdotes, Arcam Sacram humeris impositam præferentes. Et ecce, continuô cæperunt ex una parte â septentrione [ubi ad montem *Libanum* fons Jordanis] undæ fluviales intumescere; deinde paulatim altiúsque consurgere, & montium speciem referre, immotæque consistere; ex altera verò parte, meridiem versùs & mare mortuum seu lacum *Aspaltitem*, præcipiti fluxu decurrere. Séque dilabendo consumere, ut alveus humore desiccato nudus, fabulosi campi mare relinqueretur.

Pri-

Primi omnium Sacerdotes cum sacro ferculo ad medium fluminis progressi, tamdiu substiterunt, donec populus omnis per arentem transiret alveum. Ibi tum quidquid Hebrææ penè fuit gentis [nam aliquot millia circa Jordanem consederant] armatum & inerme validum, imbelléque, prohibente nemine, sicco pede in ulteriorem ripam, Jerichuntem versùs evasit, eo quidem ordine, ut qui priores tenuerant littus adversum, exspectarent posteriores, donec signô ab imperatore datô, Arca divina, quæ postrema efferebatur in ripam, in fronte agminis constituta, universam multitudinem, bis mille cubitorum intervallô post se relictam, velut dux itineris, populi præsidium, hostium terror anteiret, vicésque præstaret columnæ, antehac nubis & ignis specie, errantes per deserta Hebræos ducentis.

Priùs tamen, quàm undas sublimè suspensas exportatio Arcæ, in cursum suum remitteret, constituuntur à Josua valentissimi quique de singulis tribubus viri singuli, qui totidem Saxa ex alveo Jordanis sublata, in proximum castrorum locum, [sex millibus passuum, & ampliùs à Jordane distabat] cui deinde nomen inditum *Galgala*, à resectis inibi gentis Hebrææ præputijs, deportarent, statuerént-que in tanti monumentum Prodigij; in ipso, quoque fluminis umbilico, alia duodena saxa ab ijsdem erecta, quæ vel visu, decrescentibus undis; vel auditu, circumstrepente aquarum vi, memoriam mirabilium DEI ingererent Posteris.

Quibus omnibus peractis, Jordanis, velut suis in Arcam obsequiis defunctus, sensim ad pristinam molem fluctus revocavit; Hebræi verò, regionem ubi

Chananæam pede contigerunt, quidni gaudiô exultantes, terram tot antè seculis promissam, tot & tam ardentibus votis optatam, tot jam annis, tantis erroribus, molestiis & ambagibus quæsitam, nunc verò tandem inventam, & aditam consalutârint; quidni hymnos & grates DEO persolverint, cùm argumentum tam illustre, támque recens erga ipsos bonitatis divinæ, támque prodigiosum miraculum ab omni oblivione animos avocaret, ipsáque sui admirabilitate, gratissimáque novitate, invitaret ac excitaret. Ipsum equidem Josuen, nihil dubitem, vel in genua procidentem, vel stantem ad cœlum manus & oculos sustulisse, séque ad fœderis Arcam, divinæ præsentiæ testem, ac sedem, venerabundum convertisse, sanctissimóque Numini toto animo, gestu religiosissimo, castissimísque vocibus gratulatum. In eo, quem dixi, castrorum loco, cùm jam manna ningere desüsset, cæperunt agi prædæ, segetes Chananæorum maturæ demeti; rerum omnium affluere copia, Hebræi circumcidi, Paschatísque Solennia celebrari. Neque enim dignus est beneficiô posteriore, qui grates & laudes non refundit in beneficij Datorem prioris. Josue, ut DEO duce, transivit aquas sicco pede; sic immotâ manu dejecit hostium mænia. Cujus rei narratio proximè sequetur.

NARRATIO XXXV.

MIRA JERICHUNTIS URBIS EVERSIO.

Jos. 6, A. M. 2584. Ante Ch. 1469.

NAR.

INane robur est, & vires perditæ, adversus quas pugnat DEUS. Trajecto in eum, quem diximus modum, Jordane, progressus in agrum Josue, è castris, vix dimidiâ leucâ Jerichunte distantibus, dum intentus in curam urbis jussu Nnminis excidendæ, locum expugnationi opportunum circumspicit, spectabilem habet Angelum, viri armati specie. acinace districto terribilem, bellique simulacra cientem [Michaël is erat, Tutelaris gentis Hebrææ præses] auxiliatorem cœlô submissum; quem principio haud agnitum; deinde, quisnam esset, professum, veneratione, quæ Cœlestes decet, affecit. Ab eo [quod exitus postea docuit] capiendæ Jerichuntis omnem didicit rationem: non armis profectò, nec machinis, aut scalis, aut incursu militari; sed sacrâ quadam pompâ, cæremoniisque constaturam. Præmiserat enim tum in omnes universim Chananæos, tum in Herichuntinos præcipuè terrorem quendam insolitum DEUS. Quo terrore consternati Rex, optimates, cives, & quotquot ex suburbijs undique Jerichuntem confluxerant; militare nihil nec pectore retinebant, nec foris præ se ferebant. Nulli Jordanis ad ripam defensores, non miles pro portis; non excubiæ vel stationes in vallis; non propugnatores in mœnibus, atque monumentis. Tanquam enim fortiùs lapides ac feræ, quàm homines, bellarent; obicibus sese portarum, & erectis in cœlum muris circumcluserant: & in eo salutis suæ summam constituerant: nihil super eruptione, super torquendis in hostem telis, aut missilibus spargendis solliciti. Infregerat animos rerum ab Hebræis trans Jordanem gestarum,

rum, sparsa latè fama; tum novissimè Jordanes, alveô per miraculum apertô, transmissus.

Inter hæc Josue quid ageret, partim ab Angelo; mox ab ipso Numinis oraculo, pleniùs ex Arca præmonitus, septiduum indicit exercitui; quô semel quotidie digressi castris, Jerichuntis mœnia circumirent. Pompæ series hæc erat. Antecedebant armatorum plusquam sexcenta millia; formidabile sine dubio, Jerichuntis clausis, palpitantibúsque spectaculum. Sequebatur Arca, Sedes Oraculi, Sacerdotum humeris gestata: ponè quam Sacerdotes alij, numero septem, suas singuli buccinas, quas *Iubilæas* appellant, inflabant. Claudebat agmen promiscua multitudo reliqua; cornibus & ipsa, tubísque militaribus perstrepens. Iste quotidianus fuit, per sex continuos dies circumeuntium habitus & ordo: nemine vel vocem interim aliam (præterquam classicorum) vel clamorem tollente; quòd id Josue vetuisset. Die septimo, pro concione præmonitis, quid fieri præterea vellet, simul ac buccinarum solitô productiorem, concisiorémque cæpissent accipere: captum iri Jerichuntem prædixit. Addebat autem, ut urbis captæ prædam aurea am, argenteam, æneam ac ferream, in *Sacrarium* inferre *Dominicum* meminissent. Cæterorum nec abriperet quisquam quidquam, nec attingeret: sed ut Numine Diris, & excidio devota tractarent. Ferrô viros, feminas; armatos, inermes; Senectutem & infantiam; puberes, impuberésque cum bruti ac jumentis; delerent. Urbem reliquam incendi darent, ac cineres *sempiternum tumulum* efficerent. Processum sub hæc ut alijs diebus omnibus, è castris Hierichuntem versùs.

Urbi

Urbs exspectatione futurorum animi pendens; cùm jam antehac, singulos ad circuitus, stupido metu trepidâsset; eô postremô, fluitare formidine, multô majoribus ex causis, cæpit: ac, cùm spissari negotium, crebriúsque repeti viderent incolæ, quod antea simul duntaxat, unum in diem, acciderat, atrociora meritô suspicabantur. Septies enim luce septimâ (præcipiente Josua, Numinéque) circumobita *Iericbus est*: indefessô tot millium studiö; Sacrorúmque rituum, triumphô verius, quàm incessu, vel pompâ: buccinarum præterea, cornuúmque ululatu nunquam intermissô; trementibus interim intùs incolis, ac quorsum erupturus hic esset rerum anfractus, attonitè præstolantibus. Timebant igitur hi, terrebant isti: cùm repentè, datô per Josuen signô, sub ipsum septimum Arcæ circumductum, horrendus tot millium Hebræorum tam armatorum, quàm inermium, tollitur adversùs urbem, in cœlum clamor, circumjectis undique montibus repercussus. Murique simul ex omnibus circumquaque partibus, non arietibus impulsi, néque ballistis verberati bellicis; sed Angelorum occultis viribus afflicti, subsidunt in exterioris pomærij fossas. Quibus æqualiter undequaque, per corruentium saxorum congeriem, impletis, facilis fit in urbem, unô momentô temporis, ab Hebræis irruptio. Simul urbis captæ confusus clamor exoritur: parvulorum, ac mulierum lamenta; cædes (ut imperatum fuerat) pecorum, hominúmque promiscua. Non ætatis, non forma; non conditionis, aut deprecationis, ulla miseratio. Nec tamen hæc ipsa, laude sua carebat, immisericordia. Nam, quam

quam DEUS jussit, implacabilitas, ea demnum glorioſa ſola crudelitas eſt. Paſſim itaque preces; nec venia: fuga; nec effugium: vulnera, cruor, mortes, cadaverum acervi; cæſorum in alto ſanguine natatio. Non infans, non puella virgo, non ſenex decrepitus, ac ne canis quidem, oſtij cuſtodia, relictus. Omnia ferro populante funus unum; flamma depaſcente, buſtum unum; exſtirpante Joſua Deóque, rudus unum ac ruina fiunt. Rahábæ ſcorti ſolius, domus muro cohærens non eſt ſubruta; quámque ab explorotoribus fuerat, per dominam ſuam, ſtipulata fidem; eam imperiò Joſuæ ſervatam ſibi ſenſit. Funiculi quippe coccinei, quem ei compacto de feneſtra ſuſpenderat exteriore mulier, indiciô notata, cognitáque tamdiu ſtetit inexpugnata; quoad educta materfamilias, cum parentibus ac propinquis, & omni familia, facultatibúsque, conſiſtere cæpit in tuto. Poſt hæc enim in cumulum Jerichuntis ruentis etiam has ædium acceſſiones reliquas extra controverſiam eſt. Superadjecit urbis excidio, triſtiſſimum Joſue Dux epitaphium, & impropitium omne cœlum ei; quicunque Jerichuntem poſteris auſus eſſet ætatibus inſtaurare. Tropæum præterea victoriæ ſuper urbis exciſæ ſqualentem tumulum defixit, *patibulum*, in quod Jerichuntis captum regem compigni juſſit, ac necari dignam publicæ calamitatis coronidem, ob ſcelera quæ tyrannus patrârat: ut, qui civibus nequam, exempli nequiorem facem fuiſſet præferre ſolitus regibus quoque ſecuturis, ad ſupplicij paritatem præluceret. Ut adeò, verum ſi fateri velimus Jerichuntem, & reliquam Chananitidem everterim

Sce-

Scelera sua simulacorum fictilium adoratio, veneficorum & incantationum præstigiæ, ac crudelitas; dum parentes liberos, vel per Sacrilegas flammas lentè traducerent; vel, quod immanius, in statuarum ex ære fusili candentibus brachijs torrendos darent, præterea libidinum nec finis, limes, aut modus aut reverentia. Pœnas igitur extremas jam olim merebantur; eas divina Justitia suis causis in longum dilatas, evolutô tandem dissumulationis circulô, flagitiorúmque numeris omnibus impletis; ingenti cum fœnore tarditatis, inflixit. Duriùs castigat pœna; & protacta peccandi licentia, ferro vindici aciem inducit severissimam.

NARRATIO. XXXVI.
ACHAN SACRILEGUS LAPIDATUR.

Iosue 7. Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.

UNius sæpe noxa cœtum integrum contagione sceleris involvit, & iræ ac vindictæ subijcit divinæ. Eversâ Jerichunte, non quievit ira Dei vindex, vel vindictæ minister, bellicosus Josue gladius; victoriarum tamen cursum aliquantum interrupit hominis unius culpa, plurium sanguine expianda. Tam Numinis, quàm Josuæ interminatione severè fuerat interdictum, ne quis de urbe, anathemati subjecta, funditúsque delenda quidquam sublegeret, aut sibi usurparet. Infregit mandatum cujusdam avaritia militis, cui nomen Achan,

Achan, de tribu Judæ, hic in direptione Jerichuntis conſpicatus inter ſpolia chlamydem purpuream, auro contextam; laminam inſuper auream (vulgata Latina *Regulam*: Hebraica *Linguam* vocat, nimirum in linguæ formam, fuſam vel extenſam) quinquaginta ſiclorum, ſcilicet aureorum. (Noſtrate monetâ, trecentis, viginti florenis Rhenanis æſtimandam) Hæſit in veſtigio Ultio Divina Sacrilegio. Miſerat Joſue ad expugnandam *Haiam* (pulcherrimam iis temporibus, ac montanam urbem, non perinde civibus, ut opibus copioſam) tria pugnatorum millia; negârunt enim pluribus opus eſſe, qui locum explorârant; hi dum aggreſſionem moliuntur, prorumpit ex urbe ſubitò miles, perterritos in fugam vertit, pérque prona fugientibus imminens, triginta tres ex eis cædit. Cladis acceptæ nuntius ut in caſtra pervenit, majorem, quàm pro cæſorum numero, mæſtitiam attulit. Rati namque ea ſe regione jam potitos, & exercitium, uti promiſerat DEUS, habituros illæſum, cùm viderent eo ſucceſſu hoſtium animos vehementer elatos, luctui ſeſe, lacrimísque dediderunt.

„ Joſuen ea maximè calamitas affecit; quare co„ram Arca proſtratus, cum fiducia DEum allo„ quens, Nos inquit, ô Domine, non noſtra teme„ ritate, ſed tuis promiſſis, & prodigiis adducti ſu„ mus, ad terram hanc armis ſubigendam: nunc „ verò, contrà quàm ſperabamus, clade, casúque „ territi; poſt talia belli exordia, quos nobis pro„ greſſus polliceamur; Non noſtrum, ſed tuum No„ men agitur. Quid enim ſit inexſpectatum, perire „ humunciones, è terra prodeuntes, in terram redi-

tu-

„furos; sed tua gloria, tuus honor vindicandus ab „opprobrijs, & ludibrijs gentium. Quis enim te „colet; tibi quis genua ponet, adolebit thura, pa„trabit Sacrificia, si perdis eos, quos tuis Sacris im„buisti, tuo Cultui consecrasti? Quòd si nostrum „supplicium merentur scelera; Magnum certè No„men tuum non meretur ignominiosè traduci, & „conculcari; huic consule, hoc tuere. Hæc ille. Nec cassæ fuere preces. Responsum enim ab Oraculo accepit, surgeret, Sacrilegio pollutum exercitum lustraret: præsentis calamitatis caussam esse, religionem violatam. Itaque recurritur ad sortes; nomina Tribuum per familias & domos jaciuntur in urnam; deprehenditur rea tribus Judæ; & in ea, familia *Zabdi*; in hac *Achan*, occultô furtô devinctus. Hic quâ sorte, quâ suamet confessione convictus, cùm locum ostendisset in tentorio, ubi Sacrilegam prædam defoderat, jussu Numinis, & Josuæ; ducitur in vallem *Achorem*, ab universo populo; tanquam catharma & communis pernicies lapidibus obruitur; deinde in rogum conjectus, cum uxore liberis, omni suppellectile, gregibúsque comburitur, DEO, absoluto vitæ necisque Domino, etiam innocentûm morte in scelus unius, ad aliorum terrorem, & exemplum sæviente.

NARRATIO XXXVII.

VRBS HAJA AB HEBRÆIS EXCISA.

Josue 8. Anno Mundi 2584. Ante Christum 1469.

Dies

Dies aderat, qua *Haitæ* quoque, recenti victoriâ insolentiores, ultrici Nemesi pœnas darent. Josue Numinis Oraculo de ratione urbis capiendæ commonefactus, didicit hostem industriâ magis & arte, quàm viribus esse vincendum. Id hunc in modum contigit. Ex omni Hebræorum exercitu triginta millia fortissimorum virorum delecta, Josue adversùs *Haiam* ducit præmissis quinque millibus, qui non procul urbe locum caperent insidijs; se quippe prolecturum oppidanos in certamen; illisque fugæ simulatione longiùs à mœnibus, abstractis, suis daturum urbis invadendæ spatium; quam ubi occupâssent, indicium facerent fumô altiùs excitatô; ipsum cum reliquo exercitu post juga montium subsessurum, ne hostium audaciam reprimeret conspecta obsidentium multitudo. Successit è sententia strategema Haitæ contemptâ Hebræorum paucitate, erumpunt ex urbe; fugam simulant Israëlitæ; instant illi magnis clamoribus; & tanquam in manu gestarent victoriam, non tam ad periculum, quàm ad cædem & prædam evocant, quotquot armati tenebant urbem præsidiô. Quæ res ubi Josuen advertit, sublatô in altum clypeô, dat signum suis, quos diximus, quinque millium numerô proximè urbem in insidiis collocatos, ut per neglectas portas, In vacuum Defensioribus oppidum, irrumpant. Illi ex ea parte, quæ ab hostili milite aversa sese urbi infundunt; atque ut jussi erant ædibus igne succensis, latè fumum spargunt. Tum verò Josue in hostem persequentem conversus, omnia permiscet cædibus; Simúlque, qui ceperant urbem â tergo coor-

ti

ti, undique cinctos, impunè trucidant, ne unô quidem suorum desideratô, hostium nullô, ne *stragis* quidem nuntio relicto. Quâ clade editâ, victor miles in urbem irrumpit; nulli ætati nec sexui parcit [duodecim millia cæsa traduntur] locúmque flammis vastatum; æquat solo; rege in furcam actô. Jumentorum, pecorum, & auri præda dives egesta, militi, tum qui præsens dimicaverat; tum qui jussus ad castra *Galgalæa* remanserat, universa permittitur; nec ut in Jerichuntis excisione, ferrô flammisve corrumpitur. Captis exinde montibus *Hebale* & *Garizi*, nihil habuit antiquius Imperator, quàm ut in Hebale, arâ Numini dedicatâ, victimas immolaret, ínque lapidibus Lege Decalogi perscriptâ veterem Religionem novo fœdere Sanciret cum DEO. Nam sine pietate nullum est pondus armis; & qui victoriam religione coronat, auspicium novis triumphis præmittit.

NARRATIO. XXXVIII.

GABAONITÆ FOEDUS AB HEBRÆIS DOLOSE IMPETRANT. Josue 9. Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.

RECTÈ Seneca: & omnibus, inquit, & nemini credere, vitium est. Alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. Jerichuntinorum & Haitarum clades latè rumore nuntio propagata, ingentem ubique terrorem sparsit. Ita-

que *Gabaonitæ* [ab urbe Regia *Gabaone* dicti, quantum *Hævæi* tenebant, gens una de septem *Chananæis*] non communi solùm omnium Chananæorum timore, sed proprio etiam, vicini periculi causâ, commoti, sibi quoquo modo consulere studuerunt. Cùm enim neque armis quidquam [quamquam Scriptura teste, bellartores fortissimi habebantur] DEO pro Hebræis pugnante, neque precibus se effecturos sperarent, ad fraudem animos intenderunt, compositis in eam rem Legatis, cibarijs, vestibus, cæterisque ad fucum mendacio illinendum accommodatis. Veniunt igitur, qui missi erant à Gabaonitis, ad Josuen, in Galgalis tum stativa habentem, aiunt se famâ rerum admirandarum non humanæ virtute gestarum, ipsiusque comprimis Imperatoris fortibus factis excitos, advenisse, cùm ut gratularentur victorias de regibus Amorrhæorum partas; [de excidio *Ierichuntis* & *Haiæ* tacuerunt, quia illud novum & recens erat, nec poterat ad longinquos, quales se fingebant, tam citò pervolare] tum in societatem fœderis, & communia Sacra admitterentur; neque enim religionem ullam sibi potiorem esse, quàm ejus gentis, à qua ceterorum Numinum omnium Cultores profligarentur. Haud quibat dolus tam adornari callidè, quin suspicio quædam tangeret sagaciores Israëlitarum; quare non omittunt scisciari, missíne gentis Oratores adessent, longiùs à Chananitide remotæ, an regionis ferro suo devotæ incolæ; non enim fas esse per leges suas amicitiam cum ijs inire, quos Numinis effata funditus perditos vellent, & excisos. Hîc illi negando persistere, natale sibi solum inter Chananæos esse;

sed prodigiis ab Hebræorum DEO patratis evocatos, è terra longinqua profectos, non dubitâsse se, salutémque suam Israëlitis credere. Atque ut de fide dictorum suspicio nulla relinqueretur, ostendebant panes, quos recentes itineris commeatum sumpsissent, mucore consumptos; utres vini novos, ruptos & solutos; vestes & calceamenta longitudine viæ pertusa & detrita; indicio hæc esse, se nihil ex vano referre. Cæterùm tam cibaria, quàm vestimenta de industria jam domi ad fallendum [non procul enim Hierosolymis distabant] præparata, fraudi conciliârunt fidem.

Josue, qui ceteros suo metiebatur affectu, vera dixisse ratus [adeò Sancta temporibus illis erat fides] explorato præsertim Legatorum habitu, commeatuque, & adhibitis in consilium proceribus, recipit in deditionem, & amicitiam Gabaonitas. Vix triduum intercessit, cum intellectum est [fortè à populatoribus] *Gabaonem*, urbem inclitam civibus & copijs affluentem, in vicino sitam, ab *Hevæis*, viris bello claris habitari. Quare reclamare quidam è Ducibus Hebræis, mortîsque victimas pronuntiare simulatores perfidos; non tamen immutavit animum Josuæ deprehensa fraus; ne, dum alienam perfidiam arguit, suam ipse fidem solveret; tantúmque valuit juramenti reverentia apud animos religione tactos, ut fidem etiam hosti mentienti datam, nollent infringere. Donantur vita Gabaonitæ; damnantur servitute [nam fraude jusjurandum extorferant] jubentur ligna cædere, & aquas ferre ad publicos omnium usus, præsertim Tabernaculi & Altaris, tam parentes, quàm Nati natorum, & qui

nascentur ab illis. Et ideò *Nathinæi* sunt dicti, quasi in perpetuum Templi (quod postea Salomon exstruxit) famulatum donati. Ita fieri amat; decipit seipsum, quisquis decipit alios. Fallacem linguam luêre mancipatæ manus & scapulæ Mendacio redempta vita, empta longa servitus. Potuisse hanc avertere, & illam servare supplex veritas:

NARRATIO XXXIX.

PLVRIVM CHANANITIDIS REGUM EXSTIRPATIO VICTORE JOSUA, COELO, SOLE, LUNA JUVANTIBUS.

Lib. Jos. cap. 10 11. 12. Anno Nundi 2584. 2585. 2586. &c. Ante Christum. 1469. 1468. 1467. &c.

GAbaonis amicitia cum Hebræis inita, quantùm novis fœderatis, ex securitate salutaris tantùm vicinos apud reges ac populos, ex transfugio, fuit invidiæ. Quare concitante totam latè viciniam, *Adonisedéco*, Jerosolymorum rege; (aberat námque Hierosolyma Gabaone haud ampliùs duabus leucis, seu horis) priusquam communi consilio, copiisque, Chananititis universis quæ conjurârat in Josuen, conveniret; *Oham* interrim Hebrónis *Pharam*, *Ierimothæ*; *Iaphiam*, *Lachis*; *Debir*, Eglonis reges, stirpis Amorrhææ posteritas, bellí facere principium instituunt. Peditatûs igitur & equi-

equitatûs ingenti collecta manu, primùm Adonisedeco se jungunt. Deinde concordibus & copijs, & animis ad Gabaonem castra locant. Gabaonitis ab hoste tam multiplici circumsessis, & in arcto jam positis? Josue laturus opem, è castris Galgalæis properat in hostem. Validissimam ducebat, alacrémque manum, & ideò nihil neque laboris, neque periculi detrectantem. Quô factum est; ut nocte tota strenuè profectus, & indefessè; priùs, quàm matutina lux allatum subsidium aperiret, & amicis pariter inexspectatus, & hostibus improvisus superveniret. Sopitos adhuc & semisomnes, ac partim arma contra parentes, partim per trepidationem omittentes, immani cæde vastat, ac disturbat. Auditô, quod foris gerebatur, circumclusi castris ab hostîlibus Gabaonitæ, portis etiam ipsi erumpunt, ac cædem adjutant.

Vincendi quinque reges erant, cum totidem exercitibus, quibus tamen cùm res Hebræa, locis omnibus, superior esset, profligati tandem, dare terga fugæ cæperunt. Sed quantùm illi celeritatis in fuga; tantùm in ijsdem insectandis Josue ponebat, qui terga trepidantium assiduè cædendo, vias omnes cadaveribus implebat. Juvabat autem cladis magnitudinem, è Cœlo DEus, Josuæ commilito. Cùm enim fugæ principium, (ut fieri suevit) ardentissimum, Amorrhæos *Bethorónem* celeriter pertulisset; priùs, quàm oppidi fines, in arduo siti, declivi collium descensu, post se relinquerent: ecce tibi, nubes insolenti repentè tempestatis procella, caloréque conglomeratæ, vim lapidum ingentem ac densam, grandinis prodigiosa magnitudine, super fu-

gientes effundunt. Horum, plerosque cùm neq; scuta tegerent, (quippe cursûs expeditioris, ac studiô fugæ celerioris, abjecta) nec cæteros hostis insequens, feriendo, vulnerandóque sternere cessaret: saxa cælestia cooperuêre, funere longè numerosiore deletos, quàm quos in acie fugáque ferrum hostile sustulerat. Quantum *Bethorónem* inter & *Azécam* interjacet spatij, quod ferè decem millium est passuum: trucidatorum corporibus omne completum, natabat sanguine, grandinéque sensim liquescente.

Sed nihilosecius eorum, qui grandinem, & furentem Hebræum evaserant, tanta superfuit sparsa per agros, viásque copia; victoribus ut admirationi pariter essent, ac dolori. Solitudinem enim ac metum injecerant, ne tam ingens ex omni penè *Chananitide Superiore*, suis excita sedibus, barbarorum vis, si cladem evasisset, denuò confluueret: ac cæterorum addita regum copiis, laborem Josuæis in immensum augeret. Lucis ac diei perexiguum erat futurum reliquum: tametsi prælium cœptum ante diluculum in vesperam usque productum esset. Josue Dux igitur, mentem impellente Numine, dum est in medio victoriæ cursu, versus primùm ad Solem (qui tunc, ut in æstivo solstitio, Gabaonem affulgebat ab Cyprio mari) mox ad Lunam quoque quæ contra vallem *Ajaloniam*, jam jam albescebat: & hanc stare jubet, & illum. *Solem* quidem, ne properaret ad occubitum; Lunam, ne pleniore radio noctem inchoaret antè, quàm Amorrhæorum quinque regum universus esset exstirpatus exercitus. Et imperio paruit utrumque Sidus: ab eo præ-

cepti

ceptí momento, prorogato ſplendore Solis, quantum unius æſtivæ lucis eſſe ſpatium conſuevit: quod quindecim, ut minimum, & aliquantò plus, horarum eſt. Quô tam longô, Solis ac Numinis, uſus beneficiô miles; DEO fatigatis ſuppediante vires novas: cædendi, ſternendíque finem non antè fecit, quàm ad internecionem funderetur Amorrhæus, & Sol tum demum, ubi nullam vidit, Hebræo gladio debitam, reſtare victimam, lumen ſuum, diémque clauſit.

At effugerant Adoniſedecus, Ohas, Pharas, Jáphias, ac Dabir, reges. Hos fuga ſociata, Macédam usque pavitantes abſtulerat. Ibi ex fuga in ſpeluncam ſe conijciunt, aſylum ac latebras, utí ſperabant, reperturi. Quô Joſue compertô, mox jubet obſtrui ſpecûs os, immanibus advolutîs petrîs; appoſitîs, qui cum cura, ne fortè per æſtum elaberentur, excubias agerent. Ipſe verò reverſus Macédam cum omnibus copiis, revolutîs ſaxîs, imperat produci latitantes; exſangues metu, ſnpplices, & conditione quavis incolumitatem paciſci paratos. Sed nullam merebantur clementiam, quos DEI ſeverum imperium, & ſua, correctionis impatiens, pravitas, Joſuæ puniendos, delegaverat. Híc ergo ſurdis ad tyrannorum ploratus auribus, humi primùm eos ſterni: deinde principum ac tribunorum, proteri pedibus ſtratorum colla, præcepit. Ad extremum, fruſtra Deorum, quos impios impiè coluerunt, opem inclamantes, defixis, pro numero reorum, ſtipitibus, in ſuam quemque crucem tolli jubet, ac mori. Poſt ſuſpendium autem, ac mortem detractorum, ad Solis occubitum corpora, red-

dita ſpeluncæ ſunt: occludi Joſue mandavit; ſaxis grandibus in monimentum ignominiæ ſempiternum, ad os ſpecûs aggeſtîs. Perfectô ſuppliciô regum, ac legionibus ad Macédam, eodem adhuc die, raptîs; impetu primo capit urbem: captam, interfectis incolis omnibus, ferro, flammâ, direptionibus exhaurit.

Poſt hæc, urbes *Lebnam*, *Lachin*, *Eglonem*, *Hebrón*, *Dabiram*, ſeu *Cariath-Sephéram*, Chananæorum Academiam adoritur: eásque cum regibus ſuis, & incolis, capit ac evaſtat. Novas interim turbas & bella ſerit, adversùs Joſuen, *Iabínus*, rex *Aſoris*; urbis & regni omnium potentiſſimi. Is inferioris, ſeu Aquilonaris Chananitidis reges, & regna omnia concitârat in Hebræos: coràm & per legatos. Dum luſtrantur copiæ ad aquas *Merom*, ſeu Lacum Samachoniten, improvidis ſupervenit Joſue, conſternatósque Hebræorum vocibus, armis, inſultu quaquaverſùm horribili, DEO præſertim territis terrorem ſupperaddente; fundit, fugat, cædit. Ac ne curribus quidem falcatis, imperiô Numinis, illius belli miniſtris, & comitibus data venia: quò minùs, & hi, cultris varices incidentibus, ad greſſum redderentur inhabiles; & illi, cum harpis ſimul ſuis, incendio pabulum, rogúsque fierent. Præda ingens, quantam in caſtra portare tot myriadum hominum potuêre manus, ac jumenta, capta, & in Galgala avecta. Sed priùs quæſiti reges & tyranni, qui cædi ſuperfuerant: ac mactati ſunt. Jabinus imprimis cum regia ſimul urbe, captus tandem; urbs incenſa, incolæ omnes trucidati, rex gladiô necatus eſt. Ita ſexennii, circuitu tota ferè ſubacta, diviſáque

Vi-

victoribus est, Chanaanitis regio; Chananæum autem nomen omne sic accisum, ut censeri quodammodo posset eradicatum. Quô factum est, ut in castra Galgalorum redeunti Josuæ, defigi, jure quàm optimo potuerit, *Vnius, ac triginta Regum* superatorum, memoriabile tropæum: qui partim ipsi, Mosique; partim Josuæ soli, sine bellorum collega, procubuêre victi, sublatique. Recenset eos omnes ac singulos, nominátque Sacer Josuæ libellus. Ubi velim, intelligas, Reges ad eum ritum, ac potentiæ modulum appellari solitos esse reipsáque fuisse: quinque regio more, juréque, locis haud incelebribus, [ab urbe principe plerumque regium nomen capiebant] dominationem obtinerent; alienis atbitriis aut penitus non obnoxiam; aut, si multùm, non nisi stipendiariam, fiduciariámve. Cæterum laudem omnibus Imperatoríbus invidendam, duo continent verba: JOSUE STATOR SOLIS.

NARRATIO XL.

ADONIBEZECI TYRANNIS, LAISARUM IDOLOLATRIA, GABAITARUM LIBIDO VINDICATA.

Judic. 1. Anno Mundi 2601. Ante Christum 1452. Et Iudic. 19. 20. 21. Anno Mundi 2622. Ante Christum 1431.

Bezecam Adonibezecus obtinebat: regiam, & opere, sitúque firmam imprimis urbem Palæstinæ. Ingens erat viri fama, quippe qui bello, quoscunque libuisset, aggressus, nullo juris & iniqui discrimine, semper jus totum in armis habuisset. Reges enim, quales tum erant, septuaginta, alium ex alio lacessens, nunquam non discedebat superior. Victos autem non ut victor ingenuus, sed ut crudelis ac superbus tyrannus habuerat, Namque bello subactos, summis manuum ac pedum articulis truncavit, quò prælijs pariter, & fugæ prœliorum deinceps inhabiles; ac simul, pacisque tractandis armis penitus inutiles redderentur. Quæ cùm tyrannidi non sufficerent, miserè deartuatos, tanquam canes sub mensam retrursit, solis epularum retrimentis, in famelicos projectis. Sed Vindex DEUS eadem lege *Talionis* regessit in caput crudele mala. *Othoniel* quippe, Josue successor, & *Caleb* frater ejus Hebraicarum copiarum, maximè tribuum Judæ & Simeonis, Duces, tyrannum demillibus suorum amissîs, in fugam actum *Bezoca* obsederunt; unde cùm profugisset, Hebræi insecuti, retraxerunt è fuga, inque castra perduxerunt. Ibi totius exercitûs in conspectu, regem supinum humi stratum ac religatum, cultris immanibus incessunt ij, quibus id imperatum erat: & manum, pedúmque supremis digitis minuunt, atque mutilant: ejulantem, ac multis fortunarum suarum versas conditiones deplorantem; Numinis æquissima lege, quôd quisque nefandè fecerit in alium, id ut in seipsum experiatur, pérque ea quæ peccat, torqueatur.

Hoc supplicium crudelitas tulit; quod jam narra-

bo.

bo, Idololatria Civium urbis *Leiſæ* ſubijt; Jud. 18. 19. Anno Mundi 2622. Habitat id loci *Michas* quidam, Ephraimita; is matris viduæ peſſimis exemplis inductus, idolum ſibi conflavit ex argento hæreditario, illúdque civibus inſuper ſuis colendum propoſuit, præfectô Sacris deteſtandis filiorum unô, & *Ionatbá*, homine Levitico, vagabundo, egeno, impio. Cujus rei famâ ad *Danuticam* fortè Tribum perlatâ, ſexcenti viri bellatores corripiunt arma, idolum pariter & Sacrificulum Jonatham, non invitum rapiunt, incolas occidunt, urbem incendunt, Quam deinde reſuſcitatam ex ruderibus, & *Danem* à ſuâ Tribu appellatam inhabitant; haud ſanè meliores prioribus incolis, quorum nefanda Sacra idolo Michæo inſtituta, uſque ad captivitatem Aſſyriam (quando Theglatphalaſa Rex Aſſyriæ ſubita irruptione Galilæam invaſit, & tres ac dimidiam Tribus abduxit) hoc eſt in annos 657, propagârunt.

Non minùs luctuoſum eſt relatu, quod circa eadem tempora contigit; Jud. 19. 20. 21. quando Tribus Beniamina à cæteris tantùm non occiſione deleta eſt; occaſio cupiebatur ex Gabaitarum libidine; apud quos Levita hoſpes diverterat; Bellum id erat civile primum Judaicum; DEO, ut fit, incontinentiæ fædiſſimæ maculas, balneo Sanguinis eluente.

Cùm enim juvenis quidam de genere Levitico, Sichemô oriundus, domum ex oppido Bethlemo reverſurus, de via divertiſſet in urbe Gabaa; & ab ejus loci incolis flagitioſiſſimè illuſum eſſet uxoris corpori, etiam vitâ per libidinem inſatiabilem ereptâ,

ptâ, ſtatuit atrociſſimæ turpitudinis vindictam à communi duodecim Tribuum petere tribunali. Defert igitur & flagitium, & ejus teſtes; Secta conjugis membra in totidem, quod erant tribunalia, fruſta. Atrocitas injuriæ vehementer commovit Judices quare de conſilio Tribuum publico, mittuntur legati ad Benjamitas [horum enim ditioni Gabaa ſuberat] qui poſtulent, dedi ſibi ad ſupplicium nefandi criminis non tantum autores ſed etiam fautores. Fruſtra fuit legatio. Suſcipiunt ſceleris execrandi patrocinium Benjamitæ, & numero viginti millia Gabaam movent, ad eam armata vi propugnandam. Irritavit magis hæc contumacia cæteras Tribus. Igitur conveniur *Maſphæ*, séque juramentô obſtingunt, neque connubia cum Benjamitis ſociaturos, néque ſuorum quemquam, ſancitâ capitis pœnâ, abeſſe paſſuros á bello, perduellibus inferendo. Conſtituitur Imperator ſummus *Othoniel*; è Tribu Judæ delectus. Concurritur adverſis prælijs ſemel, iterúmque vincunt Benjamitæ, tantâ editâ ſtrage, ut priore pugna viginti duo Iſraëlitarum millia, poſteriore decem & octo millia ceciderint, Permiſit id DEUS, tametſi in Tabernaculli Siluntico conſultus, autor belli ſuſcipiendi fuiſſet, ob culpã idololatriæ Laiſenſium lentiùs caſtigatæ. Ad extremum tamen conciliant victoriam repetitæ preces, Sacrificia, cæteráque pœnitentium animorum præſidia. Cæduntur propè Gabaam, Benjamitarum octodecim millia. pereunt. In fuga ſeptem millia pereunt. Ex toto exercitu vix evaſerunt ſexcenti in Petram *Remmonen*. Non Gabaa modò, ſed tota Benjami-

ta-

tarum regio ferrô, flammâque exscinditur; nulli sexui nec ætati parsum. Exinde gratijs Numini ob victoriam persolutis, inquisitum in eos, qui Sacram militiam vel deseruerant, vel non adierant. Deprehensi *Galaaditæ*, *Iabessam* urbem trans *Iordanem* incolentes. Etiam in hos sævitum, nullo discrimine. Urbs funditus diruta; servatis duntaxat quadringentis puellis, totidem viris in matrimonium tradendæ. Nam, ut fieri solet, ubi exsatiato furori misercordia successit; barbarum videbatur, Benjaminèam Tribum penitùs delere. Ergo Galaadinæ Virgines illæ despondentur Benjamitarum reliquijs, quas ad sexcentos fuga servârat. Ducentis quoque sponsæ quærebantur apud siluntinos, quas cum religionem jurisjurandi non viderentur à parentibus impetraturi, suasu Principium Israëliticorum, adoriuntur Benjamitæ puellas, fortè choros ducentes, & in uxores rapiunt, felici successu, & novæ Sobolis incrementô. Hunc finem habuit bellum Benjamiticum, quod paucorum vesana libido incendit, multorum millium sanguis extinxit.

NARRATIO XLI.

AODUS INTERFECTO EGLONE MOABITARUM TYRANNO, HEBRÆOS E SERVITUTE IN LIBERTATEM ASSERIT.

Iudic. 3. Anno Mundi 2669. Ante Christum 1384.

SI quando verum ullâ fuit in Republica, quod de singulis hominibus proverbio circumfertur; „ Unumquemque fortunæ suæ, seu secundæ „ seu lævæ, certissimum esse fabrum: id de populo sine dubio verum fuit Israëlitico, post Mosis ac Josuæ tempora sub Prætoribus, quos *Iudices* nominabant. Cùm enim Ducibus illis mortalitate functis, paullatim adversùs interdictum Numinis, exterarum se conubijs implicarent Hebræi: móxque nuptarum persuasionibus illecti Dijs earum, Deabúsque se dedicare cæpissent: in DEI veri justissimam indignitionem prolapsi premebantur ijs à populis, quorum ipsi religiones, suæ religioni prætulerant; rerum civilium statu, unà cum variatione sacrorum variante; ad Regum usque tempora, Saulis ac Davidis, annis paullò minùs quadringentis.

Judicum primus *Othoniel* fuit. Is annis quidem, post Josuem, quadragingta, vitam; sed non nisi decem postremis, Judicis nomen ac jus, reipsa, magnáque cum laude sustinuit. Othonieli succesit Aodus, generosissimus juvenis ex tribu Benjaminis, ambidexter, Romanô scævolâ fortunatior, Eglonem Moabitam Judæos vexantem, cultro interemit, pingui abdomine hauriente mortem cum ferro. Huic occasio liberandi sui populi â jugo octodecenni Moabitarum, oblata fuit ex legatione, quam unà cum alijs suscipere cogebatur ad tributa & munera, Eglonì Moabitico tyranno perferenda. Fortè is ex Moabitide secesserat in agrum Jerichuntinum, ubi validum imprimis, ac permunitum propugnaculum ex ruderibus Jerichuntis constituerat; Voluptatis pariter domicilium & Hebræorum ter-

terrorem; [Sacer scriptor, Urbem *Palmarum* vocat.] Venit eodem Aodus, populi nomine legatus, cum sociorum, ac familiari comitatu; quæque publicè mittebantur seu tributa, seu dona, procerum in conventu, regi tradit. Perfunctus officiô, regique jam, novis de causis, multò, quàm antè commendatior, præsidij munitiones diligenter perlustrat, admirantis potiùs, quàm explorantis fronte.

Remensus iter cum socijs, ubi pervenit in *Galgala*, Urbem ut religione olim inclytam; ita nunc Deorum sculptilium simulacris publicis impletam; tunc suapte pietate, tum incitamentô Numinis incensus, statuit nefas illud evertere. Cunctîs igitur, qui comitabantur, dimissîs, vel solus, vel non nisi cum puero pedissequo, Jerichuntis in castellum, adque regem Eglonem revertitur, gladiolum secùm consuetum, & insidiarum vetus propositum, occultè portans. Postulat introm itti, tanquam *secreti magni* bajulus; cujus cum rege communicandi, necessitas eum ab itineris medio revocâsset cursu. Reperit haud difficilem aditum, remotîs cunctis arbitrîs. Non optimates modò, sed & corporis soliti custodes, sese longiùs, quam pro consuetudine segregârant: & incustoditum regem, sub *hostis* quondam, & tunc *servi* manu, reliquerant; fautâ, sine dubio, tum regis ipsius, tum procerum ac satellitum incolumitatis fiduciâ.

Introductus igitur Aodus: ac, reductis post se foribus, adoratóque rege, professus, à Galgalorum delubris, ad quæ divertisset ex via, redeuntem, efferre se Divinum, & ingens, & ad regis caput pertinens, arcanum; permovit virum superstitiosum, ut tanquam

quam Deorum ſuorum excepturus Oraculum, eorum honoribus aſſurgeret: qui ſedens hucusque de ſolio legatum excepiſſet. Eum igitur, hoc corporis erectiore ſitu nactus Aodus votis ſuis opportuniorem, ac ſtare jam incipientem, inobſervatus adoritur: & unô ſimul temporis articulô, *craſſam* alloquens, allevans, percutiens; raptam è femore dextro ſicam lævâ manu, ventri ſurgentis infigit, impetu tam valido vulneris: ut, præter morem non mucro tantùm extremus, ac media ferri lamina, ſed planè capulus ipſe, pinguiſſimam alvum intraret, cum parte ferientis manûs. Confeſtim diffluxit anima; Aodus, relictô ferrô in vulnere quamprimùm in pedes ſe conjecit, obſeratis cœnaculi foribus. Elapſus, mox belli Moabitici claſſicum inſonat; ingentem populi Hebræi collectam multitudinem,, in Moabitas ducit; omniúmque primó in locum, ubi cædes regis erat facta. Interim Eglonis ſatellites, & conſiliarij diutiſſimè foris exſpectantes, & aliud quidpiam eum agere ſuſpicantes, tandem inſertâ clavi, cœnaculi fores aperiunt; Eglonis interitum inveniunt, ac deplorant; Aodus improviſô cum ſuis eos opprimit: & reliquos ad Jordanem uſque perſequitur. Ibi nova & atrocior pugna cum Moabitis, qui tranſire Jordanem amnem conabantur, ijs locis, quibus erat ſicciſſimus. Sed cædente terga fugientium Aodo; vada verò tentaturos barbaros, Ephræmita milite, cuſtode fluminis, prohibente, hoſtium decem millia conciſa ſunt. Ita pacata Palæſtina, ſoluta ſervitus Moabitica: *Index*, ac Tribuum Hebræarum Prætor, Aodus declaratus: ut idem, qui bellorum fuiſſet, etiam Æquitas eſſet, Vindex, in utramque lancem *Ambidexter*.

NAR.

NARRATIO XLII.

FORTISSIMVM FACINUS SAMGARIS, TERTII HEBRÆORUM JUDICIS.

Judic. 3.

Anno Mundi 2709. Ante Ch. 1344.

RUsticum vomer, quo Samgar Hebræus Agricola, olim insigne roboris specimen dedit, nobis silentio prætereundum non est, tanquam idoneum documentum, nihil esse tam vile ac abjectum, quod non ad magna quæque divinæ dexteræ concursu, esse possit instrumentum. Non est nobis silentiô prætereundum, roboris insigne specimen, quod Samgar Hebræus Agricola dedit. Ubi vicinas apud gentes, perpetuô Israëlitarum odiô flagrantes, rumor increbuit, vitâ decessisse fortissimum Principem Aodum, multarum palmarum Ducem, Philisthæi (quos septuaginta Interpretes *Allophylos* seu alienigenas appellant) incolæ regionis, Phœnicio mari adsitæ (unde palæstinis origo nominis) excurrerunt in terram Israëlitarum, more latrocinantium, ad prædas abigendas, hominésque in servitutem abducendos. Quæ si processissent ex voto initia, haud dubium relinquebatur, quin in apertum bellum erat eruptura hostilitas. Nemo tum securè faciebat iter, passim vias insidentibus prædatoribus, & omnia intuta reddentibus. Unde Judic. 5. *In diebus Samgar, &c. quieverunt semitæ, & qui ingrediuntur per eas ambulaverunt colles devios*, omissis

quippe viis publicis, passim infestatis, cogebat periculum sectari semitas invias & occultas.

Agrum fortè colebat *Samgar*, junctis aratro bobus; cùm derepentè prædatoria Philisthinorum manus, sese in conspectum dat; exspoliat villas & pagos; ínque Sámgarem facto impetu, conatur boves eripere, ipsum in servitutem abstrahere. Vim & iram suscitavit injuria, minístravit arma furor; cùm enim telum aliud ad manum non esset, arrepto dentali, cum vomere, quo terram proscindebat, prosilit in pugnam, strenuéque circumductô partem in omnem ferrô, plagas, vulnera, funera dividit; nec antè cædendo absístit, quàm Philisthæorum omninô sexcentos straverit; utique facinore memorando, Samsoniæque maxillæ præludente. Ita repressa latrunculorum audacia: restituta virum libertas: commeantibus securitas: urbibus, & agris quies.

Nimirum animus in corpore præsens, & bona causa ex aratore bellatorem reddiderunt. & victorem, qui cùm tam fortiter pro patria, & populorum salute staret, dignus est, ut Camillos inter, & Curios, Circinnatos, fabricios, Romanorum heroes ab aratro ad dictaturam vocatos, laureatos fasces & vomerem omni posteritati ostentet.

Fama facti mox latiùs cum terrore propagata, latrunculorum audaciam aliquamdiu compescuit; donec laxatis iterum impietati frenis (Mors namque tam Aodi, quàm Samgaris, præturam anno non integro tenentis obicem in scelus ruentibus removerat) DEUS, in Hebræos ad vomitum redeuntes, Vindicem immisit, *Iabinum* Chananæum, Regem Asoris,

Asoris, unum ex illius Jabini posteris, qui maximum, contra Josuem, bellum annos ante centum, & quadraginta conflaverat. Hic sive angustos imperii fines prolaturus, sive avitam ignominiam deleturus, continuatis viginti annorum cladibus contumaces Iudæorum cervices attrivit, uti mox narrabimus.

NARRATIO XLIII.

SISARÆ CHANANÆI DUCIS, FATA

LIS HAUSTUS, ET SOMNUS.

Judic. 4. Anno Mundi 1741. Ante Christum 1312.

Baracus, quartus Hebræorum Prætor, luculentam, de *Sisara* Philistæo victoriam reportavit; cujus susceptæ, & perfectæ laus omnis, penes mulieres fuit. Nam & *Debbora* Prophetis, ad castra profecta, Baracum in hostem immisit; & *Iahel* fugientem Sisaram, hausto lactis consopitum, trabali clavo transfixit. Quippe fœminæ, quocunque se vertant, semper immodicæ, vel extrema vitia, vel virtutes summas persequentur. Historiæ narrationem hanc accipe.

Vigesimum jam annum ingemiscebant Hebræi, sub *Iabini*, quod suprà, indicavi, *Asoræorum* in Chanaanitide, regis, supremique copiarum ejus Ducis *Sisaræ*, duris imperijs, & acerba servitute. Libertatis pristi-

pristinæ vindicem enixè flagitantibus à cœlo, DEUS salutem per fœminas tulit. Erat eâ tempestate divinitus afflari sueta, Debbora vidua, (juxta mentem D. Ambrosij) post virum è vivis sublatum, toti Numini mancipata; quam DEUS Prophetidem repentè suscitavit, jam non ad responsa tantùm, & jura; sed etiam adversùs tyrannum, arma danda, præsentíque ductu tractanda. Et quia, postquam Sacris exciderant Hebræi, robur quoque gentis collapsum erat; placatum supplicijs Numen, existimavit præcipuo quodam impetu tribuum quorundam Duces, præsertim *Baracum*; qui hortatrice *Debbóra*, comparato decem millium exercitu in hostem movit, adjunctáque sibi expeditionis comite Prophetide, montem *Thaborem* cum copijs insedit, exciturus ad bellum Sîsaram, summum rei militaris, apud Jabinum regem, præfectum. Ad quem ubi perlata est fama defectionis Baráci, & montis Thaboris manu non maxima occupati; quanta potuit festinatione contraxit ingentem militum manum, cum nongentis curribus falcatis, & maximo belli apparatu; montémque Thábórem circumsedit. Non fefellit Barácum, ejúsque militem, instantis magnitudo periculi: quippe quibus Thaboris èvertice despectantibus, hostium esset omnis in conspectu multitudo. Formidinem tamen eis Debboræ Prophetidis eximebat, non oratio tantùm, sed & omni facundior eloquiô, comitatus. Non minùs Sisara Dux, curru sublimis, aurô gemîsque conspicuô, agminibus obvolitans, instigabat omnes ad conflictûs audaciam.

Cæte-

Cæterùm Baracus victoriæ minimè dubius, cunctorum militum animos, novo quodam ſubeunte robore, inſtructa cum acie, receptâ in medium agminis Debborâ, ſe demittit ex altiore loco, in Chananæos, tempeſtatis ritu, ferociter invehitur, ſibíque per obſtantes, latè viam ferrô patefacit; ſtrenuè Ducem ſequente milite, & cœlo quoque, nimbô, grandine, dejectis flammarum globis ac facibus; Angelóque diſtricti gladij fulmine, vultúsque formidabili ſplendore, terribiliorem hoſtibus Baracum reddente. Jámque perruptis hoſtium cuneis, & agminũ, turmarúmque disjectis ordinibus, fluctuare barbarorum acies: turbari ſigna, diſſolvi pedeſtres ordines, & equeſtres alæ; diſperſæque per incertum volitare paventium hoſtium legiones: & implicari, mutuò ſe turbantium agmina bellatorum; ſimul tellure contremiſcente, nutante ſolo, ſylvis ac rupibus horrendùm ſonantibus, frementeque flumine; cœlo tonante, miſtisque flammæ fulguribus auram incendente: punctô penè temporis omnia procella fiebant, corporúmque ſtrages una. Ruere milites, duces, equi, viríque, falcigerique currus; quos incuſſus cœlo terror, lymphatis, attonitísque ſimiles, cum jumentis, & inſeſſoribus & quadrigarum agitatoribus; partim per plana retro; partim per præceps in flumen: alios in obvia rupium, valliúmque ſurſum ac deorſum raptabat: diffractis falcium ac telorum cuſpidibus, & immani cum ſonitu, rotis in fruſtra diſſultantibus.

Siſara cùm fruſtra turbatam aciem reſtituere conatus eſſet; ſurdas enim aures habet pavor; deſperatis omnibus, fugæ Conſilium ipſe quoque cepit;

ne verò noscitaretur, aureo desilit curru, abjectóqu
paludamentô, cum cæteris imperatoris insignibus
pedestrem init, & incomitatam fugam, nulli facil
nisi se familiariter olim uso, deprehendendus. In
fugiendi festinatione, defertur ad tentorium cuju
dam *Haben* natione *Cinæi*; (qui sub pellibus habita
solent.) cujus uxor *Iabel* (maritus cùm servis abe
rat domô) currentium pedum excita sonitu, cùm S
saram conspexisset, suspicata, quod res erat, eum
malè pugnato prælio fugere, metum omnem p
bet ac diffidentiam ponere, inque tentorium bla
dissimis verbis invitat. Qui partim suaviter se
monis demulsus, partim confisus amicitiâ & fa
dere, contracto Jabinum inter & Cinæos, (Jethro
nis posteros, Mosis cognatos, Aradæa deserta spars
sub papilionibus incolentes) succedit tabernaculo
& ut lateret tutiùs, in abstrusiorem seductus locum
operitur stragulô, excubias semetipsam ante ten
torij fores obituram esse, Jahele promittente. Prius
tamen, quam is in somnum se componeret, lon
gissimæ viæ cursibus exhaustus, sitíque per fug
laborem confectus, potionem flagitat frigidæ; illa
indulgentior, quàm petitum erat, ex utre coriaceo
lac recenter expressum, in phiala præbet. Inde s
pore altissimo captum, conspicata; sumptis animis
ultura communem Numinis, gentísque Hebræ
hostem, clavum ferreum prælongum, quô taber
naculorum tensi funes solô depanguntur, tollit hu
mô: alteráque manu correpto fabrili malleo, suspen
sóque molliter incessu, per summum oris ac pedum
silentium accedit ad Sisaræ sopitum caput; vul
neríque designans locum, paxillô ferreô validissimo
per

per tempora transadactô, terræ caput affigit. Hoc Habet. Adversus injustam tyrannorum vim, dolô justô pugnatum est, clavúsque (quod in adagijs fertur) clavô pulsus. Supervenienti deinde Baraco Duci, Tragædiam actam, dimotô sipariô, per compendium Jahel aperit: eúmque, quem is tot laboribus, per montes, vallésque quæsîsset hostem, monstrat in plano jacentem, & quasi per otium infelici sempiternóque somno stratum. Ita virago generosa, verborum nullâ jactantiâ, factô nudô probavit; prophetidem docuisse vincere: Barácum vicisse; se verò, victoriam, in corpore Sisaræ defixo trophæo, coronavisse.

NARRATIO XLIV.

INAVDITA GEDEONIS DE MADIANITIS VICTORIA

Iudic. 6. 7. A. Mundi 2768 Ante Ch. 1285.

Euripo similes fuêre Iudæi, fluebant & refluebant. Jam DEum, jam Deos colebant, toties bello castigandi, quoties emendandi. Post Debbóræ, Baracíque mortem, gens Hebræa more suo ad sacrilegam Deorum superstitionem est revoluta, erectîs Jovi Belo passim arîs, lucis simulacrîs. Offensus populi perfidiâ DEus, instrumentum vindictæ facillimum reperit, & immisit è propinquo Madianitas, Ammonitas, Moabitas, Amalecitas, ac cæteros ad Orientem incolentes populos; qui transito Jordane, maxima peditum, equi-

cum, jumentorum assumpta multitudine, brevi omnem Hebræorum regionem, sui juris fecerunt, impunè cuncta ferentes, agentésque.

Ibat calamitas hæc in orbem, ac redibat; cùm simul ac frugum ac vinearum maturitas anniversaria revertisset, reverterentur & hostes: demissísque vitæ subsidiis, & oleô, vinóque collectîs, cætera camelorum & hominum equorúmque pedibus proculcarent. Ita locustis & numero similes, & ingluvie, campis ac collibus evastatis, unde venerant, eodem revolabant. Cùm interim mortalium omnium timidissimi, (robur quippe animorum, cum DEI veri cultu amiserant) rerum domini; delitescentes in speluncis ac scopulis, & sylvarum editiorum recessibus ad sui dispoliationem ne hiscere quidem auderent. Denique defessi tot vastitatis malis, septenniô continuatis, serò tandem, ac seriis cum lacrimis amicitiam ac favorem ambire institerunt Numinis, cujus toties antè cultum proculcârunt. Post aliquantum temporis, ubi DEO visum est, haud ultrà differendas esse suppetias, cœlo demissus Angelus (*Michaël* fuisse creditur) juvenilem induit speciem, baculúmque gestans viatorium, *Gedeonem* in torculari suburbano excutiendô forte & repurgandô frumentô occupatum, humaniter allocutus, virum *fortissimum* compellando, salvere jussit, spem & animum concipere meliorem rebus in afflictis, quippe qui populi dirè vexati futurus esset *Liberator*. Cunctantem, tergiversantémque, confirmat tergeminô cœlestium operum ostentô. Nam & prandium (carnes erant hœdinæ cum azymis panibus) apportatum à Gedeone sibi, supérque scopulum

lum vicinum, appositum, baculi supremi contactu vertit in sacrificium: erumpente de saxo, subitâ flammâ, cibósque consumente.

Tum præter hæc Gedeon, & vellus ovillum in area subdiali, duabus continuis expansum noctibus; conditionibus mutatîs, alterâ quidem *roscidum* invenit, omni circumquaque reliquo campo retinente siccitatem: alterâ verò, *Siccum* sustulit; terrâ aliquâ cunctâ rore tinctâ. Sed inter hæc Gedeon, priusquam cum Madianitis manus consereret; bellum simulacris Deorum inferre jussus, expugnandi principium ab Idolis patris sui *Ioasi* sumpsit. Horum aram, nocturni temporis usus commodiate, subvertit: nemus aræ circumpositum, decem servorum adjutus operâ, succîdit. E diverso autem, super eandem petram illam, in cujus vertice prodigiosa flamma cibos in sacrificium atque cinerem, converterat, Aram Numini vero suscitavit. In ea patris sui tauros duos immolat; frendentibus quidem, cum patre, domesticis: & ad necem deposcentibus autorem facinoris oppidanis, *Ephræi* inhabitantibus; quippe qui diluculò stratum Idolum, eversam Baalis aram, excisum lucum, & bovem alterum super altari novo semiustum invenissent. Sed nihil indignatione sua proficiebant; nam qui superstitionis illius stragem Gedeoni mandârat, DEus, idem & ora, minásque querulorum, injecto mentibus eorum metu, compescebat, ne quam ei vim adferrent.

Igitur & oderant eum pariter, & reverebantur Ephræi cives; donec tempus incidit, cujus iniquitate per Gedeonem fortiter expediti, vertere me-

tum in amorem, odium in virtutis admirationem cœperunt. Id tempus, belli fuit Madianitici; more suo recurrentibus in Palæstinam evastatoribus illius, populîs trans Jordanem amnem colentibus. Centum ac triginta millia bellatorum erant, ex omnium barbarorum delectu conglobata. Ductores suorum quisque populorum, & agminum, *Orebus* ac *Zebus*, reguli Madianitidis: & *Zébeas*, *Salmanasárque*, gentis ejusdem Principes, sed nomine, dignitatéque regali præ cæteris eminebant. Gedeon evulgatô velleris prodigiô, tanquam omine victoriæ secundo, Hebræorum triginta duo millia contraxit, quos latè circum *Aradi* fontis crepidinem collocavit: diverso tamen in expectationem prælij, animorum habitu comparatos.

Displicuit DEO, qui gaudet in paucis ostendere potentiæ suæ vim, tot millium accincta multitudo; Qui propterea Gedeoni præcepit, ut per universa castra circummisso præcone, trepidis, & animi fluctuantibus, militiam remitteret, eósque Sacramentô relaxaret. Qua discessionis copiâ cunctis factâ, castris, excessêre viginti duo millia militum, quos Gedeoni submiserant *Gaditæ*, Regionis Galaaditidis, transamnanæ incolæ. Post discessum Galaaditarum, cùm decem sola millia Gedeoni superessent, quæ centum ac triginta hostium millibus opponerentur, & jam hæc ipsa paucitas, nimia Deo visa, redigi jubetur ad numerum multò contractiorem. Experimentum autem, quinam Madianitis delendis idonei, capitur è diverso bibendi (quis non admiraretur?) ritu. Ducuntur, quo tempore cœli calor corpora militum, ac sitim imprimis accen

accenderat, sub meridiem, ad Aradum fontem universi. Plerorúmque tam effrænis bibendi cupiditas fuit, ut poplitibus inflexis, & in fontem ore, corporéque toto proni, frigidam intemperanter haurirent. Trecentorum verò solorum ea fuit sitis sedandæ moderatio, ut haustam volâ fontanam applicantes ori, canina potiùs consuetudine lambere, quàm more boum glutire deprehenderentur. Et hos trecentos solos pronuntiavit DEus, usui sibi, Gedeoníque futuros ad victoriam patrandam.

Dimissîs ergo reliquîs. id solum ab eis belli subsidium postulavit Imperator, ut retentis ad incerta periculorum armis, partem utensilium, lagenas fictiles, tædas cerâ compactas, cornicinum tubas sibi relinquerent. Id quod ab eis, nullo negotio, impetravit. Copiam facularum ac hydriarum nactus, singulas singulis, è trecentis suis, cum tubis corneis ferendas dedit; quos insuper animavit omine, quod clàm de nocte captavit cum armigero suo *Phara*; proximus enim stationibus hostium audiit narrari somnium à quodam excubitorum de massa panis hordeacei è monte *Gelbonæo* in castra Madianitarum, devoluta, cum strage tabernaculi prætoriani, cujus ruinâ hostilis exercitus clades, fuga, interitus portendebatur.

Cum eo quem dixi manipulo, in tres centurias diviso, de nocte adversùs hostem profectus est; omissis, ut imperatum erat, gladiis, suam quolibet lagenam Semiapertam, cum face flagrante, manu læva: tubam altera manu capiente, ac præeunte Gedeone. Qui nocte intempesta, dispositis tribus circa hostium castra, à lateribus tergóque centuriis, ubi silentium

tium passim altum, & tam suorum quàm hostium quietem immotam Dux animadvertit, primus ipse buccinâ pro fronte castrorum, classicum inchoat, & obliquè, luridéque rutilantem ex hydria facem, Madianitis obvertit. Sequuntur vestigiò temporis trecenti, per omnem castrorum ambitum, tubis horrendùm clangentes: tædas semitectas hostilibus oculis ingerentes; ac vocibus indefessis tumultuando, *Gladium Domini*, *Gladiúmque Gedeonis* ingeminantes. Excitati re subita Madianitæ, cùm densas inter tenebras, maligno tamen undique lumine tabernaculis intermicante, nemini de Gedeone pugnam ausuro, veniret in mentem: instantibus sine fine, modóque tubis, clamoribus, tædis; nulla non castrorum parte, tanquam ad formidabiles hostium copias, ex Arabia erumpentes, trepidabatur. Semisomnes igitur, semíque nudi discurrunt; pars ad arma, jumentáque; pars ad imperia capienda; quæ tamen nemo dabat; nemo, si darentur, præ tumultuoso tubarum sonitu, audiebat. Plerique quidnam agerent, aut omitterent incerti, nec stare sustinebant, nec fugam expediebant, non cessantibus inter hæc Hebræis formidinem barbarorum augere: præter ululatum tubarum, concussionémque luminum, ac minaces conclamationes, etiam lagenas inter se mutuò complodentibus, non sine rauco è testis sonitu, & auribus ignorantibus horrifico ac funesto.

Postquam autem & hydriæ singulorum, ad Gedeonis exemplum, sub unum temporis articulum, toto castrorum ambitu confringi sunt cæptæ: tum enimverò, tenebris horrorem densantibus, Madianitæ,

nitæ, ruere castra simul ac tabernacula, cum machinis unà, cúmque quadrigis, & utensilibus, & apparatu belli cuncto suspicati, trepidatione fatiscebant. Mox in lugubrem ululatum, ac fugam effusi, portâ, quâ cuique visum esset, proximâ, sese castris eijciunt. In ipsa multitudine festinantium, inter se compressi, ad certamen tandem, & arma versi, quæ debuerant in Hebræos, hæc in seipsos tela, vulneráque, Numinis impulsu, densant: alternáque se cæde, medijs adhuc in castris, conficere non cunctantur. Qui fugâ evaserant, inciderunt in manus eorum, qui nuper à Gedeone missionem acceperant; nam & canes timidi fugientibus instant; & Gedeon cum suis, hostium obviis instructus armis, fugientium cædere dorsa cæpit ac persequi. Ita factum, ut quidquid obvium esset Madianitarum, contrucidaretur. Inter quos fuerunt *Orebus* & *Zebus*; quorum alter in petra latitans: alter in torculari deprehensus, sine mora, clementiáque jugulati; *Zebeam* quoque & *Salmanasarem* devia petentes, Gedeon assecutus, fratrum suorum, præteritis annis, intra Thaboris montis latibula se tenentium, interfectores, præcisis latronum suo gladio cervicibus, & publico satisfecit, & privato dolori nemine suorum amisso nemine hostium servato.

Tam immensa nimirum strage contuderunt
Orientis opes, trecentæ confractæ
testæ.

NAR-

NARRATIO XLV.

ABIMELECHI GEDEONIS FILII, CRUDELITAS ET INTERITUS.

Judic. 9.

Anno Mundi 2801. Ante Christum. 1252.

GEdeon optimi per omnia Judicis, seu Prætoris Hebræi, ac Ducis, functus officio, posteaquam & DEO constanter, & populi commodis utilissimè servîsset: annîs in prætura gentis quadraginta decursîs, abijt è vitæ stadio. Quô vivis exemptô, tribus omnes Israëliticæ defciscentes, unà cum filijs Gedeonis, quorum erant septuaginta, ad impura Jovis *Beli* seu *Baalis*, cæterorúmquo Deorum Sacra relabantur. Digni prorsùs inde, quibus Justitia DEI Vindex, peccati supplicium, suismet è visceribus excitaret: hoc est, Tyrannum, non jam alienigenam, sed domesticum & consanguineum.

Erat inter filios Gedeonis *Abimeléchus*, è matre *Sichimitide* genitus: & ob idipsum, quod mater conditionis inferioris uxor; (Gedeon enim erat polygamus, pro illorum temporum ratione) nec inter primarias fuisset habita, cæteris fratrum plerísque posthabitus, utpote qui patris, matrúmque nobilitate gloriari possent ex æquo. Quæ res homini, cæteroquin non ambitioso modò, sed etiam feroci, offensionúmque tenaci, caussa fuit ad ultionem, de-

ceſſu genitoris, explendam, & altiùs ſeſe effe-
rendum. Poſt juſta igitur Patri ſoluta. ſimulat ad
fratres cæteros, pietatis, officiíque cauſsâ, viſen-
dam ſibi maternam eſſe domum: & *Ephrâ* (natali
ſede) *Sichimam*, præcipuam Ephræmææ Tribûs ur-
bem, proficiſcendum. Quò ubi pervenit, concep-
tum animo facinus invadendi regni, non diſſimu-
lanter effundit; haud multò poſt etiam vindictæ
cruentam cupiditatem profuſurus. Adjutores ei ſe
præbuerunt, magno numero, materni ſanguinis
propinqui, homines factioſi, & novis rebus ſtuden-
tes. Horum conſiliô & opera, depromitur pecu-
nia ex fano Baalis, in conductionem, ſtipendiúm-
que militis; nemine tamen ingenuo, aut viro for-
ti, ſuíque laris, nomen dante. Illecti numis, ac
ſpe prædandi lurcones, obærati, latrones, fures;
quique rem domeſticam luxu profligârunt; ac
propter flagitia, patrijs expulſi terris, vitam ino-
pem, vagámque mendicitatem, ad incerta fortu-
næ circumferebant.

Cum hac hominum fæce, ſuis armis inſtructa, è
Sichimis Ephram verſus movet; urbem nihil tunc
minùs, quàm belli cogitationes alentem; ac po-
tiſſimùm ab alumno, civéque nil metuentem inva-
dit. Quâ celeriter captâ, in domum paternam ir-
rumpit, fratres eorum omnium ſecuros, ac periculo-
rum incogitantes comprehendit, & exceptô Joatha-
mô ſolô (quem latebræ tantiſper, Deíque cura diſ-
crimini ſubtraxerant) in cuſtodiam, catenásque
compingit. Deinde die dicta, productos in forum,
dicere cauſſam ex vinculis cogit; varijs, iísque po-
tiſſimùm criminibus oppreſſos, quæ Sichimis nu-

per

per in eos per calumniam concinnârat, atque congesserat: videlicet Jerobaalis, hoc est, vastatoris *Beli*; filios, fratres suos, quantumcúnque nunc *Ephodo* suo (Epomidi Sacrificiali, artis raræ, pretiíque à Gedeone, victoriæ, religionísque monumento hæredibus relicto) Belóque, studere videantur: ipsa paterni nominis recordatione perpetua stimulatos; simulac dominari cœperint, in *Baalis*, ac simulacrorum excidium tota mente incubituros; eo ipso nomine se exosum ijs effecturũ se, si rei sũma sibi à Sichimitis deferatur, ut non focis tantùm, sed aris, lucísque optimè sit consultum; neque verò salvam esse posse Rempublicam, quam totidem reguli, quot Gedeonis filij, in factiones distrahant; remotis æmulis, imperium uni tutò committi.

Illi miseri, cùm nec seipsos adversùs potentiam armatam, defendere satis possent; nec ab aliis, hostilitate perterritis, auderent defendi, capitis damnantur omnes: diéque constituta, miserandô crudelitatis spectaculô trahuntur ad supplicium, à fratre fratres duodeseptuaginta. Supplicio locus deligitur (ô theatrum acerbum!) scopulus urbis Ephræ publicus, in summo plus latitudinis habens, quàm fastigii. Feriuntur securi post alium alius, in oculis civitatis illius, quæ patri Præturæ sedes, ac patria fuerat, Gedeonis omnes filii: nemine contrà vel manum; vel, quod minimum fuerat, os saltem ac linguam commovente. Adeò nec Ephræorum quidem, nedum reliquorum ex Hebræis, ad parricinii misericordiam, fraternus à fratre fundendus cruor quemquam inflexit. Non DEI memoria; cujus ope Gedeon, pater eorum, gentem universam

versam in libertatem asserverat: non ipsius Gedeonis grata recordatio; cujus tuba, gladius, victoria, triumphus, & annorum quadraginta clementissima prætura, bonis omnibus Israëlem cumulârat. Cæde tam atroci perfectâ, Abimelechus Ephrâ Sichimam recurrit, & in Regem, re ipsa Tyrannum, non sine cæremoniis inauguratur. Exortâ brevi, seditione civium, odiô Tyranni corripientium arma; confligitur ante urbem; cæduntur magna strage conjurati, Duce *Gaale*. Abimelechus urbem oppugnat, & fraude *Zebulis*, urbis præfecti, captam incendit: quódque incolarum in ea repertum est, nullô sexûs, ætatisve discrimine trucidat; Salem per omnes passim urbis ruinas ac rudera spargendum mandat: ut Sichima, ne fundus quidem aliquando arabilis fieri posset. Confugerat magna vis hominum in arcem mœnibus consertam, turritam & propugnaculis permunitam; cui Tyrannus circumpositis in orbem ingentium frondium acervis, primus ipse subdere cæpit facem; exemplum Imperatoris strenuè sequentibus cæteris omnibus; humidâ ramorum materiâ, quantò maligniùs primò flammam concipiente, tantò spissiùs, copiosisque flammarum fumum evolvente: donec spatio moræ, ventorúmque flatu, convalescens tandem incendium, & ab imò volutum ad superiora, arcem comprehendit, & absumpsit.

Hunc in modum Sichimitæ meritas DEO, & Gedeoni pependerunt pœnas; nec sua diu Tyrannum fata morata sunt. Nam annô post tertiô, *Thebem* oppidum, Sichimitarum fugientium receptaculum oppugnare adortus; occupavit, ac diripuit. Urbe

in potestatem redacta, plurimi mortalium in turrim se receperant, sitam in medio civitatis, & propter egregias ædificationes ac propugnacula, Arcis nomine insignitam. Eodem non armorum modò, sed missilium, ac fortuiti generis instrumentorum vim ingentem apportârant, quibus subeuntes oppugnatores arcerent. Certabatur igitur, hinc quidem telis & fundis, ac per catapultas adactis, pérque tormenta molibus: inde verò regestis jaculis, ac devolutis in oppugnantes saxis; arborum truncis, ædium trabibus aqua, glareáque ferventе: denique, quodcunque defendendi sui causâ, telum fors dedisset in manum, aut desperationi proximus furor ostendisset. Fervebat æstus certaminis: & inter certantes fortissimus, ac virtutis ostentator Abimelechus, quærebat omnem capiendæ turris aditum. Postremò, cúm nihil succederet, ad incendiarias suas conversus artes, propiùs portæ succedit arcis, aggestísque virgultis, subdere facem conatur, ad Turrim unà cum insessoribus inflammandam. Hæc molientem, una ex propugnatricibus conspicata, fragmen molæ lapideum deijcit, hominémque craniô confractô prosternit. Ille cerebro defluente, mistum sanguinis rivum advertens, nec auctorem vulneris ignorans, in ea mortis necessitate, mandat ex armigeris uni, proximè stanti, ut se ferrô conficiat, mortémque jam cæptam absolvat, ne cædis gloria manui muliebri tribueretur. Ita mortis dedecus parricidiô propriô geminavit, & fædam animam Tartaro transmisit. Qui tot jam pridem animi propudijs subactus, eruбescere non debuerat, à lapide, fœminæ manu jacto,

semel

semel occumbere; quamquam illa librantis saxum dextera, non tam fuerit mulieris, sed divinæ justitiæ, quæ jactu tam perito caput noxium elisit, ac talionem rependit homini illi, qui priùs lapides erexerat Dijs profanis in aras impias, saxa DEO vero in aras constructa subverterat, & supra scopuli saxa nefarius parricida tam feralem fratrum duodeseptuaginta lanienam instituerat.

NARRATIO XLVI.

RUTHAE MOABITIDIS AD CULTUM DIVINUM TRADUCTIO, ET FELICES NUPTIÆ. Lib. Ruth.

Anno Mundi 2810. Ante Christum 1243.

AEquum est Divinæ manum exosculari Providentiæ, sive mitiorem se nobis præbeat, sive austeriorem. Meruerunt Abimelechi, & Sichimitarum, præ alijs, flagitia, omnem ut Chananitidem novum flagellum, fames scilicet, castigaret. Quia tamen multorum innocentia, calida mittebat in cœlum suspiria; ita Justitia Divina strinxit virgam, ut ei frondem olivæ innecteret Misericordia. Sterilis Palæstinæ squalor, felicitatum omnium Copiæ Cornu, Messiam, acceleravit. Ejus rei narratio hæc est.

Terram nuper melle, lacteque, & rerum omnium ubertate manantem, immissa cœlitus fames afflixit adeò, ut multis, si vitam vellent conserva-

tam, non modò ſolum natale vertendum, ſed dum Saluti corporis conſulitur, animi diſcrimen eſſet ſubeundum, apud gentes à vera Religione alienas. Inter eos, civis quidam fuit Oppidi Bethlemij; (quod tametſi ob agrorum fertilitatem Domus Panis appellaretur, adeò tamen exhauſtum erat frugibus, ut neceſſitas incolas adigeret ad alias ſedes quærendas) nomen ei *Elimelechus*; vir lautis, dum terra favebat, opibus; nunc communi preſſus malô, cum uxore *Noëma*, geminisque filijs, *Mahalone* & *Chelione*, in Moabitidem concedere coactus; non diu poſt, extremum peregrè diem obijt. Filij cùm non incommodè habitarent inter Moabitas, fixerunt domicilium in Arabiæ (cujus pars eſt Moabitis) urbe principe, quæ *Petra* dicebatur, ob loci Situm, circumquaque rupibus ac præcipitijs munitum; (Sunt, qui opinentur, eſſe hodiernam Turcarum *Mecham*, ubi deteſtandum Machometi ſepulchrum viſitur) ibi duxerunt uxores, gentilitatis tenebris involutas, quarum alteri nomen *Orpha*, alteri *Ruth*.

Intra decennium mors utriusque maritum extinxit; uni tamen nuruum, religionem & ſalutem dedit, ſocrui patriam reddidit; Noëma quippe, cùm nihil eſſet, quod ipſam ultra extorrem à patria retineret, non filij, non maritus, non frugum inopia, deſideriô natalis ſoli, & avitæ religionis, deſtinat reviſere Chanantidem; offerunt ſe viæ comites, nurus. Illa, cùm neſciret, quô locô res eſſet domi ſuæ, ſuadet, ut remaneant in patria, neque incertum in eventum, miſeram ſocrum cupiant ſequi; diſtringebat nimirum animum piæ matronæ, relli-

gio,

gio, quæ vetabat alienigenas fæminas, superstitionis irritamenta, in fines Hebræos, thalamósque inducere; quòd si verò melior de cœlo mens eis injecta esset, putabat constantiam difficultate admissionis experiendam. Quare benè precata ambabus, oscülum benevolentiæ impertit, & collaudatas ob fidem & amorem erga maritos, abs se dimittit. Quò suavior valedictio, hòc ægrior accidebat divulsio; quare ne mutuò disjungerentur, multis lacrimis institerunt. Sed ut feminarum mutabiles sunt in utramque partem impetus, cessit *Orpha* Noëmæ hortatui, & patrijs in laribus, superstitionéque, qua socrus eam abductam mallet, permansit. *Rutha* verò, certa Noëmam non deserere, negat ab ea se recessuram, sed cõmunem potiùs patriam, communémque DEUM habituram.

Reditur igitur tempore, quô Thola præturam gerebat, in Chananitidem, ínque *Bethlemum* oppidum, patriam Noëmæ sedem; (quæ *Ephrata* quoque appellatur) excipiuntur perhumaniter, cum vicinarum gratulatione mulierum, quam tamen haud parùm temperavit Noëmæ luctus, marito, filijs, fortunis in decennali exilio viduatæ. Cogebat itaque paupertas Rutham, jam Sacris Judaicis initiatam, deciduas post demessam segetem spicas colligere. Et ecce, non tam fortuna, quàm DEI voluntas tulit, ut spicilegium instituerent, in agro cujusdam viri opulenti, appellatione *Boozi* Bethleemitæ civis, & Elimelecho consanguinitate juncti. Qui animadversa puellæ sedulitate & diligentiâ in colligendis spicis hordeaceis, blandiùs cum illa agere cœpit, factáque non legendi tantùm, sed meten-

di quoque gratiâ, insuper ad messorum prandium advenam invitare. Tantæ comitatis argumentô, magis accensa puellæ modestia, verbis, factisque gratæ, demissæque mentis specimen, reponere; uti liberalitate viri, intérque ancillas metentes quotidiana consuetudine discumbere. Ingenuus puellæ, quanquam peregrinæ, pudor, omnium sibi animos demerebatur, ut bona eorum veniâ non modò cibi, (polentæ seu farris tosti) relíquias seu apophoreta, quotidie domum ad Socrum; sed hordeaceum quoque manipulum reportaret; quem vesperi cùm excuteret virgâ, tres omnino modios extrivit, quinorum pro utráque, dierum annonam.

Messe peracta, Noëma nurui suæ, cujus virtutem abundè probârat, de honesto conjugio prospectura, auctor ei est, ut cultiore (quantum ferebat fortunarum tenuitas) ornata vestitu, ad dormientem in area, sub dio, Boozum, clàm per tenebras adreperet, séque ad pedes hominis abijceret. Esse virum illum sibi propinquum, esse provectum ætate, sine uxore, sine liberis. Rutha pro simplicitate ejus ævi, próque obsequendi studio, morigeram se præbet consilio. Boozus de Somno experrectus, ubi mulierem nocte sublustri conspexit, didicítque, quænam esset, quídque peteret; tacuit ille tum quidem, & se iterum sopori permisit. Manè summô, priusquam famuli ad opes surgerent, excitatam, jussit hordei, quantum ferre posset, capere, & ad socrum reverti, spe facta conjugij, ni si esset, qui pro jure propinquitatis arctioris, eam ex lege duceret, & Sobolem defuncto Mahaloni mari-

nò suscitaret. Cùm verò Boozo, & possessio agrorum Elimelechi, & Ruthæ matrimonium legitimè cederetur; publica contestatione & congratulatione omnium contractæ sunt nuptiæ; quarum nobilissimus fructus annô pòst extitit, natus filius, nomine *Obedus* ex Obedo prognatus *Iesse*, ex hoc *David*: ex Davide, per Successionem Progenitorum, CHRISTUS JESUS, MESSIAS, perditæque salutis REPARATOR. Sic paupertas non bonas tantùm artes, sed seculòrum omnium felicitatem extudit.

NARRATIO XLVII.

IEPHTES HEBRÆORUM PRAETOR IX. UNIGENAM FILIAM SACRIFICAT.

Judic. cap, 11 Anno Mundi 2850. Ante Christum 1203.

CONtrita sæpius bellorum calamitatibus Hebræorum idololatria, identidem vitiosa de radice, velut herba mala repullulavit. Cùm DEUS extenderet manum, facienda promittebant: cùm suspenderet gladium, promissa non solvebant. Irerum igitur Ammonitarum armis vicennió totô oppressi, ultima quæque exspectabant. Ubique luctus & clamor, DEum in auxilium, rebus afflictissimis, vocantium. Certamen videbatur susceptum, nunc Justitiam Numinis detestandis defecti-

onibus provocando : nunc Clementiam , coactis tot calamitatum tempestate lacrimis , sollicitando. Supplices igitur prostrati humi coram Fœderis Arca, exterminatis idolîs *Baalis* (seu Jovis Beli) & *Astaroth* (seu Astartes sive Veneris) non ante desistunt pulsare cœlum precibus, quàm misericordiam everberarent , toties *Confitentes Reî*.

Reconciliatô per supplicia Numine, cæptum est humanis de auxilijs consultari. Deliberantibus igitur de strenuo belli Duce, nemo omnium visus est potior *Iephtâ* , Galaadite , è tribu *Gad* , quem fratres , quòd è Concubina susceptus esset , hæreditate paterna , domóque depulerunt. Eum tamen virtus reddidit illustrem , & frequentes de Ammonitis & Philisthæis relatæ prædæ, quos cum armata militum , eandem Fortunam sequentium manu acriter infestabat. Is ergò cùm crebris jam antè velitationibus incursantes Ammonitarum latrunculos ita compescuisset, majoribus ut copijs, & auctoritate videretur muniendus , summæ , rei militaris præficitur. Cùm verò nollet nisi vim vi pulsurus ad arma venire , missîs ad hostes lagatis, sperabat litem , quæ Ammonitas inter & Galaaditas ob confinia intercedebat , sine sanguine componi posse. At illis mitiora spernentibus consilia, sumque jus in ferro ferentibus , Jephtes pro Bono publico , patriæque libertate , justas in iras surgit; animos addente non tam insita alacritate , quàm altiore, de cœlo , virtute. Ante alios Hebræorum, Galaaditas, populares suos, ad arma vocat ; quorum cùm validam contraxisset manum , bellum translaturus in hosticum , movet in Ammonitidem;

con-

conceptô priùs votô, se, si victoriâ contingeret pomi, hostiam DEO mactaturum, quod animalium victori sibi, lares domesticos repetenti, primum occurrisset. O mentes hominum futuri improvidas! erit, cùm volet, sapientiùs optâsse, & voviſſe Jephtes. Itur in hostem, pugnatur acerrimè, funditur, fugatúrque Ammonitarum exercitus, manubiæ hostiles, & urbes complures capiuntur; jacent ingenti postrati clade, & jam de dominatu desperant suo, qui libertatem perditum ibant alienam.

Lauros Victori & libertatis Vindici, gratulantium voces ubíque personant. Patria se Patri suo effundit in occursum; jo triumphe! debellatori hostium occinitur; in plausum victoriæ sexus omnis & ætas venit. Dux ipse Jephtes jactata per ora populi vota, gratus DEO, tanti gaudij Datori remittit. Iámque triumphali pompâ in urbem *Maspham* invehebatur; cùm ecce; ô triste spectaculum tecta subituro parenti, obviam se primò omnium fert filia, in qua virtutes cum forma certabant, spes una, & lux familiæ; dux ipsa virginei chori, festo tympanorum sonitu, Patri, Libertatis Hebrææ Assertori victoriam gratulatur; Dianam diceres inter comites, velut Lunam inter sidera minora gradientem:

natat ignis in ore
Purpureus, fulvóque nitet coma gratior auro.

Ad occursum tam insperatũ quò se verteret afflictissimus genitor? utrius magìs pœniteret illum, victoriæ, an voti? triumphus abit in luctum; epinicium in næniam. Attonitus primùm crudelitatem voti sui damnabat; exin revocatô in mentem Abrahæ

rahæ filium immolantis exemplô, in ejus imitationem æstuabat; rursus impiam pietatem abhorrebat; mox, quid DEO deberet, recurrebat; sed reclamabat natura. Ita secum ipse luctans, & altos pectore gemitus premens, tandem collecto fortiùs spiritu; Vicimus, inquit, vicimus filia, sed tuo sanguine, & cum dicto, vestem in geminas scindit partes. Nec moratus, niceteria canenti, funus indicit: nuncupati religionem voti exponit, non alio, unicæ nisi filiæ Capite exsolvendam. Hîc puella, nescio, promptior an obsequiô, an durior imperiô pater; contra nihil obtendere, nihil errori voventis opponere, nihil deprecari. Hoc unum petere, lessum ut liceat prævertere; indulgeret parens bimestre non ampliùs spatium, quo juga montium cum Sodalium choris obeundo, & suæ virginitati sine prole morituræ, & parentis orbitati, hærede carituri, vivo funere parentaret. Obtinuit, quod rogabat; neque enim decebat, statim, quasi amentem in arenam descendere, in gladium ruere, in flammas insilire; sed temporis & judicij maturitate in scenam tam insolitæ tragœdiæ prodire.

Interea dum in luctu duo menses abeunt motus Ephraimitarum, unius è duodenis Hebræorum tribubus, intervenit; nimia gloriæ cupiditas, & rerum á *Galaaditis* gestarum invidia stimulabat animos, ut superbè expostularent cum Jephte, quòd ad belli Societatem vocati non essent. Cujus mollibus responsis cùm convitia & atroces minas illi reponerent, res ad manus venit. Victi sunt *Ephraimitæ*, qui transito Iordane bellum ultro intulerant. In fuga repetentes eadem littora, ignoratio tesseræ mili-

militaris prodidit, & perdidit; à Galaaditis quippe intercepti, se se *Ephratæos* metu mortis negabant. Unica Syllaba fraudem aperuit; *Scibboleth* (Latinis spicam) aspiratè pronuntiare nequibant; sed blæsa voce *Sibboleth* dicebant; quare mox apprehensi, jugulati, inque profluentem abjecti, mentis elatæ, & intemperantis linguæ pœnas dederunt, cæsis non minùs quadraginta duobus hominum millibus.

Cæterùm elapsô, quod dixi, temporis spatiô, Jephtias (quam *Scilam* vocatam ajunt) pari fortitudine, quâ nuntium subeundæ mortis acceperat, è montibus ad urbem revertitur, ad patrem filia, ad aram victima; quam nec fletus æqualium movit, nec dolor inflexit, nec gemitus retardavit, nec fefellit hora. Procumbit in genua, devota Numini hostia, vultúque in hilarem mortem composito, dat accipítque supremum à patre osculum, nudat virgineum collum, præbet cervicem interrita, excipit ferrum in pietate crudele. Decusso vertice, saliens é vulnere sanguis stridet, facundus sine lingua testis & orator, quousque se exporrigat obsequium patri, patriæ, DEO debitum. Inde corpus exanime, recompositum cum capite, collocatur in rogo, ad id exstructo, & in holocaustum concrematur, cinere in urnam illato. Exinde mos inolevit, ut puellæ Galaadinæ non tam tristissimi funeris, quàm præclarissimi facinoris memoriam quotannis iterarent, lugubres nænias, & carmem exequiale quatriduô canentes, mixtis planctui encomijs Jephtiadis immolatæ. Sunt, qui votum hoc Jephtæ, factúmque, impietatis & crudelitatis damnent. Sunt, qui præposteram viri

mili-

militaris religionem, ob ignorantiam absolvant. Sunt denique, pui laudibus efferant Sacrificium, à DEO inspiratum, in prototypon illius, qui olim non pro aliquo terræ angulo, qualis Palestina fuit, sed pro totius salute Mundi, vitam erat, sanguinémque daturus. Certè potuit Jephtæ objici illud: Turpe est in re militari dicere: NON PUTARAM. Et Fortuna (imô DEus) plerumque eos, quos pluribus beneficijs ornavit, ad durioré casum reservat.

NARRATIO XLVIII.

SAMSONIS DECIMI TERTII HEBRÆORUM JUDICIS SEU PRÆTORIS, MIRA FACINORA.

SAmson ad profligandos Philisthæos natus, ætatis anno vicesimo, in fortitudinis rudimentum, leonem inermis discerpsit; ac postea, asini maxillâ, quasi Hercules clavâ, mille hostes mactavit: *Gazæ* obsessus, portas urbis non modò repagulis emovit, sed & humeris, quasi victoriæ ferculum detulit. At vir tantus impingens in scopulum, amatâ Dalilâ, prostituti corporis fœminâ, (adeò difficilius est continentem esse, quàm fortem) atque arcanô, de crine, detectô, captus, illusus, excæcatus à Philisthæis, in pistrinum vilissimi bruti instar adactus, pœnas amoris impuri dependit. Morte tandem suas, divinásque ultus injurias

injurias, excussîs columnîs, dejectô tectô, contrivit omnes hostium principes, quadragesimô ætatis annô. Vidit licèt cæcus, se glorioſiùs mori non posse. Hæc de heroë, compendiô. Mox Robur, Captivitatem, Interitum, tribus narrationibus distinctiùs referemus.

ROBUR SAMSONIS

Judic. 13. 14. 15. Annis Mundi 2880. 2881. 2882. 2884. Ante Christum 1173. 1172. 1171. 1169.

VIr quid possit, vel unus strenuus, & supra in Samgaris vomere mirati sumus, & nunc ampliùs in Samsone stupebimus. Tanti refert, non quibus armis, nec quibus viribus, sed quibus pectoribus, sive vis hosti inferatur, sive ilata propulsetur. Israëlitæ legum ac beneficiorum DEI, sicut sæpius ante hac, rursus obliti annos admodum quadraginta, postquam à Jephta, hostili oppressione liberati sunt, vectigales Philisthæis, idolorum, & Palæstinæ (regionis, quæ secundùm littus maris Phœnicij extenditur, quinque insignioribus urbibus inclytæ, nempe *Gethâ*, *Accarone*, *Azoto*, *Ascalone*, *Gazâ*,) cultoribus, Assertorem libertatis suspirabant; quem DEus nullis populi malî bonîs meritîs, sed suapte benignitate provocatus, submisit. Fuit is Samson, natus Patre *Manuè* viro de Tribu *Dan* qui â puero Nazaræorum instituta, Angeli monitu, sectatus, vino, & quavis alia inebriante potione, juxta legem abstinebat, intonsilem

filémque cæsariem alebat, in qua roboris á DEO concessi erat innexa gratia.

Adultioris jam ætatis, nactus annos, multa, memorandæque Fortitudinis suæ documenta præbuit. Primùm enim omnium ad vineas oppidi Philistinorum *Thamnàtæ*, catulum leonis, jam prævalidum, & insano rugitu, ferociam suam professum; obvium prior occupavit, rictúque comprehensum, frustatim discerpsit? idque nudis, & armorum omni præsidiô destitutis lacertis. Cujus ipsius feræ palatô, jam exanimatô, paucis pòst diebus, examen apum insedisse, casù deprehendens: favum mellis inde raptum partim absumpsit ipse: partim parentibus, viæ comitibus, impertijt. Inter epulas deinde nuptiales, quas Thamnatæa cive ductâ (nam inter Judæos, & Philisthæos, tributaria servitute contentos, commercia miscebantur) coævis suis apparârat, ænigma triginta convivis proposuit in hæc verba *De comedente exivit cibus & de forti* (leone scilicet) *egressa est dulcedo* (mellis) Solutionis pactô, totidem ut eis subuculas lineas, & tunicas superiores deberet. Sin', ipsi eadem conditione pactionis tenerentur. Cùm quatriduô frustra in eo nodo solvendo laborâssent, jámque dies septimus illuceret, & nuptiarum festivitati, & Oedipodum moræ finem impositurus, Samson importunis novæ nuptæ blanditijs, & querelis victus, arcanum ei problematis aperit; illa pro genio muliebri convivis, minaciter id exigentibus patefacit; explicatur œnigma; Samson fit reus promissi præmij; quod ut penderet, incitante spiritu descendit Ascalonem, maritimam Philisthinorum urbem. Ibi, seu pro-

provocans ipse prior, seu (quod vero similius) a barbaris per contemptum servitutis provocatus : triginta Philisthæos interficit ; ac spoliatorum vestimentis , Thamnatæo contubernio debiti sui fidem exsolvit. Cùm autem nuptijs jam perfectis, Samson cum parentibus , negotiorum caussâ , domum paternam repetîsset : & socer , seu perfidiâ barbaricâ, seu pœnitentiâ , detestationéque generi circumcisi ; sive denique cum sponso , pariter etiam sponsæ memoriam abijsse ratus , alij filiam suam collocâsset : gravissimè Samson hâc irritatus injuriâ, minas genti Philisthinorum , & clades , undecunque sibi facultas offerretur , indixit , indictásque multis & mirandis modis præstitit. Nam segetes, vineas, oliveta barbarorum incendit, illigatis ad caudas vulpium trecentarum facibus ; quas ille captas in spelæis montium Modinæorum , & binas inter se colligatas , sparsim in agros , hortósque cum incendijs immittebat. Auctore mox tantæ cladis cognito : Socer Samsonis, ac filiæ Soceri , cum ædibus, & omni familia , decretô Procerum Philisthinorum exuruntur.

Nec tamen hâc vindictâ contentus Samson ; obvios quosque Palæstinorum invadit ; ac maximo numero trucidatos, per agros, atque suburbia dispergit : mæstô barbarorum spectaculô ; quódque consiliorum incertis , & stuporem pariter , & animorum consternationem inijceret. Quibus perfectis, Samson aliquantùm respiraturus , in Judæam, seu regionem Tribûs Judæ abit, ac viaticô secum deportatô, se recipit in altissimum *Etbánæ* petræ recessum. Hebræi cùm viderent se peti, Philist-

listhinorum armis, nisi profugum, ê latebris ultrò protraherent; polliciti Philisthæis legatis, se vivum eum tradituros, ter mille fortissimorum hominum, ad Samsonem in specu delitescentem, mittunt, qui vel precibus, vel vi & armis in hostium potestatem adducant. Samson, fide data, ne trucidaretur, prodit è specu, vinciendúmque gemino fune recèns plexo, se suis permittit, â petra deportandum in castra Philisthæa. Barbari lætitiâ successûs, oblatæque vindictæ, in clamores elati, certatim in occursum, & gratulationes mutuas effunduntur. At multitudinis hostilis conspectu, tantum abfuit, ut animo frangeretur, magis ut etiam, quàm unquam antehac, exardesceret, ac spiritu roboris in eum, insolitis quibusdam stimulis illabente, dirumperet ambabus manibus utrumque funem: vincula proijceret, in campi medium prosiliret: ac fortuitò conspectam asini maxillam, jam carne nudam, ac dentibus adhuc armatam, tanquam ensem sustolleret. Iis instructus armis, in confertos hostium cuneos irrumpit: ac sævi leonis more, partes ad omnes, imperterritum corpus circumagens; dextrorsum lævorsúmque cædebat, sternebátque, quidquid usquam infestum obstaret. Ita mille viros, vir unus, jumenti maxillâ confecit; nescias, duellóne potiùs, an prælio dixeris? an utroque? Philisthæorum exercitu in fugam verso, ipse labore confectus, ac siti cruciari cæptus, cùm fontanam circumspiceret, nec in propinguo tamen repeririet, fontem precibus è dente molari maxillæ elicuit. Victoriæ porro præmium fuit *Iudiciaria potestatis*, quam exercere jam antè cæperat, confirmata Sam-

Samsoni possessio, suæ gentis publicô decretô. Quamtumen ille potestate, non, ut ante se cæteri Prætorum, eductis in aciem exercitibus, sed privatis potiùs viribus, ac dimicationibus uti consuêrat, manente in Philisthæis odij veteris æterno semine, vindictæque cupiditate.

Fortè negotij rationes sic ferebant, ut Samson fiduciâ fœderis, quod inter Philisthæos & Hebræos, illorum stipendiarios intercedebat, intraret *Gazam*, urbem inter Palæstinas claritate nobilem. Ibi fœminæ cujusdam impudicæ aspectu captum, amoribus & technis utentem, Gazæi positis ad urbis portas excubijs, feram in reti credunt implicitam tenere. Expergefactus de medio noctis Heros, insidias divinitus edoctus, surgit, ac repletus ingenti viroboris, ad portam ab ea, quâ pridie Gazam intrârat, aversam ultro pergit, stationem, excubiásque fugat, utramque portæ forem cum Seris simul & postibus, atque cardinibus evellit; mox humeris ambas sublatas aufert, nemine Gazensium persequi discedentem ausô, nec deponit onus, quoad in jugum eradat montis, urbem *Hebronẽ* è propinquo respicientis, septem ut minimùm milliaribus Germanicis inde distantis. Ibi tum demum laboris finem, & Gazensium illusioni monimentum posuit: *Saraam*, urbem ac domum suam reversurus.

NARRATIO XLIX.

SAMSONIS CAPTIVITAS.

Judic. 16. cap.

Anno Mundi 2894. Ante Ch. 1169.

NUnquam fortissimus Samson sic perijsset, si cum viris pugnare, quàm cum fœminis lu-dere maluisset. Portiarum urbis, cum se-ris, postibúsque sublatarum furtum inultum: op-probrij sempiterni stigma, manebat Gazæorum a-nimis infossum, insculptúmque memoriæ mæren-ti. Quod illi proinde dedecus, quibusnam artibus aut quibus vindictæ compendijs, expungerent, obli-terarentve, sedulò secum, sempérque volutabant. Et cogitantibus, neque consilium tandem, neque successus longè fuit. IMPUDICA mulier, uti Ta-tari, sic omnium ceteri generis malorum, JANUA, quærentibus occasionem, aperuit aditum, ac stra-vit accessum in hunc, quem dicam, modum. In amænissima valle, cui nomen *Sorecæ*; non procul urbe *Ascalone*, sedem ac domum defixerat Dalila quædam, natione Philisthæa, prostituti corporis femina. In hujus flammas æquè, quàm in Gazæ nuper meretriculæ cupidinem, Samson in-cidit. Ad quam, cùm ex urbe sua prætoria, SATRA sæpius commearet; Philisthæi cognitô, mulierem esse gentis suæ, cæperunt cum ea, grandis pecuniæ promissô depacisci, quô captum tandem insidijs Hebræum illum Herculem, pertraheret in perni-cies

diem. Mulier non avara minùs, quàm libidinosa, sive verè Samsonem amârit aliquando, muliebri levitate fidem mutans: sive potiùs amorem simulârit, scelestâ perfidiâ grassans: caput ejus Philisthæis Proceribus addicit, Samsoni sceleratas insidias tendit; sed non penitus per omnia vel improvido, vel suspicionis experti. Nam is blandimentis fallacibus, ac sciscitationibus astutis, aliquoties aggressam se, responsis alieniſſimis lactavit: ac dolo dolum repellens, ludere se per lenocinia fingentem, ipse verè ludificavit.

Philisthæi Principes, ad prædam evocati, nuntiô mulieris; & intra parietes Dalilæ domûs, in insidijs delitescentes, quoties cum pecunia promissa venerant, toties decepti, cúmque sui ludibrio recesserunt. Dixerat enim Samson, imbellem ad resistendum se fore, si septem vinculis, nervo crudo, recentíque plenis, & adhuc humidis necteretur; quos tamẽ, superveniente hostium manu tanquã imbecille lini filum disrupit; quod iterum fecit, cùm restibus recentissimis, & adhuc ligaminum intactis, adstringeretur. Idem tertiùm repetijt, cùm septem capillorum discreti cincinni, liciô colligati, & in nodum redacti, circumvolutóque clavô, pavimento cubilis infigerentur; nam irruentibus Philisthæis, tanquam ad signum pugnæ, à fraudulenta amica datum, subitò evigilans, emicánsque, caput cum clavo, crinibus, & nodo de terra retraxit.

Mulier metuens periculi, quod toties deceptis Philisthinorum Satrapis, impendére posset capiti, meretricijs lacrimis importuna Samsoni, non antè

deſtitit eſſe, quàm in quonam *Firmitatis* ejus lateret vis, pro compertiſſimo didiciſſet. Ad lacrimas accedebant aurium blanditiæ: riſus inter & epulas canuntur à Sirene, Herois Hebræi, Delicij ſui, præclara facinora, maxillæ ſtrages, venatus vulpium, diſruptæ leonis fauces; verſatur partem in omnem amantis animus, ſuſpirat, hæret, luctatur; non eluctatur tamen; cùm enim & corporis ſenſim, & mentis viribus fatiſceret Samſon, nec jam ſibi perferendam duceret importunitatem rogatricis; tandem amoris impatientiæ manus dedit: aperit, àpuero cunabulísque Nazaræum eſſe ſe, DEOque conceptis verbis conſecratum: ideóque religione voti, quod parentes nuncupârunt, & Angelus dictavit, adhuc primigeniam, novaculæque neſciam ſe geſtare comam, cui vis omnis roboris ſui divinitus inneXa ſit.

Dalilæ facile fuit, orationem animo concordem deprehendere; revocat igitur Philiſthinos Satrapas, & latebras veteres inſidere jubet. Exinde Samſonem amore, ſomnóque demerſum alto, quem papaveribus ac mulſo conciliârat, genibus excipit, & dormienti, tonſoris miniſteriô, ſeptem illos cincinnos, & quidquid crinitum fuerat, reſecat; móxque incipit à gremio; déque genibus miſerum aſpellere. Nec ille reluctatur, dum DEO vires priſtinas ſubtrahente languidus, debilis, & ac quemvis etiam femineæ manus motum ac nutum impulſu facillimus, vix pedibus conſiſtit; illa ad veteres ſuas reverſa voces: Perijmus, exclamat, Samſon: perijmus! Philiſthæus nobis hoſtis in cervicibus eſt. Tum è latebris ſubitò proſilientes cum ſua-

fanibus, & catenis Philisthini Proceres, Samsonem, necquicquam veteres pugnas spirantem, aggrediuntur; comprehensum arctissimè, tumultuosè vinciunt: constrictúmque, nec jam ulla sui parte repugnare validum, crudelibus cultris exoculant: ac pretiô perfidiæ muliebri persolutô, (quinque millia & quingenti erant argentei, seu sicli, quorum singuli sedecim sestertijs æstimantur) captivum in triumpho, *Gazam* urbem perducunt. Ibi retrusus in carcerem, & duabus revinctus catenis, trusatilem versare molam cogitur, adjunctô puerô, qui mancipium ad assiduum laborem Sannis, dictetijs, amaris exprobrationibus; flagris etiam, & verberibus adigebat, victum ac fontanam arctè, tenuitérque præbens. Samson Numinis vindictam agnoscens, & admissorum pœnitens, cùm oculis jam non posset, animo lacrimabatur: quare Divina liberalitate, in gratiam recepto, cum coma sensim crescente, redijt & *gratuitum* roboris antiqui donum, cujus periculum faciendi non ita multò pòst, præclara se obtulit opportunitas. Audiet tamen omnis retrò posteritas, eum, qui leones nuper straverat, à lupa tandem fuisse prostratum.

NARRATIO L.

SAMSONIS GLORIOSUS OCCASUS.

Anno Mundi 2899. Ante Christum 1154.

CUm Samſon aliquammultum jam temporis in ferro, vinculísque, ſolis ac lucis expers ageret, & calamitatis illíus ac molæ fama latè ſparſa eſſet; Philiſthinos optimates cum Populo, cupido inceſſit, fructum aliquem, ac voluptatem ex hoſtium ſuorum Ductore cæco, molenté-que capiendi. Incidit igitur, ipſo temporis procurſu Solemnior Sacrorum dies, â Gazæis victimarum, ludorúmque cæremonijs anniverſarijs, magnificentiùs exigendus. Is autem dies, & ea celebritas *Dagonis* honori, Philiſthæorum Idolo, debebatur; in cujus Fani, amplitudine, ſtructura, capacitate cultorum magnificentiſſimi, ſolô tectô, more Syrorum planô, (unde liber in interiora templi deſpectus) tria circiter mortalium millia, ſtationes ac loca ad ſpectaculum habebant. Tanta hominum multitudine gravata moles ædificij ſuperior, ne deduceretur in præceps, duæ faciebant potiſſimum è marmore columnæ, quæ mediô baſilicæ ſpatiô non ita magno diſtantes, firmitate ſua Fani totius pondus ſuſtinebant: At inferiùs per templi ſubſellia, quinque Philiſthinorrm Satrapæ cum ſuis familijs & comitatu; per reliquum autem loci ſpatium, Sacrificuli, Popæ, Sacrorum Miniſtri, cives, advenæ conſidebant. Omnes hi victimis intenti, Dagonisque ſuperſtitioſo cultui: confuſis in unum vocibus, atque carminibus Dagonem, Ter optimum Maximúmque Numen ſuum laudibus efferebant; & inter ea mactabant, adolebant, libabant; ac cyathis operam, lancibúsque dabant.

Jámque finem menſis ſaturitas ac vinolentia fecerant; cùm primô Princeps, mox temulentiſſimus quis-

quisque Samsonem postulant accersiri, qui ludat, deliciásque saltatione faciat. Adducitur exsolutis tantisper catenâ manibus ac pedibus; & medio duntaxat corpore, lumborum tenus, revinctus; pueri ductu, qui cæcum nunc agens ante se, mulionis more: nunc post se trahens à crasso fune: spatia deambulationis aliàs laxabat in libertatem; aliàs arctabat in servitutis recordationem. Ad Summam! tanquam passerem è funiculo lascivientes adolescentuli; Sic mediastinus iste tractabat hominem, Heroëm illum, jam muscâ contemptiorem.

Ut primùm igitur in conspectum theatri, templúmque venit Samson: multitudo, quæ Fanum repleverat, ex omnibus undique loci partibus strepere pedibus, complodere manus; ore sibilos & clamores in altum tollere; denique signis omnibus effusæ gratulationis habitum, ac lætitiæ declarare magnitudinem, quam ex hostis sui præsentibus ærumnis haurirent. Simul imperiô Magistratûs, ac præconis voce, silentiô factô; consistere Samson inter duas illas columnas jubetur: & Senatui, Populóque Gazensium, omníque nomini Philisthino ludos atque delicias facere. Quæ cùm invictissimâ patientiâ Samson devoraret; ac pœnam etiam istam erroribus suis irrogari meritò, persuasum haberet: injecit ei mentem DEUS, quibus modis tandem, & se malis suis expediret, & gentem nequam debitis cladibus implicaret. Animum adverterat, cùm inter saltandum, contumelijs, labore manuum, motu pedum, ac totius corporis agitatione fatigatus, in pilas marmoreas aliquoties, ingenti cum cachinno spectantium, impingeret, pilaseas inter se,

se, pedes admodum paucos distare, quas proinde contracturum se brachijs simul ambobus non desperaret. Incitatus igitur non tam sui, quàm honoris divini, suæque gentis in libertatem vindicandæ cupidine glorioſa; sentiénsque pristinam fortitudinem cum renatis sibi capillis renatam esse, utrique columnarum manus fessas, & caput applicat, permittente puero, nec invitis spectatoribus. In auxilium inde DEO vocatô, dum creditur ad ludicrum cæptum rediturus, manuum ambarum, & humerorum, ac totius corporis omni conatu, columnas aggressus, succussione ter quatérque repetita, terribiles inter fragores, columnas, tabulata, tectum, Solarium, omnémque templi molem, in vestigio temporis trahit in ruinam. Simul & quidquid Gæorum Spectatorum aderat, Populus, Proceres, viri, fæminæque cum clamoribus horrendis, confusæ, pereuntisque multitudinis, unum omnes in cumulum sternuntur, oppressique jacent. Cùm his & Samson, benè secum felicitérque ratus actum: quod, quantó nullus veterum Heroum, sepulchrô tectus esset, tantô constratus ipse requiesceret: quippe totius Palæstinæ ruinâ contumulatus. Sunt, qui præter illa tria millia, de suprema templi parte devoluta, asserunt vigesies mille homines per inferiora subsellia & stationes fani dispositos, ea strage occubuisse. Potuerunt tum Judæi, si viri fuissent, & jugum servitutis Philisthinæ à se excutere, & armata manu hostium metu consternatorum provinciam occupare. Cæterùm cùm Samson ab Apostolo ad Heb. 11. inter Cœlites memoretur, minimè dubitandum est, heroëm eo facinore, ipsi

à DEO

à DEO, inspirato, mortis pro salute publica, Numinisque honore fortiter contemptæ, virtutis arduæ strenuè probatæ, vindictæ de hostibus justissimè sumptæ, glorioſam æternámque memoriam promeritum, suô, ut Ambrosius loquitur, triumphô tectum, tumulatúmque fuisse. Occidit ætatis anno trigesimo nono, Præturæ vicesimo. Corpus à cognatis, cum bona Gazæorum, graviora metuentium, veniâ, avito sepulchro illatum est.

NARRATIO LI.

CLADES HELIS, PONTIFICIS ET PRÆTORIS HEBRÆI, EIUSQUE FILIORUM, JUDÆORUM, PHILISTÆORUM.

Lib. 1. Reg. cap. 2. 4. 5. Anno Mundi 2907. 2939. Ante Chr. 1146. 1114.

LIcentior filiorum educatio, & disciplinæ neglectus parentes facit authores non vitæ sed mortis. In Hebræorum Judiciaria Præfectura Samsoni succeſſit *Helis*, Pontifex supremus, primus ex Ithamaris, qui frater erat Aaronis, familia. Fuerunt ei filij duo *Ophnis* & *Phineas*, paterni Pontificatûs, (quia deflexîs in senium annîs, ipse minùs ad omnia Sacerdotij supremi munia vigebat) officiſque Sacerdotalis adjutores; homines improbi, & Sacrorum ignorantes; qui & multitudinem, *Siluæ* seu *Silo* (urbe, in altissimo monte sita, haud ampliùs octo

passuum millibus Jerosolymis distante, ubi tunc Arca religiosè asservabatur, ac circumpositum Arcæ, Tabernaculum, Mosis è præscripto fabrefactum) vota nuncupantium, quæque nuncupaverant, Sacrificijs exsolventium multùm imminuebant; nam & per ingluviem suam, ac impudentem gastrimargiam, adipem victimæ, Numini adolendam, & quidquid electissimum erat ex hostiis in frusta concisis, & incoctis, præripiebant, contra ritus, fasque Sacrificiorum. Quorum idcirco dignitas & æstimatio sensim jacebat apud Hebræos, & Siluntis religio flaccescebat. Accesit alterum nefas, fæda libidinum impuritas, pertractis in flagitium cùm ceteris mulieribus, illic vota exsolventibus; tum virginibus, viduisque, Divinorum cultui consecratis.

Non latuerunt acta filiorum tam infanda patrem; quos pro nimia indulgentia satis habuit submonuisse muneris Sacerdotalis; cùm severiùs castigare, & refractarios exauctorare Sacrorum ministerijs debuisset, id quod ei per Samuelem etiamnum adolescentem, (de quo postea) jussu Dei, graviter exprobratum, adjunctæque cladium minæ, ad aurium usque tinnitum formidandæ. Nec diu pòst Divinæ rigor sententiæ Philisthinos excitavit, ut collatis, cum Hebræis signis, Israëlitarum quatuor circiter millia ceciderint, reliquo se exercitu trepidè recipiente in castra. Habitô deinde militari consiliô, quidnam esset insolitæ rei, quòd plus valuisset eo die, divinis in oculis impietas Philisthina, quàm Hebræa caussa, decernitur mittendum esse Siluntem: accersendam cum custodibus suis *Arcam*; & hac in medium acceptâ, prælij denuò tentandam fortunam.

Heli

Heli quamvis multùm invitô, déque capiendæ periculis ſollicitô, denique tamen permittente, devehitur in Hebræa caſtra, Moſis Arca. Mittuntur unà, qui deducant ac tueantur duo Sacerdotes impuri, Pontificis filij: gladijs & ipſi ſuis, armísque cincti; ſed longè pluribus animi vitijs, ac Tartareis ſatellitibus ſtipati. Cæterùm, Arcâ Hebræi conſpectâ, mox clamoribus animorum teſtari lætitiam; Philiſthæi contrà, repercuſſo vicinis è montibus, ac nemoribus, Hebræi clamoris Sonitu, labare, concideréque mentibus: pavidéque, tam effuſæ lætitiæ ſciſcitari cauſam: Arcæque præſentiâ intellectâ, malè de rebus ſuis ominari.

Recollectîs ex ea trepidatione animîs, ac viribus, ſtatuunt aleam prælij ſubire; quippe medium eſſe nihil, ſive Judæis, ſive Philiſthæis. Aut vincendum alterutris, aut eſſe ſerviendum. Iterum igitur in aciem utrinque deſcenditur. Ab Hebræis in medium agmen *Arcæ* recipitur: & ad *Arcæ* latera Sacerdotes ambo fortiſſimè pugnam cient. Poſt multum certaminis laborem, inſiſtentibus vi ſummâ Philiſthæis, ſuccumbunt Iſraëlitæ; *Arca* capitur, &, ex hujus captivitate, cunctos deſperatione ſubeunte, deficiunt animis Hebræi, remittunt de priſtina contentione; turpitérque tandem in fugam effuſi, pars in conflictu, pars ſparſim per agros, cadunt; triginta millia pedeſtrium copiarum.

Pontifex cùm audiſſet infelix prælium, populi numeroſam ſtragem, fugam multitudinis, geminæ prolis interitum, & ſuper hæc omnia, captam *Arcam*, animo ſimul ac vitali ſpiritu linquente, cum ſella pariter, corporiſque decrepiti fragili mole, retrorſum lapſus,

lapsus, ad fores ac postes seu Tabernaculi, seu Urbis Siluntis (in portis enim sedebant Judices) impacto capite cervices fregit, ac finijt.

Ejus victoriæ brevis lætitia fuit Philisthæis, nam dum *Arcam* per oppida, & delubra sua circumductam ostentant, & in Fano Azotio ante statuam Idoli *Dagonis* (erat Simulacrum, superiore parte mulierem referens; inferiore desinens in piscem, specie Nereidum & Sirenum) tanquam victam in oculis victoris constituunt, majorem ab ea captiva, Septimestri spatio cladem acceperunt, quàm á liberâ plurimis annis antè. Dejectum namque loco suo Dagonis Simulacrum: nunc in faciem effigie stratâ: nunc capite, manuúmque palmîs abscissis, portendit, quantô suô, cultorúmque suorum malô, illa Hebræi sedes Oraculi, in prædam, ínque viciniam veniret. *Azotij* quippe, & accolæ pessimis, pudendísque morbis sunt afflicti; posticæ corporis partes, ulcerum doloribus cruciatæ (ficos & mariscas vocant:) tabefacta viscerum intestina; agri, villæ, penates, murium multitudine repleti, Segetes, fruges, fructus depascentium: pestilitate sævissima, pagi, civitates regiones exhaustæ. Adde his stragem populosissimam *Betsamitarum* (erant hi de gente Hebræa) ac finitimorum; qui fortè metentes in agro triticum, quôd prætervehentem Arcam, & ex captivitate Philisthæa, cum donarijs, morborum ac calamitatum piaculis, redeuntem, operimentîs renudâssent suis, inspicere curiosiùs ausi; repentina percussi internecione perierunt septuaginta de viris eminentioribus; quinquaginta verò millia de fæce vulgi. In una clade quot clades involutæ! Has unius Helis pernici-

pernicioſus in liberos amor inchoavit: protruſit filiorum ejus improbitas: præcipitavit in Hebræos juntà, Philiſteósque juſtiſſimus DEI dolor, & indignatio.

NARRATIO LII.

SAMUELIS PROPHETÆ, ET ULTIMI HEBRÆORUM JUDICIS ORTUS, EDUCATIO, GESTA.

Lib. 1. Reg. c. 1, 2, 3, 7, 8 Anno Mundi 2900. Ante Chriſtum. 1152.

HEli Pontifice ſimul ac Judice populi, rebus mortalibus, in eum, quem ſuperiore narratione retulimus, modum exemptô; ſubrogatus in divinis Achitóbuseſt, Helis ex *Phinea* filio, nepos; in profanis autem, ac civili republica Samuel, qui tamen præter Iudiciariæ dignitatis ordinariam provinciam, privilegiô beneficij, functus extraordinario Sacerdotiô, Sacris nonnunquam operabatur. Parentem is habuit *Elcanam*, urbis *Ramáthæ* incolam, virum nobilem & opulentum. Hic cùm pro anniverſaria religione, Paſchalia, unà cum familia celebraret in *Silunte*, ubi tum Oraculi Divini conſtitutum erat Tabernaculum; accidit, ut Annæ uxori, tam virtutibus diviti, quàm liberis inopi, altera conjunx, eáque ſecundaria, *Phenenna* nomine (polygamis enim id temporis eſſe licebat) ſterilitatis probrum objiceret; séque cum filijs inter epulas ſacrificales

lu-

ſuperbè circumſpiciens (nam ex mactatis victimis, dapes pro numero capitum deſtribuebantur) fœcunditate ſua gloriaretur ; Annâ ſimul quidem ſed quia ſine prole, ideo ſine honore, diſcumbente.

Excuſſit ea res lacrimas afflictiſſimæ matronæ; præſertim cùm non tam epulas, quàm opprobria ſibi videret apponi. Maritus non minùs Sapientiâ, quàm pietate præſtans; haud ignarus, decus matrimonij magis animi, quàm fortunæ bonis eſſe metiendum, teſtari ſuos amores Annæ : docere felicitatem conjugalis conſortij, non ex numeroſa tantùm prole, ſed maximè, nobilitate & virtute conjugum æſtimari oportere ; mæſtitiam uxori multis verborum officiis abſtergere ; denique mentem in epularem hilaritatem erigere. Illa cibo, maritique conteſtatis affectibus recreata, finitis menſis, ſe confert ad Oraculi ſedem, fiduciæ plena; mixtisque fletu ſuſpirijs, efflictim inſtat apud DEUM, matrem ut ſe faciat ; promittítque, ſe prolem, ſi maſculam eſſet genitura, religioſo ejus famulatui, perpetuò mancipaturam. Valuêre preces. Concepto Voto, concipitur fœtus ; annô poſt naſcitur filius, nomen cui parentes, *Samuelis* hausêre. Puer etiamnum trimus, in Tabernaculo Divino cum ſacrificijs ſiſtitur, curæque Sacerdotum, imprimis Pontificis Helis committitur ; cujus fauſta precatio, Annæ trium inſuper filiorum, duarúmque filiarum fructum contulit, quintuplici fœnore, unius *Oblationem* filij penſante, qui ſeptennis admodum, ſacris admotus miniſterijs, præclaram Indolem ac pietatem mirè omnibus probavit. Adoleſcentem deinde va-

vatidicus spiritus afflavit, rerúmque arcanarum cognitorem effecit; cujus illustre cumprimis documentum fuit, prænuntiatio cladis, Pontificiæ familiæ impendentis.

Fortè noctu somnum intra Tabernaculi septa prope capiebat; cùm à cœlesti genio, vocem Pontificis Helis assimilante expergefit; nihil cunctatus adolescens, sopore confestim excusso, advolat ad Pontificem, seniô, curísque confectum; séque vocatum adesse indicat. Id cùm tertiùm jam factum esset; neque tamen senex, ullô verbô Samuelis Somnum interpellâsset; suspicatus id, quod erat, jubet puerum in lectulum se recipere: denuóque excitatum, compellantis voluntatem exquirere. Reditaspectabili specie Angelus, aperit minas à Divina Justitia cùm Helianæ Domui privatim, tum Israëlitis omnibus incubituras; nam & *Arcam* Sacram à Philistæis capiendam, & præter publicam populi stragem, extremas omni familiæ Pontificiæ calamitates superventuras; causam eorum cladium esse, niniam Helis in sceleratos filios lenitatem. Quibus ad Pontificem à Samuele renuntiatis, præclaram vocem edidit, quâ præparatum in divinam animadversionem animum declarabat, religiosa mentis æquitate, sese, futuras in clades componens.

Cæterùm Samuelis virilem ætatem ingressi gloria, magnis apud populum incrementis augebatur; reverentiam quippe & observantiam insignem concíliabant secretorum divinitus præmonstratorum enuntiationes, eventîs ipsis confirmatæ, adeò, ut à Mosis usque temporibus, nemo Samueli, ne comparandus quidem, post Samuelem verò, oppidò pauci su-

superiores illô fuisse, videantur. Quare, Præturæ gubernaculis admotus illicò, sub Helis excessum, eam reipublicæ tractandæ rationem sequi cœpit, ut meritò *Iuris* omnis ac legum, & æquitatis, dici *Sacerdos* meruerit: munerum omnium, quæ vulgò corrumpere tribunalia solent, osor ac detestator; præsertim verò idolorum cultum, aliáqne vitia, Helis negligentiâ vel exorta, vel roborata, mirâ facundiâ, constantiáque ex Hebræorum manibus, animísque extorsit.

Subinde commitiîs omnium tribuum convocatîs, ejusdem Prætoris auctoritate, conventum est *Maspham*, *Benjamiticæ* Tribûs urbem. Quô loco, cùm & aquæ cæremoniâ, situlis ac hydrijs effusæ, suas animas effundere se totas DEO, & idolomaniam eliminare pectoribus, testarentur: & precibus, jejunijs, impietatísque confessæ detestatione, clamoribus magnis, cum Numine fœdus integrarent: Non potuit latere Philisthæos ille Hebræorum conventus, quorum rebelles, ut falsò opinabantur, molitiones disjecturi, mox valido cum exercitu superveniunt, rati, sese ad pugnam imparatos, nullô negotiô oppressuros. Consternati re subita Judæi, ad Samuelem, tanquam ad communem parentem trepidè, concurrunt, consilium rebus dubijs petunt, ejúsque, pro salute publica preces, & auxilium implorant. Samuel ad divinam conversus opem, arripit propere lactentem agnum, integrúmque sacrificat super aram, in holocaustum. Dum ardet victima, trepidátque metu populus, ecce tibi; hostis in conspectu aciem explicat, præsentémque stragem omnibus intentat. Tum verò DEUS repentè pro suis arma

impedit; nam conglobatis, momentò, denſis totô cælô nubibus; ac fragore tonitruum aures, fulgoribus oculos, ignéque cæleſti barbarorum capita ferientibus, terráque ſub pedibus intremente, hoſtes in terrorem dati, ſpem omnem in fuga poſuêre. Inſequitur cum ſuis Samuel, & dorſa fugientium cædit. Nec cædendi finem facit, quoad *Bethcharis* ad campos, eos longô ſpatiô profligaret; eum videlicet ad vicum, in quo cæſus, cum ſilijs Helis, Iſraëlites, ſtrage noviſſima, Philiſthæis & Arcam ceſſerat & victoriam. Loco in memoriam accepti beneficij perennem *Lapis* eſt impoſitus, *adjutorij* nomine, a Samuele inſignitus. Philiſthæi poſt eam cladem, inſtaurare bellum non auſi, ſe fines intra ſuos ex eo tempore continuëre; Hebræi vexatione tributi liberati civitates amiſſas recuperârunt, alias vi capiendo, alias in deditionem accipiendo.

Quibus rebus geſtis, Samuel conventibus Juri dicundo, per certas urbes inſtitutis, ipſe quotannis eas obibat, & judicia tractabat; donec ſenio gravante, filijs *Ioëli* & *Abiæ*, aliquem in finibus regni principatum, & Reipublicæ curam tradidit; qui relictîs paternîs inſtitutîs, diverſiſſimam ingreſſi viam, muneribus corrupti, jus non dicebant, ſed vendebant: ſolutique in luxum ac delicias, tum DEI juſſa, tum patris (cujus abſentiâ, quippe in urbe Ramátha habitantis, ad ſcelera ſua abutebantur) contemnere, gravitérque apud populum offendere; tanta tamen diſſimulatione, ut ea filiorum labes ad aures Samuelis non penetraret; tantum familiæ ſuæ dedecus minimè laturi, ſi compertum habuiſſet; cùm innocens eſſe nemo poſſit, qui ſuos tolerat nocentes.

Non latuit tamen multitudinem popularem; unde digna visa res est Tribuum optimatibus; cujus expostulatio deferretur ad Samuelem: Sed præter hanc causſam, aliunde quoque cupidè, tam populus quàm Primores, eam querelæ publicæ, tam votis ſuis opportunam occaſionem amplexabantur: quòd hoc ingreſſu videbant, ſibi pariter & Judicum abolendorum, & Regis efflagitandi, præclariſſimam anſam offerri. Importunis igitur vocibus à Samuele contendunt, ut, quoniam ipſi per ſenium deeſſet facultas: filijs autem voluntas benè gerendæ Reipublicæ, ſubrogaret aliquem, qui nomine regio, toti genti cum imperio præeſſet, togæque muneribus & militiæ moderaretur.

Samuel etſi jure poterat ferre graviùs & ſuam de re communi optimè meriti exauctorationem; & filiorum, præter juris ordinem, nullóque conceſſo emendationis tempore, repudiationem; neque enim ab extremo continuò veniendum ad aliud extremum: ſed media prætentanda; nullum tamen durius ſibi verbum elabi paſſus, id unum reſpondit, ſe ſuper ea re Divinum Oraculum conſulturum. Reſponsô Numinis acceptô, cum enarratis, regij dominatûs acerbitatibus, populum à perficaci rerum novarum ſtudio dimovere nequiret; pollicitus ſeſe petitores, malæ rei privatæ, publicæque conſulentes, voti facturum compotes, diſceſſit. Nec multò pòſt Comitiîs, in Maſpham indictîs, regem eis, quem jam ante, divinitus edoctus, Secretò inunxerat, per ſortitionem dedit, *Saulem*, filium *Ciſi* de Tribu Benjamitide; at infelix electio importuna ex meritis caſtigabit vota, ſerò ſapientes ſuodamno docens;

id, quod invito à cœlo petitur, male peti, de quo mox infrà; ubi reliqua quoque Samuelis gesta persequemur.

NARRATIO LIII.

SAULIS IN REGEM HEBRÆORUM ELECTIO. 1. Reg. 9. 10. 11. 12. Anno Mundi 2962. Ante Christum. 1091.

SAulem producimus, exordiô suî lætum, mediô varium, exitu lacrimabilem, & exsecrandum. Non enim perinde, ac orienti Phæbo, usque cadenti; ridet vultus. Israëlitæ, utsuprà memoravi, cùm nollent ampliùs per ora *Iudicum* sibj jura dari, Samuelem, qui Prætoriam Præfecturam ultimus administrârat, adeunt, & *Regem*, cæterarum more gentium sibi præfici postulant. Quem dum ille circumspicit; fatorum tunc ignaro, non tam *Casus*, quàm mirifica *Providentiæ* cælestis manus obtulit. Erant *Cisæ*, Saulis parenti, *Gabaæ* civi, complures ad fæturam, & vecturas asinæ, quarum, ut saltuosis in locis fit, per incuriam pastoris, numerosa pars aberrârat ab armento. Saules comite servorum uno, requisitîs necquicquam per varia loca jumentîs, in Samuelem Vatem incidit, ac super asinarum statu consulit. Hic jubet eum securum esse pecudum, & animum ad potiora destinata, repositâque Palæstinæ bona porrigere; quippe mox

futurum Regem. Simúlque DEI tam in eum benefici timorem ac reverentiam ingentem iterum iterúmque commendat, & inculcat. Exin Saulem, arbitrô jam nullô, in seceſſu quodam ſuburbij *Ramáth*, regem ſciſcit, & inaugurat, ſuper capitis verticem aliquot effuſis olei guttis, addens, DEI ſe, non ſuis auſpicijs agere, quidquid eorum ageret, Poſt impenſum genis illius oſculum, cùm erexiſſet humô trementem, ac rei novitate palpitantem, vaticinijs diverſiſſimorum eventuum animat, monétque graviter, ut meminerit, quantocunque premeretur hoſtilitatis articulô, ne *Sacræ* pecudis, aut aræ, ſacrificiíque quidquam, niſi ſe præſente, ſacrificandíque ritum præſcribente, rex attingeret; vel ipſâ religionis omiſſione, religiosiùs eſſe litaturum. Ita vale dicto Ramátham ipſe; Saules Gabaam, repetituri, viæ ſe dabant.

Dictu mirandum! Vix à Samuele digreſſus erat Saules, cùm rus omne pectoris, ac morum, excuti momentô, dilabíque; regios è diverſo ſpiritus & indolem, in ſe intrare ſenſit. In reditu domum versùs, fortuitò offendit in Cantorum *Propheticum* agmen, quibus ſe aſſocians, repentè mirum pſaltem inter pſallentes egit. Inde comitiîs à Samuele *Maſphan* urbem indictîs, & ſortibus ſuper eligendo Rege ductîs ex urna, ſors Tribus Benjaminææ, & in ea ante omnes, nomen Saulis, divina temperatione emerſit. Is non ignarus, regnorum ſecuriorem aditum nullum eſſe, quàm qui fieret per regni fugam, in pedes & latebras ſe conjecit; ex quibus extractus, & in populi medium productus, cùm proceritate corporis, humerorum, capitéque tenus, omnium altitudinem ſup-

ſuperaret: primô confeſtim ſuî aſpectu, cunctis ſpeciem approbavit ſuam, præjudiciô futuræ majeſtatis, etiam è corporis magnifica forma plebeios animos, & opiniones occupante. Solutîs Maſphæ comitiîs, & ſortitiône Regis, Saules, qui necdum omnis populi ſibi conjunctos & obnoxios animos experiebatur, ad privatæ fortunæ conditionem tantiſper ſe recepit; nec eum puduit ad priſtinam agriculturam reverti, exemplo poſteris ſeculis imitabili.

Interea ſubitæ tempeſtatis more Rex Ammonitarum *Náaſes* ingenti cum exercitu in Galaaditidem regionem effuſus, *Iabeſſam* urbem, operibus, ſitúque loci munitam, tanta vi oppugnat, ut deditionem paciſcentibus, non alia fuerit conditio propoſita, quàm ut ſinguli civium, dextrum oculum præbeant exſculpendum. *Iabeſſitæ* impetratîs ſeptem dierum induciîs, Legatos *Gabaam* ad regem novum dimittunt, ſuppetias rebus in arctis rogaturos. Fortè Saules ab aratro domum redibat, boves ante ſe geminos agens; qui intellecta Iabeſſitarum calamitate, confeſtim ex Aratore, fortiſſimum ſe populi ſui Ducem, gentisque Regem oſtendit; irruente in eum Spiritu cœleſti, qui veteres gentis illius heroas ſtimulavit, nam protinus, univerſo Civium adſtante, ſpectantéque cætu; arrepto, quem caſus obtulerat, acinace militari, boum ſuorum utrumque mactat, diſſecátque complures in partes; quas totidem ad miniſterium illud delectis baiulis partitur, per omnem circumquaque Palæſtinam circumferendas; additâ denuntiatione cladis, ac vaſtationis domeſticæ, ſi quis decreto adverſus Ammonitas bello; prælióque defuiſſet: Convenêre mox

ad imperium Regis trecenta triginta pugnatorum millia. Pridie, quàm ſeptiduum induciarum exierat, Saules Amonitarum adoritur caſtra; prorumpunt è portis quoque ac mœnibus animosè Jabeſſitæ. Fit in hoſtes, partîm ſopitos partîm ſemiſomnes & incompoſitos, atrox ex omnibus undique partibus prœlium: ora fodiuntur & oculi (id quod minati fuerant Hebræis) ſi qui congredi ſuſtinuiſſent ex adverſo. Sed paucis hoſtium tantum animi fuit ad reſiſtendum; plerique ne primo quidem Iſraëlitarum impetu ſuſtentato, vel prælij tentatâ fortunâ, paventes, & inermes fugæ ſe mandare, vel, ſi qui cum armis veniſſent, ijs abjectis, ad ſalutem in latibulis ac ſaltibus quærendam, omnes in partes, incerti diſpergi: deviáque petere, cùm pervia nuſquam invenirent, ut jam non prælij, vel certaminis, ſed lanienæ facies in caſtris eſſet, ne uno quidem, qui gladium levaret, in acie ſuperſtite, aut fugâ.

Hoſte debellato, Samuel Vates, & Saules Rex, lætas inter acclamationes, & triumphales plauſus, cum populo *Galgalam* urbem ad ineunda nova regni auſpicia ſe conferunt. Ibi de novo Rex inungitur, regníque inſignibus induitur; populus Sacrificijs, & epulis dat operam; Samuel ingratis exprobrat divina beneficia, nimis quàm ſæpe maleficijs repenſa, in eo, quantum cœleſtis indignationis promeruerint, demonſtrat prodigioſa, repentináque, ſudô cælô concitata tempeſtas, ſuſcitatîs enim momentò procellîs, omne cæli lumen extinguitur; nubibus & caligine denſiſſimâ, dies in faciem noctis inhorreſcit, tonitruis inſoliti tumultûs, atque fulge-

tris

tris jnſuetæ formidinis, ſævit aër: miſtæque fulminum ictibus, immanes pluviæ, ſpiſsáque grando, tecta domuum, ſtratáque platearum perſultant; unóque temporis articulo, Galgalorum urbs, locáque finitima diu priùs ſicca, latiſſimè diffuſis undis, tanquá maris æſtu ſtagnant. Tenduntur ſupplices Samuelimanus; hic ſatis formidinis ſalutaris pertinaci genti injectum ratus, quibus precibus concita verat tempeſtatem ijsdem ſerenitatem cœlo, & perculſis terrore mortalibus tranquillitatem reduxit. Poſt quæ, nunquam Regi ſe neque multitudini, vel ſuis ad DEUM votis, vel fideli conſilio defuturũ, quo ad in officio permanerent ipſi, conteſtat⁹, univerſos, ne recederent ab incorrupto, ſynceróque DEI cultu; niſi *Regem* pariter atque *Regnum* peſſum ire vellent, noviſſimè, graviſſimé que cohortatus eſt. Id promittentibus omnibus, quod erant præſtjturi pauci: Ramatham Samuel; Gabaan Rex Saules; populus ſuam quisque domum repetunt: omnes non minùs belli gloriâ quàm ſpolijs, ovantes & opulenti. Saules primô imperij biennió charus mortalibus, Charior longè DEO, quippe qui mentis innocentiam, animíque demiſſionem, fraudis ac faſtûs ignarus, Divinæque Legi per omnia morem gerens, egregiam præ ſe, tulerit; feliciſſimus Principum, ſi quo pede cœpit, eodem progreſſurus fuiſſet. Sed quia bene inchoatis conſtantia defuit, ſe familiámque ſuam in exitium præcitavit. Id qua ratione contigerit, ſequenti narratione expediemus.

NARRATIO LIV.

SAVLES A DEO REPROBATUS, MALE PERIT.

1 Reg. cap. 13. 14. 28. 31. Annis Mundi. 2968. &c. & 2979. Qui fuit ultimus Sauli. Ante Christum 1085. &c. & 1048.

QUantam obsequij promptitudinem exigant, & constantiam, quæcunque vel apertè, divinitus; vel humanitus quidem, sed tamen sic quoque DEI jubentur auctoritate, luctuoso non minùs documento, quàm perpetuo monumento Saules est, primus gentis Hebrææ Rex, cujus causſam, modúmque *Reprobationis* exponemus.

Philisthini, jurati Israëlitarum hostes, illatam, per *Ionatham* Saulis filium, cladem ulturi, *Galaaditidem* regionem valido cum exercitu invaserant, latèque formidine circumlatâ, etiam urbi *Galgalis* imminentes, Saulem, qui tum ibi morabatur, magnas in angustias conjecêre, dilabentibus plerisque per summam ignominiam, Israëlitarum non modô copijs, sed etiam viritim in singulos dies militibus. Perstitit tamen Rex, præceptorum Samuelis memor, sex ipsos dies. Restabat septimus, quem Samuel disertè, signatéque præfinierat. In quo mandato, quoniam DEI fuerat, non hominis; quærendum non erat; cúrnam dies sex exspectationi tam periculosæ, non sufficerent? sed septimus insuper requireretur, ad populi trepidationem, ac periculî magnitu-

di-

dinem augendam? cum enim quidpiam à DEO præcipitur, vetatúrve: tota præcipiendi, vetandíque ratio, ipſe ſibi DEUS eſt: qui leges & jura dat; legum autem cauſſas, & demonſtrationes dare neque ſolet, neque debet. Illuxerat dies ſeptimus, & verò magnis jam paſſibus procedebat. Nondum præſtò Samuel erat. A tergo, lateribúsque Philiſthæus inſtabat hoſtis: & qui pellendo hoſti collectus miles Hebræus erat, adhuc in ſingula momenta, tanquam autumni frigore folia, divolabat. Neque tamen adhuc id, cujus cauſsâ Galgala Rex petierat, & ibidem tot dierum moram devorârat, perfectum erat Sacrificium, deſtinatum ad DEI favorem & gratiam, bello tam duro, præmolliendam. Tot igitur ac tantis gerendæ rei difficultatibus circumvallatus Saules, Sacrificium aggreſſus; non ſuismet quidem (quod aliqui volunt,) fortaſſe manibus (quippe Regno, non Sacerdotio conſecratis) ſed Pontificis *Achiæ* operâ, quem in caſtra ſecum adduxerat: litavit quidem, & perfecit hoſtiæ flammam atque cineres. Sed quantùm victimam, tantùm Numinis indignationem accendit: cujus teſtis & interpres ſtatim factus eſt Samuel. Is namque Sacrificio jam conſummato ſuperveniens, cùm obviam egreſſum, honoris ac reverentiæ cauſsâ Saulem interrogâſſet, ídque ſuccenſentis, non ignorantis, ſtomacho: QUIDNAM FECISSET? eum nequaquam, pro ſpe regis excepit. Nam ipſum purgare ſe, neceſſitatis extremæ legibus conantem, graviter increpare, ſeveréque cœpit: quippe qui non exſpectando ſeptidui noviſſimam lineam, haud inobſequentem duntaxat præcepto Numinis, ſed planè rebus quoque ſuismet malè conſu-

lentem, ac stultum sese præbuisset. Obtemperandum fuisse DEO, tametsi morte quoque sua, residuæque multitudinis iuternecione, cœlestis imperij futurum fuisset obsequium. Ac potuisse DEI potentiam non modò vivos in tutum, & libertatem; Sed etiam interfectos, in vitam aciémque revocare. Quanquam minimè gentium id in fatis fuerit, ut à Philisthæis tunc delerentur: quorum gladios, sicut à cervicibus Hebræorum, divinæ manûs præsidium sex antecedentibus suspendisset diebus; ita cohibere potuisse, reipsáque cohibiturum esse, sub septimæ quoque lucis finem atque fugam. Potius id destinatum (cum exceptione tamen) fuisse; sub idem hoc tempus, & populi sui securitatem, hostium occidione, præstare tranquillam, & Saulis domum atque stirpem æternitate regni constabilire. Nunc autem vitiô regis (quippe DEO suo nec innitentis, in rebus arctis, nec ad præscriptum obtemperantis) neque radices porrò, neque ramos aut frondes futurum esse Saulææ familiæ sceptrum: sed exarescente propagine dominatûs, in ipsis suî principijs, habiturum finem. Jam enim alio de rege subrogando cogitari, qui rex, spretum à priore Numinis imperium, obsequendi promptitudine resarciret. Idque non tantummodo deliberatum in cœli curia, sed penitus etiam concluſum esse: decretúmque jam factum irrevocabile.

Samuelis tam vehemens, támque inexspectata regijs auribus increpatio divinationi conjuncta, quantos in animo Saulis cogitationum fluctus excitârit, tametsi perscriptum Sacris in voluminibus non sit, conjecturæ tamen difficultatem, apud humanarum

affectionum intelligentes, nullam habet. Sauli quidem certè, tam multis antehac nominibus probato regi, breviſſimam unius dieculæ moram non pertuliſſe, gradus fuit primus, ad omnes deinceps reliquæ vitæ luctuoſos dies. Nimirum nihil unquam cenſeri parvum debet; quod mandat ille, cui ſua minimis etiam in rebus, ſumma ſemper majeſtas conſtat.

Samuel cùm triſti illa denuntiatione perculſum Saulem reliquiſſet, conceſſit in urbem Gabaam, ubi tum cum præſidio mille virorum Jonathas, Saulis filius, agebat, ad Philiſthæorum, vicina loca inſidentium, excurſiones prohibendas. Fortiſſimum Regij Juvenis facinus, cum pari gloria conjunctum, non poſſumus non hoc loco, ita ferente hiſtoriæ ſerie, commemorare. Philiſthæorum caſtra ſtabant medio, inter *Machmas* (urbem tribûs Ephraimææ auſtralem) loco, præruptô, & pænè inacceſsô; ideóque minùs cuſtoditô. Ea re animadverſa Jonathas, cui & ſua dignitas, & ætas & conſcia virtus, & quod caput eſt, ſingularis Numinis afflatus animos faciebant; circumſpicit opportunitatem egregij alicujus facinoris perpetrandi; communicat conſilium cum adoleſcente armigero ſuo, ad Principis mores ac voluntatem facto, fictóque. Adrepunt duo ſoli per aſperrimas cautes ad Philiſthinorum ſtativa: invadunt excubitores, iísque proximos; nec pauciores, viginti proſternunt. Injicitur trepidatio totis caſtris, terrorem augente inuſitato terræ motu, & hoſtium animos ita perturbante, ut, dum in fuga alij alios aut retrahunt, aut implicant, in ſe ipſos arma converterent (quod etiam tempore Gedeonis factum)

ctum) & mutua se cæde trucidarent. Saules quo-
que recollecto exercitu facit impetum in territos
magnámque cladem edit. Sed quia copiarum hu-
stilium multitudo non uno in loco erat vincenda
Saules prosequendæ victoriæ cupiditate incensus, ju-
ramento suum, & uniuscujusque caput obstringit
vitæ propositô supplicio, si quis ex omni militum
numero cibum ante sumpsisset, quàm universum hos-
stilem exercitum rex delevisset. Victoriâ parta
consultum Oraculum, num ea strage satis litatum
esset vindictæ bellicæ; cùm responsum nullum redde-
ret, per sortes inquisitum est, in caussam silentii
compertúsque *Ionathas*, & propria confessione de-
prehensus mel linxisse silvestre, summitate virgæ in
favum extenta, ignarus tamen adjurationis paternæ
& gravis inediæ necessitate adactus. fuerat tamen
ille linctus capite staturus, nobilissimo & fortissimo
Juveni, nisi populi deprecatio intercessisset, negan-
tis victoriæ suæ principem, & auctorem, fieri victi-
mam oportere. Quod quidem Saulis edictum, et
que pœnam adjunctam dum alij nimiæ severitatis
damnant, alij absolvunt, nos in medio relinquemus,
& alteram *Reprobationis* miseri regis caussam refe-
remus; quæ fuit alterius mandati neglectus.

Jussus quippe à DEO Saules erat, *Amalecitas*, gen-
tem Palæstinæ, cujus scelera mensuram explevis-
rant, radicitus excindere: non sexûs ullâ, non ætá-
tis, aut formæ misericordiâ: neque gregum & ar-
mentorum, ceteríque pecoris ullo respectu: neque
rerum ac fortunarum hostilium, aut spoliorum ul-
cupiditate; siquis hostili jugulo pepercisset, hunc
in proprium caput crudelem fore: daturúmque pœ-
nas

nas, quia pœnas non sumpsisset. Saules, prostratis magna cæde Amalecitis, regnóque devastatô, cùm omnia, quæ viva, jussu DEI trucidanda, quæ capta, ferro, flammáque destruenda fuissent; cùm ipse, tum milites regem Amalecitarum *Agágum*, è fuga retractum, conservandum sibi sumpserunt pro triumpho; vestimentorum insuper pretiosiora: gregum & armentorum pinguissima quæque: denique supellectilium, & opum potiora, magísque speciosa sibi quisque, vel regi suo reservârunt. Nec abeRat improbitati titulus, opimior DEI cultus, & pinguiores in Sacrificia victimæ: donariáque Tabernaculi, captivum aurum, ac vestes. Quâ re intellectâ Samuel, irati Numinis vindictam iterum Sauli denuntiat, ob contumacem arrogantiam. Simúlque bobus omnibus obesiorem *Agagum*, graviter ob tyrannidis crudelitatem increpitum, ac mortis propinquitate contremiscentem, supérque acerbitate vicini fati quiritantem, ad aram trahit, impellentéque DEO, gratissimam cœlo victimam facit, suápte dextra concisum in frusta. Quò peractô, *Ramatham* ipse, relictô perpetuò Saulis consortiô, se refert. Ibi multùm, sed incassum, deplorato Saulis casu; à DEO Bethlehemum, oppidum Judææ Tribûs, ablegatur, Iessæque filium Davidem, novemdecim tunc annos natum Sauli substituit, ac Regem inungit, septem ejus fratribus, ætate majoribus, neglectis. Ex quo temporis puncto Saules, tametsi pro rege se gereret, ad extremum usque vitæ spiritum: mortalibus quidem plerîsque Rex; Samueli verò, Deóque regni tantummodo procurator esse cœpit, Davidis vices obiturus.

Hanc

Hanc autem rerum, ac functionum mutationem invexerat repentina Saulis è viro bono, degenerem in virum, transmutatio: potissimùm cognitæ divinæ voluntatis, nec tamen operibus expletæ, culpa Spiritu dehinc privatus est illo, qui Regibus ad idoneam gubernationem perneceſſarius est; & in vicem nefariô bilis atræ Geniô inſeſſus, in alia ſuper alia delicta præceps ruit, ingens mortalibus omnibus exemplum, ſuópte damno, primos ut poſt lapſus, quàm maturrimè reſipiſcant, niſi triſtiùs perire velint. Nam & *Davidem* optimè de ſe, déque regno ſuo meritum, generum inſuper ſuum, ſæpius lancea transverberare, alióve mortis genere, de medio tollere conatus est; & *Abimelechum* Pontificem, cum octoginta quinque Sacerdotibus, quòd fugienti David receptaculum conceſſerant, cum univerſis Nobæ urbis incolis contrucidavit, tectáque ſuccendit. Ad artes denique magicas confugit, Samuelem è tumulo excitaturus; cujus minax ſpiritus ultro ſe aſpectabilem reddens, poſtridianam cladem interminatus est, Saul enim tribus cum filijs, à Philiſthæorum exercitu cæſus, ac profligatus est. In fuga, ſpe ſalutis abjecta, furijs agitatus conſcientiæ, timénsque, ne hoſtium inſequentium in manus incideret (à quorum ſagittis jam vulnus acceperat) conſilium interficiendi ſui concipit; direptum vaginâ gladium pronus in medium defigit; corpus quem continuò, furoris eodem genere ſectatus armiger, & ipſe necem infert ſibi. Hoſtes in promiſcua ſtrage, Saulis & filiorum corpora deprehendunt; illum regijs ornamentis exuunt; cadaver fœdè truncata, denudatáque, ex mœnibus urbis

Bet-

Betsamis suspendunt; quæ de nocte à Jabessitis civibus ablata, publico civitatis luctu, terræ mandatasunt. Caput verò Saulis præcisum, in templo Dagonis idoli, tanquam anathéma suspensum à Philisthæis.

Sed quid juvant Saulem honores tumuli, si anima sepulta sit in Tartaro? Itaque filiorum (quod mireris) optimi quique, fortissimique prælio sunt cæsi: deteriores reservati, non ad gloriam Saulis, sed ad opprobrium. *Isbosethus* enim, animi nequaquam militaris, â latronibus, meridians, dormiénsque trucidatus; de quo postea. Ionathæ verô filius *Miphiboſethus*, patris optimi, natus non malus, DEO tamen *Avi* scelera, vel in nepotibus castigante, captus pedibus fuit: &, fortunâ sæpe magîs, quàm pede claudicans, alienô vivere coactus est arbitriô, cibo, tribunali. Filij præterea, quos è *Respha* concubina suscepit Saules, carnificum manibus transmissi, in crucem sunt acti. Patruelis *Abner*, à *Ioabo* copiarum Davidis duce, turpi, fœdóque vulnere missus est ad plures; ne superaret, qui Saulis familiam, in regni propagandi spem, excitaret unquam, aut fulciret. *Micholi*, Saulis filiæ, ne liberos quidem unquam, è Davide marito, largiri DEus dignatus est: ut nec femina quidem ulla, Saulææ stirpis aliqua favilla superesset. Sic magni plerumque, ubi ceciderint, magnas post se ruînas trahunt.

NAR-

NARRATIO LV.

DAVIDIS DUELLUM CUM GOLIATHO GIGANTE.

1. Reg. 17. Anno Mundi 2971. Ante Christum. 1082.

NEmo unquam securiùs scopum ferit, quàm ubi DEus ictum dirigit. Bethlemiô David oriundus oppidô, Tribus Judæ, patrem habuit *Isai* seu *Iesse*, virum rusticanum, sed agri divitem, & copiosum. E septem fratribus, natu minimus, pascendis gregibus erat admotus. Commendabat adolescentem præ cæteris, formæ dignitas, peritia tractandæ citharæ vocísque suavitas singularis; quâ jam tum inter silvas ac pascua compositos à se, diversis carminum mensuris, psalmos modulabatur. Ac plectro quidem ad barbiti chordas: manibus autem ipsis, quoties casus & res exigerent, ad pugnas utebatur. prima certaminum ei rudimenta, silvestres adversùm feras, ovilium vastatrices, inciderunt. Quibus cum adeò non operosa fuit ei luctæ moles; ut (quod Siracides festivè dixit) *cum leonibus quasi cum agnis, & cum ursis, quasi cum oviculis, victor luderet.* Ferocissimas quasque bestias, aut caulis imminentes, aut inde cum præda revertentes, ultro prior ipse velocissimo persequebatur cursu; comprehensas manibus nudis, arreptô mentô, jugulóve conficiebat. Hæc certamina præludium fuerunt illius

illius periculosissimi cum Philisthæo *Goliatho* duelli; quod in ætatem *Davidis*, vicenniô paullò majorem incidit. Ea pugna ita se habuit.

Turbantibus iterum pro inveterato odio Philisthæis, & arma moventibus in Hebræos, David ex aula regia Saulis, ubi psalten egerat, ad pascua sua remissus est, haud inter se conveniente, cytharæ, tympanorúmque sonitu. Vicina locârant inter se castra Hebræi Philisthæíque, hinc & hinc in colle, parati ad pugnam, si fortè hostis in vallem interjectam, certamen conserturus descenderet, quod mutuis clamoribus, sæpius poscebant. Quadragesimum jam diem, ducebatur magis bellum, quàm gerebatur, neutris aleam tentantibus; quo tempore *Goliathus* quidam, gigantæâ staturâ & armis robori paribus ferox, in medium progressus, truculenta voce provocabat ad pugnam, si quis ex omni Hebræorum numero prodire contrà, secumque componi sustineat, déque imperio gentis utriusque dimicare. Quæ minæ, & convitia, cùm arrogantiâ, fastúque barbaro quotidie jactarentur neminem tamen Hebræorum excitârunt, ut vel publico dedecore, vel privatâ gloriâ, vel promissis à Saule divitijs, & tributorum immunitate, vel regiæ filiæ conjugiô, ad ineundum singulare certamen se permoveri pateretur. Tantum omnium animis incusserat terrorem oris truculentia, & corporis in hostili provocatore vastitas.

Sub idem ferè tempus venit in castra David, admodum, ut dictum, adolescens missus á parente cum cõmeatu ad fratres, & munusculis ruris, ad tribunũ perferendis; cùm more suo procedit gigas, consuetá-

que ferociâ, & insultatione lacessit, si quis esset, qui secum cominus congrederetur, suæque genti vel æternam servitutem victus, vel imperium afferret victor. Ubique rursus trepidatio, & fuga inter Hebræos; ut idcirco suam illis timiditatem quotidianis contumelijs exprobraret barbarus, qui in tot bellatorum millibus non inveniant vel unum, totius qui gentis abstergat dedecus: & periculô suô ceterorum pudori consulat. Ubi nunc cum suis armigeris Ionathæ, qui nuper Philisthæis castris tantas trepidationes intulissent: ubi Saulis glorioſæ de Ammonitis & Amalecitis victoriæ? ubi ceteri heroës circumcisi, tot egregijs bellorum facinoribus clari? Hîc *David* non magis ferocem hostis superbiam, quàm imbellem suorum consternationem miratus, intellectis, quæ victori promissa erant, præmijs, spiritus concepit DEO plenos, & ad dimicationem paratos. Quod advertens *Eliabus*, fratrum natu maximus, jussit eum cum objurgatione ad sua se pascua referre, & inconsultam ferociam in tuendis gregibus ad ceteros opiliones ostentare; linqueret arma viris; quæ puerorum essent, tractaret ipse puer. Non ideò tamen ab incœpto destitit juvenis, vires & animos suggerente Numine. Res defertur ad aures Regis: sistitur coràm adolescens: imparitas ei certaminis objicitur, & inexperta adversùs veteranum bellatorem militia; quibus ipse reponit victorias de se de belluis relatas, haud sanè formidabiliorem ijs esse thrasonem illum allophylum, Martem in lingua magis, quàm manu gestantem. Delectatus ea Rex animi magnitudine, pugnam poscenti permittit: útque humana cum divinis præsidia conjungeret, armis ex-

ar-

armamentario suo depromptis jubet indui adolescentem, magis id patientem, quàm optantem, quippe, quem fiducia Numinis, omni firmior chalybe obarmârat. Sed cùm ijs corporis munimentis plus impedimenti, quàm inesse subsidij videret, exutâ cataphractâ, ad arma ruris, baculum, peram, fundam, & lapides, quos fortè de torrente selegerat, convertitur, atque in pugnam procedit.

Graditur ex adverso Philisthæus, magna se mole ferens qui juvenculum intuitus inermem, nullóque dimicationis apparatu formidabilem, in quo debellando plus pudoris, quàm gloriæ colligeret, indignabundus jussit è conspectu facessere imbellem canem, nisi protinus mallet proteri pedibus & corvis fieri pabulum; conjectîs etiam in Hebræorum DEUM contumelijs, minísque cœlo intentatîs. Non minus animi, ac linguæ Davidi fuit in repellendis minacijs, quàm Philisthæo in inferendis, præsertim cùm spiraret iras, non ab humano robore, sed à præsenti Numinis auxilio metuendas. Post velitationem verborum, ad decretorium certamen venitur, spectantium mentibus varia exspectatione suspensis; Philisthæi certa jam spe victoriam devorârant; Judæorum alij temeritatem adolescentis damnabant: alij rem incertæ fortunæ committebant. Iam Goliathus toto corpore cataphractus, obviàm se tulerat, ingentem manu hastam vibrans; cùm David, ocyus emicat, silicem rapit è pera, imponit fundæ, librátque ictu tam destinato, ut excussus, mediam Philisthæi feriret frontem, fractóque cerebro hæreret fixus. Bovis instar, vasta procumbit moles; David superstans jacenti, caput amputat

tat gladio, ex adversarij vagina eductô, cúmque opimis spolijs ad Regem Saulem contendit.

Eô spectaculô fracti animis Philisthæi, in effusam mox fugam se dederunt attoniti, persequentibus Hebræis, & terga cædentibus, tanta strage, ac si omnium capita, unius in Goliathi corpore stetissent. Fugatis, concisísque hostibus, reversus est in civitates suas victor exercitus, lætitiâ triumphans, & spolijs dives. Rex Saules, cum Ionatha cæterísque filijs, curru regio sublimis ibat; Dehinc *Abner*, aliíque militiæ Duces vehebantur, & inter eos David, publicæ lætitiæ fons & caput, vestimentis, armísque Ionathæ refulgens, manúque famulari caput inimicum in conto præferens; gladium hostilem posteà in Sacro Tabernaculo dedicavit) omnes redimiti coronis, & palmis insignes. Ante currus agebatur multa Philisthinorum, in vinculis turba, servituti mancipata interstrepentibus militari clangore tubis, & lituis, festóque bellicorum tympanorum fragore. Huic agmini triumphali obviàm ex urbibus undequaque prodierunt puellæ Hebrææ, festivis cantibus & choreis, victores salutantes. Summa *epinicij* erat: *Percussit Saul mille David decem millia.* Atque ut felicitatis comes est invidia, mulierum illo minùs temperatô laudandi studiô, David in bellum aliud pertractus est, priore diuturnius, molestiúsque; in quo cum Saulis invidi Regis odijs, amore; cum illius malefactis ac perfidia, beneficijs ac fide concertavit, octo ipsis annis, in varia, atrociáque mala, per omnes Chananitidis regiones circumactus. sed, ut subinde ostendam pluribus, nec ista tempestate David terrebatur. Deo suo ni-

xus

vus, jam tum regnare didicit; nam Seneca teste: ars prima regni est, posse invidiam pati.

NARRATIO LVI.
MALEFICIA SAULIS IN DAVIDEM.

I. Reg 18. 19. 22. 23. 24. 25. 26. Annis Mundi 2971. 2972. 2973. 2974. 2975. 2976. Ante Ch. 1082. 1081. 1080. 1079. 1078. 1077.

VNa est invidiæ & ignis natura, quæ diu latere non potest, sed citò in illustria erumpit incendia. Saules, ut suprà exposuimus, odij & invidiæ Furijs instigatus in Davidem, omnes machinationes, adhibuit, ut hominem de se, regnóque suo meritum optimè, tolleret è medio. Epinicium Davidi cantatum, erat ulcus in pectore livido, quod altera mox post victoriam, & cæsum Goliathum die, sese aperuit; Sauli namque ab orcino spiritu, exagitato, cùm David adduceretur, ut malô Geniô citharæ suavitate pulsô malaciam reduceret insanienti, conatus est [non ignarus quid faceret] lanceâ transverberare psallentem; peregissétque crudele facinus, nisi David capitis declinatione, ictum frustrâsset, ejúsque impetum in parietem deflexisset, Quod scelus cùm non successisset, ut fraude perficeret, quod aperta vi non poterat, simulat rex impius, tanquam inscio sibi & invito hasta fuisset elapsa, móxque aliam indutus larvam, statuit homicidium

moliri, nec sine specioso vaframento. Constituitur David tribunus militum, ut periculis objectus tantô periret citiùs, quantô promptiùs in belli discrimina ruebat impiger juvenis. Nec ea vafritie procedente, alia sanguinaria fallacia excogitatur. Pro *Mérhoba* filiarum Saulis natu grandiore, Davidi in victoriæ præmium promissâ ac desponsâ, sed perfidè alteri collocatâ, *Michola*, soror illius in nuptias offertur, adjectô quasi dotis pactô, *centum* è Philisthæis cæsis, præputiorum. Horum difficili præfectione circumventum Davidem, sperabat Saules, in insidias atque perniciem esse præcipitandum. At ille non contentus centum, etiam duplum annumeravit impudentis illius postulati: victor hostium, ac gener regis utrisque licèt invitis, factus. Paulò pòst, celebritate famâque generi sui, veterem retractus in invidiam Saules; ad ingenium suum, & Davidis ad odium redit; impellit ad ejus necem maturandam non tantùm amiciores suos, atque domesticos, sed insuper Jonatham filium suum, Davidis amicissimum; ut hic eum, ceu Regni, quod morte patris ad eum esset transiturum, subsessorem è medio tolleret. Nihil ponderis habuit crudelis instigatio; plerisque Davidis gloriæ, magnanimitatique faventibus; Jonatha comprimis patrem à cruento consilio avertente. Verùm nec ista reconciliatio fuit annosa. Non enim multò pòst, redeunte tum invidiæ, tum furoris æstu, citharâ ludentem, canentémque; coram se generum, aggressus hastæ solitæ conjectu Saules; iterum nisus est traijcere: fugientémque suas in ædes, & in uxorio thalamo latitantem; per emissarios insecutus, ad se perduci, catenis injectis, impe-

ravit.

peravit. Occidiſsétque : nî conjugis Micholæ ſedulitate, per averſam domûs partem è valvis demiſſus, David & miniſtros fefelliſſet regios, & iniquiſſimum regem; Ramátham verſùs, ad Samuelem, inſtitutâ per tenebras fugâ. Quo tempore Michola conjux; ne viro facultas deeſſet elabendi, quámque longiſſimè recedendi, ſimulacrum ligneum, ad hominis longitudinem figuratum, ac pelle capræ fulvæ vittatum, in lectulo, tanquam ægrotantis mariti corpus, collocavit : & aliquantiſper ſatellites, eo dolo circumſcriptos, detinuit ; donec ex rege, quid agendum eſſet, intelligerent. Fraude Micholæ tandem, Davidíſque fugâ, compertîs : non deſtitit tamen Saules eum, etiam Ramátham uſque, tum per lictores ſuos ; alios ex alijs, immiſſos ; tum per ſe ipſum quoque perſequi. Nec abſtinuiſſet ab eius cæde manus ; niſi vis altior ei tunc homicidæ mente ſubtractâ, mentem ac ſpiritum injeciſſet hominis entheati ; cúmque cætero *Prophetarum* choro vaticinantis. Quare manibus tunc quidem incruentis & innoxijs, Gabaam reverſus ; non diu tamen innocens eſſe perſeveravit ; ſed pòſt paullò ad Davidis inſectationen ſe retulit. Quem iterum, uti proximè, purgare patri, reconciliaréque Ionathas conatus ; non eâdem, quâ tunc eſt uſus patrocinij felicitate, ſucceſſúque. Nam, elatus iracudiâ longè quàm unquam antehac, ardentioreSaules, & verbis contumeliæ plenis, & aſſuetæ ſibi lanceæ cuſpide, Defenſorem Davidis impetivit, cùm Davidem ipſum non poſſet. Nec deinceps eô minùs in propoſitô perſtitit, inviſi ſibi juvenis occidendi:

quibuscumque contingeret eum in locis ac latebris deprehendi.

Sed jam David à Jonatha prœmonitus, ad tutiora se contulerat: Gabaæque finibus excedens, *Noben*, urbem in Tribu Benjaminæa Leviticam ac Pontificis, Sacerdotumque tunc sedem, confugerat. Ibi ab *Achimelecho* Pontifice, pauciſſimo cum comitatu, comiter exceptum: & *Gladio Goliath, panibusq; sacris* pro rerum necessitate, viaticatum; *Doëgus* (Idumæus qui *circumcisionem*, & Hebræorum ritus, acceperat) regiorum pastorum præfectus, Sauli prodidit. Hic tum, ut tyrannus, qui sacrum inter & prophanum jus, caputque nihil distingueret: ad se, nullâ morâ per lictores Achimeléchum accersit. Venientem, & in conspectum perductum cum octoginta quinque Sacerdotibus, acerrimè primùm, ob hospitium & amicitiam Davidicam, summam per calumniam increpat; deinde cunctos imperiô suô, Doëgique famulari ferro, contrucidat. Nam cæteri, quibus id mandatum à Saule fuerat, injicere sacrilegas, cruentásque manus DEI ministris detrectârant, At ille virorum octoginta quinque summíque Sacerdotis cæde nondum satiatus; mittit eundem carnificem suum: qui Nobes urbis incolas universos, nullo sexûs, ætatis, atque cauſſæ discrimine, cum gregibus & armentis, unum in cadaverum acervum redigat; urbísque tecta, mœniáque, flammâ, demolitione perdat. Adeò suævit furor invidiâ & ambitione cæcus. Unicus è tanta strage, Sacerdotis supremi filius, *Abiathar*, elapsus fugâ Davidi, quæ circa patrem, ac Noben urbem essent gesta, dolenti dolens exposuit:

ac

ac mutuas optimo Principi lacrimas suis fletibus expressit.

Porrô David inter hæc, fugam ex fuga trahens latebrásque latebris commutans: ad *Achin* primò, Gethæum Regem se contulit. Deprehensô verò confestim, se digitis ac murmure notari plurimorum; simulatâ mentis invaletudine vitæ, & libertati suæ consuluit. *Gethâ* profugit in speluncam petræ cujusdam, adjacentis *Odollæ*, Judaicæ tribûs Urbi; eodémque traxit alios, numerô ferè quadringentos; universamque cognationem suam; quorum plerosque res angustæ domj; multos etiam, Saulis exagitatio, tanquam oppressorum omnium capiti conciliârat. Sed nec hôc locô diuturna mora. Relinquitur *Odollæ* spelunca: transitur Iordanes; venitur Massépham, urbem permunitam, Moabitarum ad regem. deponitur illuc, majoris securitatis caussâ, quod in terris habere chariſſimum David debebat, paternæ domûs residuum, unicúmque pignus; *pater Matérque Davidis*. Ipse cum suis, præsidium agitat regium eodem in loco. Sed nec istud in longum, dissuadente, per *Gadum Prophetam* Deo, loci barbari, simulacrorúmque cultui dediti periculosum hospitiú. Reditur igitur in Judæam; degitur aliquantisper in saltu *Haretæo*, inde quoque conatus eum extrahere Saulis furor: dum curis inutilibus alijs rex occupatur; spatium Davidi vel invitus dat, in *Ceilam*, Judaicæ tribûs oppidum, haud ita procul *Odollâ* situm, transeundi. Sub idem tempus Davidem, sexcentorum jam numero capi tum auctum, ac Ceilam adversus Philisthæos tutantem; secundissimóque cum his prælió, non sine victoriæ magno

lucro, congressum: Saules omni gentis Israëlitica robore, multitudinéque sub signa convocatâ, festinabat opprimere. Verùm David, ab oraculo per Abiathanem pontificem, uti periculo se subduceret, instructus: post multiplices errorum ambages, in *Ziphæa* tandem solitudinis opacissimum montem, *Hachilam*, cum omni suorum manu, perfugit. Hic quoque proditus ab accolis & incolis ejus loci, *Maónis* desertos montes & saltus fugâ petijt; in latere petræ *Maonææ* delitescentem, adeò, circumfusis radici montis copijs, Saules obsedit, atque conclusum tenuit: ut ad omnis effugij supremam desperationem eum adegerit; certus ultimis illum, exquisitissimísque cruciatibus laniare. Nec destitisset propositô: nisi consilia regis disturbante DEO, Philisthini, Saulis absentiam in suam opportunitatem vertentes, in regnum illius irrupissent ex improviso; prædas agentes, & hostilia facientes. Ad cujus rei nuntium Saules, rebus suis regnóque suo malè metuens; trepidus obsidium Davidis solvit: ac qua parte, publicum intelligebat hostem grassari, totîs illuc regni viribus ire properavit.

Eô discusso *Reipublicæ* periculô; continuô rex ad hostem, quem ipse sibi fingebat, *privatum* revertitur: ac, *Maóne* transgressum *Engaddæos* in montes Davidem, tribus millibus fortissimorum Israëlitarum stipatus, eódem continuò sequitur: è latebrosis illius saltûs jugis, quantumcunque naturâ permunitis, eum extracturus. Sed Davide etiam inde evadente in *Pharanæam* solitudinem; Saules scelus novum, & contumeliam in Davidem comentus, improbitatem suam exsequitur. Filiam nam-

qua

que *Micholam*, jn matrimonio Davidis jam olim degentem, & nec repudiatam à viro ſuo, nec ullo modô legitimô ſegregatam; invito genero vetere, genero repentè novo, *Phaltæ* Laiſæo collocat, & è temporis exigui vidua (ſicuti, per Davidis abſentiam, & exilium videri poterat) perpetuam facit adulteram. Nec hîc tamen illius ſubſtitit inſatiabilis improbitas; nam compertô, Davidem relictô *Pharanis* & *Maonis* deſertô, in petram *Hachilæam* rediſſe: ſuccinctus electiſſimorum prætoriæ cohortis tribus millibus, adversùs Davidem caſtra locat, munitiſſimô contra petram locô. Noctis beneficiô, etiam huic diſcrimini ſe David ſubduxit, & *ſicelégam* (Simeonææ tribûs urbem; ſed Philiſtinæ nuper ditionis factam, ſibíque ab *Achi* Gethæo conceſſam) cum ſuis inſedit. Quam ſubinde ab Amalecitis (Davide cum ſocijs, in Philiſthæorum caſtris commorante) incenſam & deſpoliatam, cùm nuntius retuliſſet: David eos perſequens, ductu cuiúſdam pueri Amalecitæ, epulantibus, & tripudiantibus ſupervénit, editáque magna ſtrage, captivos & prædam ablatam reduxit. Quô locô, cùm annum ſolidum, ac menſes quatuor moram traheret: ibíque de finitimis barbarorum terris, tanquam ex gentilium ſuorum agris, prædas identidem ageret; in Achis regis intimam gratiam, amicitiámque penetravit. Inter quæ, Sauli quoque, qui decimum jam, octavúmque regij dominatûs agebat annum, ſuprema ſua dies, & ineluctabile flagitiorum ſupplicium, in montibus *Gelboeis* advenit. Occaſio verò; quæ noxium caput ad pœnam rapuit, bellum fuit à *Philiſthinis* reparatum, in quo Saules cum filijs

filijs suis perijt, quemadmodum superiùs enarratum est, Hic solet esse insani furoris exitus, ut suis ipse laqueis, quos innocentiæ locavit, miserè tandem capiatur.

NARRATIO LVII.

DAVIDIS BENEFICIA IN SAULEM.

I. Reg. c. 16. 17. 24. 26. & 2. Reg. 1. Annis Mundi. 2971. 2976. 2978. 2979. Ante Ch. 1082. 1077. 1075. 1074.

CErtamen inter se susceperunt Saules, & David; ille hostilitatis, hic humanitatis: ille odiorum, hic obsequiorum: ille superbiæ, hic demissionis: ille perfidiæ, hic fidei: ille sævitiæ, hic mansuetudinis: ille machinationum nocendi, hic insidias evitandi. Quo quidem ex certamine David, Chrysostomo teste, plus gloriæ collegit, quàm ex Philisthæo gigante fundâ dejecto. Id nunc exponemus.

Saules in Sacrificio primùm Galgalæo (quod narravimus) diem exspectationis septimum non explens; posthæc in Amalecitico bello, prædâque graviùs offendens: à delictis in pœnas, à pœnis ulteriùs in delicta, gradum facere cœpit; sempérque posteriora quæque, vel scelerum, vel suppliciorum, antecedentibus atrociora sunt deprehensa. Reversus igitur ex urbe Galgalorum, in Gabaæ suæ regiam urbem Saules, à nefario bilis atræ Genio, quasi per

per causſam latentis invaletudinis insidetur. Hujus mitigando, de Medicorum ac familiarium consilio, Davidem adolescentem, Bethlehemiten à custodia gregum advocant: cujus peritiâ fidium, atque psalterij tractatione Dæmon exagitator sopiretur. Nec cunctatus est ille venire, harmonicóque vocis & lyræ concentu, magis verò precibus ad DEUM fusis, malignos humores discutere, regísque animô ad hilaritatem reductô, malum Genium fugare. Qui subinde reversus, cùm Saulem infestaret, redijt ad suam quoque citharam David, & solitum à carmine remedium adhibuit, adeò, ut iteratione cantûs, denique planè victus recederet à Saule Tartareus inquilinus. Tanta vis inerat Musicæ, pietate canentis cum suavitate fidium consonante. Ingens hinc amor regis in juvenem pastoritium; qui proinde in armigerum, & prætoriam cohortem adlectus, omnium sibi Palatinornm gratiam conciliavit; sed minimè diuturnam; nam cum rege, etiam Aulicorum versa sunt studia. Saules, ne videretur beneficium accepisse, dum agnoscit; post pulsum atrum dæmonem, & stratum manu Davidis Goliathum quærit ex Abnere belli duce, quis & qua stirpe oriundus esset adolescens ille, quem tamen paullò antè, familiariter notum citharœdum habuerat.

Sed qui mentem insano, citharæ modulatione, victoriam desperato, fundæ jaculo reddidit; cùm nihil nisi internecina odia & insidias referret, mirifica lenitate atrocitatem infestissimi Principis excepit. Latebat cum suis sexcentis profugus, in spelunca quadam, longo recessu opacâ, solitudinis En-

gad-

gaddæa (quod suprà memoravimus) & cingebatur à Saule, tribus millibus fortissimorum bellatorum stipatus. Fortè naturæ levandæ caussâ Rex ad os ejusdem spelæi secesserat; hîc commilites Davidem vehementer incitare, occasionem tyranni interficiendi oblatam ne dimitteret è manibus, faceret denum miseriarum finem, facinus auderet pulcherrimum, & jugulatô unô, omnium Saluti consuleret. His vocibus, & suomet impetu concitatus David, tacitus adserpit ad Saulem, capitali hosti necem illaturus; sed mox consilij pœnitens, satis habuit chlamydis regiæ particulam, non sentienti resecare; nefas ratus, in eum sævire, quem DEus ipse ad Imperij fastigium, electione sua provexerat. Egresso è spelunca Saule, David quoque in apertum progressus, Regem inclamat, & cùm ad agnitam vocem se convertisset, primò submissa veneratione infensi Principis animum mitigare; deinde modestè conqueri; se, cùm ne justæ quidem ultioni indulgere voluerit, injustis ac eo simultatibus, odiisque infestari: nihilo enim majore negotio potuisse caput regis, quàm regiæ vestis laciniam præscindi: DEUM justissimum Judicem facturum palàm, uter æquiore caussa nitatur; simúlque oram chlamydis abscissam exhibet, verbis fidem adstructurus. Quibus auditis, aspectísque, Saules vehementer obstupescere, illacrimari (sed crocodilli lacrimis): se, *reum*; & illum *innoxium*, confiteri: denique recedere paucos ad dies, Gabaam; ab Davidi tutiores petendi, opportunitatem relinquere. Mox autem patuit: quantò facilius esse soleat improbis, promittere probis bonitatem; quàm promissam præstare: si

mularéque lenitatem, quàm factîs repræsentare. Vix enim interea in Desertum *Pharanis* David secesserat, cùm Saules, morte Samuelis, projectior in scelera, quia metu reprehensionis solutior, Davidem in petra *Hachilæa* latitantem, trium millium prætorianorum manu circumsepit; ille discrimine cognito, non distulit, (audendi vires addente cœlo) *Abisæo* sororis filio, comite, de nocte tenebris spissa, non in castra modò, sed in ipsius etiam Regis tabernaculum penetrare. Illic, per circuitum foris, & intus sparsim humi jacebant, tum *Abner*, copiarum ductor, cum legatis, ducibúsque; tum imprimis ipse Saules: quos omnes, sopor altissimus, ac divinitus immissus, tenebat oppressos. Nihilo secius tamen David, Saulis se non ut hostem, sed ut vitæ servatorem exhibuit: Cùm enim & opportunitate rerum, ac temporis admonitus: & Abisæi monitîs stimulatus; confodere, necaréque virum posset; cujus ipse furijs implacabilibus quotidie moriebatur; etiam nunc pepercit ei, *sacratæ Majestatis* reverentiâ, contentus dormientis ad caput defixam humi sarissam, ac poculum aquarium auferre. Inde summo cum silentio, in verticem adversi montis evadens, dormientes adhuc hostes, clamoribus excitat: cæteris quidem neglectam sui regis custodiam exprobrat, quam eos præstare decuerat, adversùs hastæ Regiæ, scyphíque prædatorem; Regi verò vitæ supremum, in quo versatus modò fuerit, discrimen exponit; flebili vocis & querelarum habitu contestatus; sine causâ meritóque suo, se tot jam annis exagitari; simul & vaticinatus magis quàm imprecatus; ut unicuique Justitia secundùm fas, nefàsque suum, quidquid meruissent, redderet.

Quan-

Quantum enim in hostium suorum consilijs esset, extrudi se terrâ, quæ sola veri Numinis cultum adhuc retineret, & in terras ablegari barbarorum; à quibus ad execrabilem posset simulacrorum adorationem compelli. Quâ quidem tum in regiam vitam clementiâ, tum allocutionis aculeis, tum quoque Saulis animum, ad recessum ac reditum inflexit; sed malefidâ etiam illa reconciliationis constantiâ. Quare David omnem deinceps persequendi sui spem ac successum, hostibus suis præciturus, ad *Achim* Gethæ regem, cum omni suorum copiâ perfugit. Atque hic & illi ulteriorum ambagum ac fugarum terminus, & Sauli demum infectationum ejus finis fuit; non autem pietatis & reverentiæ, quâ in Regem ferebatur David; in cujus contumeliam ne videretur ablata spolia vertisse, hastam etiam, & scyphum restituit.

Cæterùm Davidis in Saulem pietas nunquam clariùs eluxit, quàm cùm ad eum nuntius de Regis & filiorum cæde perlatus est ab Amalecita quodam; apportante simul diadema regium, & auream brachij armillam, exanimi regi detractam. Ibi tum vir pijssimus, vestem more gentis suæ conscindere: (quod in magno luctu amabat fieri) largos fletus profundere: aliorum etiam lacrimas commovere, jejunióque, & lugubri carmine interfectis parentare; cladis verò nuntio, qui mentiebatur, à se ultimum Sauli sic postulanti, spiritum, validiore cuspidis actu exturbatum; caput amputari jussit, in pœnam perempti regis, qui tantum crimen nec imperare potuit; nec imperanti parendum fuit. Et vere cùm mox à Saulis morte, regia licuerit uti potestate

Davidi; licuit in reum quoque (quippe Amalecitam, Hebræi nominis hostem) ultrò confitentem, ferro animadvertere. *Iabesitas* autem, quòd Saulis & filiorum corpora exequijs cohonestâassent; non modò præclarè collaudavit: sed etiam officium funeribus impensum, regiâ sese benevolentiâ remuneraturum, non largiùs appromisit, quàm Sanctiùs præstitit. Qua ratione nobilissimum vindictæ genus exercuit, non injurias injurijs, sed beneficijs repensando.

NARRATIO LVIII.

JONATHÆ AC DAVIDIS AMICITIA.

Lib. 1, Reg. cap 18. 19 20. 23. & 2. Reg. c. 1. Annis Mundi 2971 2973. 2975. 2979. Ante Christum 1082. 1080. 1078. 1074.

INter amantium paria, quæ antiquitas laudibus celebravit, meritò sunt adnumerandi, *Ionathas* & *David*; quorum cùm alter regio esset ortus Sanguine: alter pastoritio, morum tamen & studiorum similitudo rarum inter eos amoris certamen excitavit. Uterque generosus animo, manu strenuus, amans honesti, à simulatione & invidia alienus. Itaque Jonathæ David jam tum in oculis & visceribus hærere cœpit, cùm ausus congredi Goliatho, præclaram victoriam de superbissimo hoste reportavit. Commendabat adolescentem ad omnes, animus bellicosus, & quæ

Gratior est, pulchro veniens in corpore virtus. Neque aliter triumphales Victoris laudes accipiebat Jonathas (secus, quàm pater fecerat) quàm si ad suas lauros pertinerent. Nec immeritò; nam amor duobus in corporibus, jam unam animam effecerat. Et quia amicitia pares aut facit, aut accipit, non satis erat regio Juveni Davidem sibi conjunxisse intimè; nisi exteriore quoque habitu in amicum transiret. Eam ob caussam, se vestibus, quibus erat indutus, spoliat: ijs Davidem induit; & armorum quoque exuvijs exornat: arcum manibus, dorso pharetram, baltheum renibus, gladium lateri circumdat, ut pastorem in virum militarem verteret, præsentem sui memoriam ubique circumlaturum.

Atque ut ea voluntatum confessio esset æterna, fœdus inter utrumque, est ictum, perpetuæ stabilimentum amicitiæ; accessit mutua vitæ consuetudo; nam annitente Ionatha, David inter Palatinos, & Tribunos bellicos est adlectus. Nec diu pòst opportunitas incidit, quâ, Ionathas non affinem modò (nam David ejus sororem Micholem duxerat) & amicum; sed planè vitæ Custodem, fidúmque Patronum apud patrem se exhibuit. Cùm enim Saul interficiendi Davidis consilium filio aperuisset, ut, cujus maximè interesset, subsessorem regni è medio tolli; is tamen datam fidem, juramentóque firmatam, habuit antiquiorem paternâ benevolentiâ cum scelere copulatâ, atque adeò debitô sibi, ac speratô regnô. Insidias ergò paratas Theseo suo manifestat; &, cùm nec posset pro amico adversùs patrem arma capere: nec deceret, innocentis incolumitati deesse; quod proximum fuit, egregiè præstitit, ut patrem à sen-

sententia dimovere conaretur, & amicum moneret, studiosiùs ut salutis suæ curam gereret; quippe cujus cædi præstitutum sit manè sequentis diei; se verò daturũ operã, ut pater abiret à crudeli proposito, & mandatum revocaret: occuleret se tantisper latebris, donec certiora à se nuntiarentur. Ita ab utroque constitutum, ita factum. Jonathas commemoratione meritorum, quæ David interfectione Philisthæi gigantis in universam gentem Hebræam contulit, placavit iram parentis; revocatur in Aulam & gratiam David, qua tamen ipsi nunquam uti securè licuit, glisscente sub doloso cinere, invidiæ ac furoris Scintilla.

Haud multùm temporis interceſſit, cùm David novis insectationibus appetitus, confugit ad Jonatham, fidam sibi anchoram, ostenditque, quantum á reconciliata nuperrimè gratia, capitis discrimen adjerit; quippe qui, nisi Micholis amor & fides conjugalis interveniſſet, domi suæ à satellitibus regijs comprehendendus, & ad necé rapiendus fuiſſet; exardescere tantò acriùs iracundi in se regis flammas: quantò vehementior esset calor amantis suî Jonathæ. Si moriendum sit, malle se amici manu cadere, mortémque luctu perimentis solari; quàm moriendi pœnam ex inimici lætitia, novo dolore cumulare. Hìc verò Jonathas amoris igniculis, velut aquâ aspersâ exstimulatis, iterum, iterúmque amicitiæ sacra jura testari, & polliceri, se vel suo capite insidias amiciſſimo capiti structas amoliturum; id si minùs posset; patefacturum certè; nihílque omissurum, quod ad tesseram iniri fœderi integrè conservandam pertineret. Et mox, qua ratione factis

potiùs quàm verbis inter se loquerentur (nihil enim erat tutum ab exploratoribus) secretô consiliô constituerunt, in hunc modum.

Davidi uti memoravimus; velut inter *sacrum & saxum* hærenti, quippe cui satis exploratum non esset, quâ demum fiduciâ sese fallaci regis gratiæ committeret, jam minas in ore, jam blanditias habentis: aliàs ad cædem, aliàs ad mensam vocantis; machinationes demum Ionathas ingenioso detexit astu.

Fortè epulum solenne agitabatur in regia; in eo cùm David, gener regis, desideraretur; Saules avidior sanguinis, quàm vini hauriendi, institit quærere caussam absentiæ filij Isai; sic enim per contemptum, eum appellabat. Ionathas officiosô mendaciô cauturus amico capiti, ait Davidem, Bethlehemum, in patrium oppidum excurrisse, ad Sacrificium cum paterna familia ibi celebrandum. Non potuit Saules iram premere, cujus alioquin potens non erat; jurgiô adoritur filium, proditorem & hostem patris, regiæ stirpis probrum, progeniem mulieris virum ultro rapientis, appellat; qui non vereatur cum inimicis conspirare, & sceptri paterni decus, in vile caput, regni æmulum transferre. Simúlque jubet Davidem accersi, meritas daturum pœnas; cúmque Ionathas scire vellet, quam ob caussam reus esset capitis gener & affinis regius; Saules, non jam intra verba, furorem continens, arripit lanceam, quam semper habebat ad manum, confixurus innocentiæ defensorem, nisi intercursu amicorum fuisset cohibitus. Proripuit è conspectu se Jonathas, & periculum tum suum, tum Davidis jam neci destinati dolens, noctem illam in mærore exegit.

Pri-

Prima luce in agrum urbanum, ſpecie quidem artis jaculatoriæ exercendæ, reverà, diſcrimen amico indicaturus procedit, ſolo comite puero, arcûs & ſagittarum bajulô. Ibi cæpit ſagittas quaſi ad ſcopum jacere: puerúmque inclamare, ut colligeret, & referret jacula, *ultra ipſum* cadentia; id enim (ut ei cum Davide convenerat) ſignum erat, ſalutem eſſe in fuga repoſitam. Quod ſi res periculo caruiſſet, idipſum præmoniturus erat, jubendo pediſequum, tela intra ſe & herum intercîdentia ſuſtollere. Jaculatione his, quæ promiſerat, peractîs, ablegatóque in urbem Gabaam puerô, David ſolitudinem nactus ad colloquium, ſurgit è latebris; procumbénsque ad pedes Jonathæ, vitæ ſuæ conſervatorem ſalutat; ille erectum à terra, complectitur, hærent mutuis in amplexibus, deplorantes iniquam ſortem, quæ ſuaviſſimam ipſis conſuetudinem invideret, & invitiſſimos à ſe invicem diſtraheret, quod ipſa morte durius videbatur. Quis explicet, quos par hoc amantûm affectus miſcuerit, quibus oculis ſe mutuò aſpexerint, quibus verbis valedixerint; plùs pectora loquebantur, quàm linguæ; amor & dolor decurtabant voces, prolixiùs in corde ſonantes. Alter in alterius non jam aure, ſed pectore, ſenſa depromebat, reddebátque. Intellexit Jonathas muta Davidis ſuſpiria, neminem ſuorum, nec ſeipſum, abrupto ſermone, commendantis; viciſſim David tacentis amicî vocem percepit, operam omnem ſibi, familiæque ſuæ difertô ſilentiô deferentis. Vix tandem fletibus exſatiati, obteſtatíque ſe invicem, ut mutuæ fidei perpetuò meminiſſent; uterque digreditur: Jonathas in urbem regiam; David fugiens crudelem

regem, in oppidum Noben ad Achimelechum Pontificem (de quo supra) contendit.

In Ziphæa deinde solitudine, & magna rerum necessariarum penuria Davidem versantem, non omisit Ionathas invisere: renovatísque fœderis, & amoris pristini monimentis; ad alacriter omnia ferenda, regníque certissimam exspectationem, excitare. Tanta veræ dilectionis vis erat: ut, quidquid in Davidem, *Alterum se*, transferret; id tanquam sibi datum, amicissimus animus reputaret. Et quamvis ex eo tempore uterque ex alterius abierit oculis, non tamen abijt è pectore; manet alta mente repostus nexus amicitiæ, in omnes posteros propagandæ. Nec ea vis amoris restincta est, cùm luctuosa fata Saulem, & filios extinxerunt; David enim intellectô, Ionatham in prælio cecidisse, quibus non gemitibus & fletibus charissimi capitis funus luxit; Ibi tum, auditæ voces: *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis valde super amorem mulierum. Sicut mater unicum diligit filium, ita te diligebam.* 2. Reg. c. 1. Quid posset amor ipse loqui, vel ad affectum tenerius: vel ad amicitiam constantius: vel ad mœrorem tristius? Verè rarum par, & speculum amantium Jonathas & David. Nam sicut navis in tempestate dignoscitur, ita amicitia vera in rebus duris & asperis.

NARRATIO LIX.

ABIGAIL, NABALIS UXOR DAVIDEM PLACAT. 1. Reg. 25. Anno Mundi 2977. Ante Lacte Christum 1076.

Lacte dicuntur restingui fulminum ignes, verò borum verò comitate iracundiæ motus sopiuntur. Davidem Saulis regis odia, quemadmodum memoratum est, nullo patiebantur loco consistere, acerbam credentis esse vitam sibi; suam innocenti nisi eripuisset; quò factum, ut fugitivo, cum virorum sexcentorum comitatu de silva in silvam per loca deserta fuerit demigrandum, in magna rerum penuria ac egestate. Habitabat non procul monte *Carmelo*, *Nabal*; homo tam fatuus, quàm opulentus ruris, pecorisque; moribus agrestibus, & ab humaniore vita remotis. Instruxerat is fortè domi suæ convivium lautum & splendidum, tonsuræ ovium tempore, ex qua priscis suæ ferè redibant opes. David usurus opportunitate hilaritatis convivalis, mittit ex solitudine *Pharanis*, ubi tum delitescebat, decem é suis, qui sportulas ac stipem petant, militi vago & egeno; cùm mercedem pro defensione pecoris exigere potuissent; quippe, qui non tantùm ipsi, quamquam obærati, & ex rapto vivere assueti, nullam gregi noxam intulissent; sed insuper ab illo latrocinantium Arabum incursiones avertissent: ejus rei, fideique testes appellant ipsos Nabalis pastores; tribueret igitur rogantibus, sive mallet, merentibus, quô vel famem solarentur. Debuit ea petendi modestia avarum etiam pectus emollire, nisi homo durus & asper, hominem exuisset; reijcit igitur rogatores non modò stipe militari vacuos, sed præter id oneratos contumeliâ, quid enim sibi negotij cum Davide, Isai filio, & socijs erronibus, ab ira dominorum profugis: æquum haud esse, ut exedant fugitivi servi, quod suis ipse tonsori-

soribus intrivisset : irent vias suas vagabundi prædatores, & alias in silvis excuterent quercus, se commeatum malè feriatis ventribus non præbiturum.

Quibus ad Davidem, alia omnia exspectantem renuntiatis, justô ferventiùs exardescens, ut læsa patientia fit furor, jubet accingere se ferro commilites, omnino quadringentos, reliquis ad sarcinas remanentibus: jurátque, se occidione occisurum, omnem Nabalis familiam, ne cane quidem ad servandas fores relicto. Et atrocitati minarum respondisset eventus; nisi furoris æstum prudentia mulieris restinxisset. Nam interea famulorum quispiam, qui colloquio interfuerat, nuntiat *Abigaili*, quàm contemptim & barbarè respondisset herus æquis militum precibus, quorum vicinia non solùm innoxia pecoribus, sed utilis etiam & necessaria adversus prædones Arabes fuisset; nunc irritatos vecordia herili militares animos, in gravem haud dubiè tempestatem erupturos, eam nisi averteret solertia & comitas heræ. Quæ cùm accepisset Abigail, pro eo, ut periculum monebat, solicita, constituit muneribus placare Davidem, vulnerique, quod avaritia & acerbitas mariti fecerat, suâ lenitate & liberalitate mederi. Sine cunctatione componit in viam ducentos panes, duos cados vini, quinque coctos arietes, quinque modios farinæ, centum sportulas sicuú uvæ passæ, fiscinas ducentas, eámque asinis aónam imponit, cum mandato, ut servi maturarent, séque præcederent, confestim secuturam. Mox abit & ipsa, insalutatô maritô, ne homo versipellis & morosus, injiceret moram profectioni.

Ad

Ad pedem Carmeli montis asinâ vehenti, occurrit David cum armata virorum manu, neces & funera spirans; quibus illa conspectis, ocyùs è jumento desilire; Ductoris ad pedes accidere, melleâ linguæ suadâ viam veniæ parare ac gratiæ: Esse maritum hominem bardum, vecordem, ebrietati deditum, decóri ac honesti expertem: contemptu proinde digniorem, quàm irâ; se verò longè abesse à culpa, illatæ per ipsum injuriæ, quippe domo absentem; secus, prolixè se testaturam fuisse officia, ac liberalem voluntatem; id quod nunc faciat muneribus allatis; amplas autem se Numini debere gratias, gratulationem Davidi; qui divinitus prohibitus sit, innocentem ne sanguinem misceret cum noxio: exoptare se votis omnibus, ut quosquos in hostibus is numeraret; eos subijceret sub pedes, in præmium clementiæ, & condonatæ inimicis offensæ; & verò non optare se modò, sed præsagire quoque magnis ipsum prælijs victorem, in regium esse solium à DEO evehendum, magnísque felicitatibus beandum: inter eas principem occupare locum, animum rectè sibi conscium, & sceleris integrum; ad ultimum rogare se, ne omitteret sui, ancillæ postremæ meminisse, quando vel votis, vel præsagijs suis, esset eventus fidem facturus. Erat hoc aquam affundere flammis. David oratrice tam eloquente mitigatus, mox omnem ulciscendi cupidinem abijcere: dicere gratias Divinæ Providentiæ de submissa in occursum prudentiæ tam facundæ fæminâ, cujus eloquium à cogitato scelere sese abduxisset; acceptis inde muneribus, multa cum benevolentiæ, & remissæ injuriæ significatione, Abigailem ab se dimittere.

tere. Hæc domum reversa, medijs epulis, & convivantium lætitiæ cùm superveniſſet, maritum, qui pro more se vino liberaliùs invitârat, discriminis, quod impenderat, monere supersedit; quid enim carmen asino? distulit igitur commonitionem in lucem alteram, quando exhalatâ crapulâ, aditum haberet ad aurem, sensúmque sobrium. Cohorruit ad narrationem uxoris, Nabal, stuporéque perculsus, tantùm non in saxum obriguit; paucísque post diebus, DEO pœnas inhumanitatis & præposteræ tenacitatis reposcente, morbo sublatus est repentino. Agnovit David & fructum suæ Clementiæ, & oculum Dîvinæ Justitiæ, tum maximè vigilantem, quando ad injurias acceptas connivent homines; Et quia Abigailis rara cum virtute conjuncta venustas, meliorem pridem virum merebatur, adjecit ad ejus nuptias animum David; in cujus ipsa manum, ubi funus eluxit maritale, convenit, ínque dotem omnes præclaræ matronæ laudes attulit. Felix utique connubium, quod eximia modestia & prudentia est auspicata: insignis liberalitas conciliavit: egregia animorum moderatio utrinque copulavit.

NARRATIO LX.

ABNERIS, DUCIS BELLICI, GESTA ET FUNUS.

2. Reg. cap. 2. & 3. Annis Mundi 2982. 2984.
Ante Christum, 1071, 1068.

Homi-

HOminis ambitiosi pectus duæ agitant furiæ, Invidia & Perfidia. Cùm malignè obtrectando nihil proficit, vim adhibet, amicitiæ palliolo velatam. Saulis obitu, David consultô Dominô, ex urbe *Sicelega* (quam ei Rex Gethæorum Achis donaverat) in urbem *Hebronem* (Tribûs Judæ Metropolin, trium Patriarcharum sepulchrô nobilem) migravit. Ibi Rex secundùm unctus, & promulgatus est; miserrimo tamen Reipublicæ statu; nam duo capita in uno corpore: duo soles in uno Cœlo malè conveniunt. Post Saulem quippe violenta morte sublatum, mox *Abner* (filius *Neris*, patrui Saulis) militiæ Princeps, *Isbosethum* Saulis filium, per castra circumduxit ut Regem, cujus in obsequium jurarunt undecim Israëlis Tribus, sola Judæ tribu, sed longè fortissima, Davidem sequente. Hinc itaque Isbosethus jure hæreditario se Regem ferre; i le David, sibi Saulis successionem, divina electio collatam, vindicare. Tenuit controversia, seu be um potiùs civile, annos septem cum dimidio. Initium ejus, quem diximus, *Abner* dedit, qui solo Regis nomine Isbosetho relictô, cætera ipse pro Rege agebat.

Fortè is cum suis copijs urbe *Manaim* egressus, *Gabaonem* versus movebat, urbem tribûs Benjaminææ, sed *Judæ* conterminam. *Joabus* Exercitus Davidici Imperator, compertô, Abnerem trajeciisse *Iordanem*, cum expedita manu obviàm procedit, vim, si ingrueret, vi prohibiturus. Utræque copiæ occurrunt sibi, juxta lacum quendam, non procul Gabaone; sacræ paginæ Piscinam vocant. Ibi Abner prudentiâ consilij, necessitatem periculi occupaturus (putaba

tabat enim, Davidis se gratiâ honestiùs colligere no
posse, quàm militari ambitu) captâ Joabi amicitia
persuadet ei, ut id loci, utriusque armati consid
ant. Id ubi factum, suorũ Abner ostentaturus for
tudinem militum, ne videretur aliqua timiditate a
prensandam Davidis benevolentiam adduci) *Surga*
inquit, *pueri, & ludant coram nobis.* Ludum intelli
bat gladiatorium, quo duodeni selectiorum suor
militum, singulis congressi Joabæis, ludicrum ex
berent spectaculum, magis artis militaris ostenta
dæ gratiâ, quàm sanguinis faciendi. Sunt, qui e
stiment, certamen illud non tam militaris gloriæ
studiô, quàm desideriô suas, aut hostium vires e
periendi susceptum fuisse, in omen quoddam,
præjudicium fortunæ præliaris, alij opinantur, ve
tationem eam decretorijs armis institutam,
paucorum seu victoriâ, seu cæde, controversia bel
lica decideretur. Quæcunque demum mens Abn
ris fuerit, acquievit ei Ioabus. Concurrunt ar
mis feroces juvenes; apprehensis alter alterius ca
nibus, invadunt se pugionibus tam pertinaciter,
omnes ad unum cæsi, mutuis vulneribus concid
rint. Non ludus fuit, sed prolusio acris prœlij. Je
ritatæ suorum sanguine, utrinque spectantes copi
infestas inter se manus conserunt. Vincit Joabi mi
les; Abner cum suis cæditur, & fugatur, interfec
tis trecentis sexaginta; decem tantùm & novem ex
parte Davidica desideratis; atrociùs ne pugna pro
duceretur, & virtutem accenderet desperatio, A
ner, licèt hostis, amicè & sapienter Joabum monu
cujus ipse consilio audiens, cani receptui jussit.

In ea fuga cùm *Asaël*, Ioabi frater, non minùs manu promptus, quàm cursu strenuus, Abnerem concitatiùs insequeretur, opimi cupiditate spolij; Abner, qui nolebat speratæ pacis negotium abruptum, monet, alium sibi quæreret, & paris fortunæ adversarium; ne, gravi fratris ejus Ioabi invidiâ, cogeretur ipsum ferro suo immolare victimam; at ille, de capto militiæ principe, sibi gloriam ambiens non antè destitit vestigia fugientis premere, quàm Abnetis aversâ confossus hastâ, interijt. Incensis eâ pugnâ bellatorum animis, crebris deinde excursionibus & velitationibus certatum est, victoria semper á Davidicis stante; quia tamen pro Isbosetho jus regiæ successionis pugnabat, & populus in legitimum Principem multa veneratione ferebatur, unica tantum ex duodenis tribu, Davidis signa amplectente, longiùs protractum est bellum. Cui denique finem imposuit dissidium, quod ex intempestiva objurgatione inter Isbosethum & Abnerem, ortum, omnium Israëlis agminum defectionem ad Davidem, promovit.

Fuerat Sauli concubina, *Respha* nomine (sive liceat eam interpretari uxorem secundariam, sive pellicem) cujus amoribus, ut illex est pulchritudo, Abner captus, impudicè cum ea consuescebat, id indignè ferente Isbosetho, ideóque severiùs Abnerem redarguente. Hic verò tam impotens iræ, quàm impatiens reprehensionis, vehementiùs in monitorem excandescit, cui merita sua non essent potiora, quàm unius caput mulierculæ: suis ipsum regnare beneficijs: suis humeris sustentari: suæ virtutis præmium esse, sceptrum in aliena manu; simúlque minas

nas ingerit, execratione capitis firmatas, se regnum Saulis, Davidi haud paullò meliori Domino, in manus traditurum. Nec aliter fecit, ac dixit. Nactus certus, populum, militiámque à suis consiliis non discessuram, mittit quamprimùm ad Davidem nuntios, qui nomine suo regnum Isbosethi, & amicitiam secum sanciendæ fœdus offerant. Accipit lætus conditionem David, qui sciebat totius Hebrææ gentis sceptrum jure sibi divino deberi. Abner, pro qua pollebat apud suos auctoritate & eloquentiâ persuadet primatibus, ut juxta responsum Oraculi divini (nolebat enim proditionis nomine suspectus esse) unum sequerentur Principem, qui universo nomini Israëlitico moderaretur: eum esse Davidem, Regem à DEO, Vindicémque populi Hebræi, interprete Samuele, designatum. Consensu omnium habito, adjungit sibi viros viginti, quibus comitatus, per speciem deducendæ Micholis (nam eam sibi restitui David repoposcerat) venit ad Regem, excipitur tantò majore benevolentia, quòd & desideratissimam conjugem reveheret, & undecim tribuum subjectionem, suâ operâ, impetratam daret. Instruitur in signum lætitiæ, epulum regale Abneri, viro ætate, prudentia, rebus gestis, & meritis inclyto, amplissima in Abnerem erga Davidem meritis inclyto, amplissima in Abnerem vis erga Davidem meritis inclyto, amplissima in Abnerem la munera promittuntur. Ussit id Joabum, alterius incrementa, sua decrementa interpretantem; igitur partim studio vindicandæ cædis fraternæ: partim metu, ne se in ordinem redactô, Abner militiæ Ducis vidicæ imperium obtineret, incitatus, adit Regem, & pro fiducia consanguinitatis (nam ex Sarvia, David vidis sorore erat genitus) cum eo expostulat, quod

transfugæ, & dolos malos haud dubiè meditanti, fu-
am, regníque ſalutem committere, in animum in-
ducat: paratam eſſe homini ſimulationem : ſub ami-
co vultu coqui conſilia, brevi poſt in publicam per-
niciem eruptura; neque enim aliud habere ſibi pro-
poſitum Abnerem, quàm ut ſpectaret ipſe præſens,
qua ſe ratione David aut contra apertam vim, aut
contra occultas inſidias munijſſet; quid deſignâſſet
animo, & quomodo illius cogitationes eludi, ac
bellici apparatus diſſolvi, certò infirmari poſſent.
Eas criminationes ut vidit, ad animum non admitti,
conſtituit ipſe, manu ſua tollere, quem mallet regio
mandato videri interemptũ. Jam Abner, reditũ eò,
unde venerat, properabat, totas Hebrææ gentis vi-
res, abdicatô Isboſethô, Davidis imperio, uti con-
venerat, adjuncturus; cùm Ioabus nuntios mittit,
qui abeuntem, regis nomine revocent, tanquam per
oblivionem, quiddam maximè ad rem pertinens,
illi ſignificare omiſiſſet. Abner nihil eorum, quæ
eventura erant, ſuſpicatus, reflectit iter. Occur-
rit ei ad ipſa *Hebronis* mœnia Ioabus : poſt amicam
Salutationem, à cætero comitatu ſeducit ſuî ſecu-
rum, tanquam ſecreti aliquid cum eo collocuturus;
&, ut timida eſt in ipſo facinoris articulo improbi-
tas, ſceleris participem & adjutorem adhibet fra-
trem *Abiſaium*; mox improviſò ſicam in Abneris ni-
hil minùs metuentis ilia demergit, ſimúlque vulnus
graviſſimum animo Davidis infligit, probè intelli-
gentis, maximô reipublicæ detrimentô eam cædem
perpetratam; dolebat, malè turbarî bene ſuſceptam
ab Abnere regni totius conjunctionẽ : principem vi-
rum, regio Sanguini arctiſſimè coñexum, prudentiæ

& for-

& fortitudinis laude clarissimum, déque regno suo optimè meritum, contra jus gentium crudeli nece sublatum: ejúsque rei invidiam in se derivari. Timebat, ne abalienatis Israëlitarum voluntatibus, civile bellum magnô utriusque partis damnô recrudesceret; quocirca publicè contestari, se procul à conscientia ejus criminis abesse: diris imprecationibus cùm auctores necis, tum omnem eorum posteritatem execrari; convocare populum ad exequias heroi frequentandas: ipsemet cum primoribus, scissis vestibus, habitu lugubri, largo fletu funus prosequi, eique supremis honoribus parentare. Corpus magnificè sepulchro juxta Hebronem illatum est, & à Davide, repetito planctu, epicedióque honestatum; quod stans ipse super monimentum primus deploravit, suóque exemplo cæteros ad idem faciendum provocavit, adeò graviter Abneris morte affectus, ut nullis amicorum precibus adduci potuerit, ad cibum, ante solis occasum, capiendum. Quod sanè non mediocrem ipsi gratiam apud multitudinem conciliavit; nemine ampliùs suspicante, Davidis voluntate Abnerem interfectum; sed prose quisque egregiam Regis benignitatem prædicare, & eadem quoque sibi ab eo polliceri. Cæterùm pœna in reos, cùm sine periculo exigi non posset, tum quidem dilata est, sed minimè ablata; erit enim, cùm Ioabum quoque non sicca morte, ultricia fata de numero mortalium exturbabunt. Nihil irritat acriùs Nemesin, quàm fraus cruenta, & privato scelere in communem Societatem injuriosa.

NAR-

NARRATIO LXI.

ISBOSETHUS SAULIS FILIUS, UNDECIM ISRAELIS TRIBUUM REX, PER INSIDIAS INTERFICITUR.

2. Reg 4. Anno Mundi 2986. Ante Ch. 1067.

PRincipis est, vel per se, vel per fidos amicos excubare. Securitas multos perdidit. Abnere, quod narravimus, perfidiosè cæso, eíusque nece pervulgata, *Isbosethus* Rex imbellis, animo frangi, regnum nutare, totáque Saulis familia in certum interitum ruere cœpit, omnium studijs ad Davidem spectantibus. Inclinatam *Isbosethi* fortunam, tristis casus in hunc modum evertit. Gemini fratres, *Rechab & Baana*, sub Abneris signis stipendia fecerant, commendati bellica fortitudine, regiæque cohortis præfecti. Hi ob noxam, nescio quam, è castris & Aula proscripti, cùm Davidis sibi gratiam, Abneris exemplô, demerendam insigni aliquo beneficio putarent, statuunt *Isbosethum*, Davidis æmulum è medio removere. Ad facinus audendum invitabat spes impunitatis; nam & *Abnerem* occidisse noverant; & *Miphibosethus*, Ionathæ filius, cùm ob ætatem (septennis erat) tum ob debilitatem corporis (altero namque crure, ex casu, claudicabat) non habebatur idoneus, qui succederet in regno. Sceleri perficiendo captatur tempus meridianum, quo Somnum suadebat æstus cæli ferventior; & ostium palatij unica servabat muliercula, cui grana tritici in

polentam seligenti, labor juxtà calórque clauserat oculos. Regij quoque custodes corporis, cæterique Aulici, alius aliò dilapsi, quietem in umbra captabant. Rex ipse suaviter in lectulo meridiabatur. Ergo sicarij, sanguine & scelere fratres, specie, habitúque mercatorum, spicas manu præferentes, tanquam triticum empturi (ex horreis quippe regijs frumenta vendebantur) penetrant in regiam inobservati, atque adeò in ipsum conclave Regis; adrepunt ad lectum, offendunt dormientem; mox confodiunt impotem sui, & obtruncant. Ocyùs exinde arreptâ fugâ, noctem cum die jungunt, itineri continuando; donec ex urbe *Manahim* [ubi sedes regia] *Hebronem* ad Davidem pervenirent; coram quô, prolatô *Isbosethi* capite, En, inquiunt, caput inimicum; per hoc unum stetit, quò minùs imperares securè, minúsque latè. Ex hoc prorupit civile bellum, cruentô septenniô, tecum gestum. Hujus diadema cœlesti suffragio tibi debitum, nunc sine æmulô cape, Iacet *Saules* perpetuus hostis tuus: jacet *Isbosethus*, paternorum hæres scelerum: & cum his tota sanguinaria Domus prostrata jacet; impio sanguine pias dextras imbuimus: meridianô somnô oppressus tyrannus, ad inferos missus est. Assertum nostra manu sceptrum habes, nunc extra discrimen & invidiam positum: Hebræa gens omnis in tua jura transit. Id modô vide, ut ijs, per quos hanc tibi felicitatem Numen æternum contulit, memineris gratiam referre. Dixerunt hæc, amplum facinoris præmium exspectantes à Davide, cujus rebus *Isbosethus*, si vixisset, haud exiguam moram invecturus credebatur. At Rex aversatus perfidiam, & atrocitatem sce-

leris,

leris, Nuntio, inquit, occisi Saulis, pro mercede, quam captabat, vitam auferri jussi; & vos proditores, vos sicarios execrandos, patiar impunes? etiam gratiam nefando sceleri reponam? vos, qui virum insontem, vestrum Regem, in suamet domo, in suo lectulo quiescentem per insidias invasistis, latronum more jugulâstis: flagitij præmium à me speratis? Ita vobis Davidis nota pietas, nota justitia? In malam crucem deterrimi parricidæ. Cum dicto, negotium dat satellitio, ut in nefarios irruat, & interficiat. Extemplô factum. Vivis manus, pedésque præcisi, & in medio Hebronis foro, juxta fontem (exactiùs hæc cum Divino Scriptore memoramus) suspensi; cadavera in crucem acta; ut monumentum tam auctorum nefandi sceleris, quàm pietatis Davidicæ extaret. Isbosethi caput in Abneris tumulo conditum est. Utrumque rara perfidia sustulit, rarior pietas extulit, & in amplissimo regno dissidentes, angustum spelæum conjunxit.

NARRATIO LXII.

DAVID INTEMPERANTIAM SITIS TRIUMPHAT.

2. Reg. 23. 1. Paralip c. 11. Anno Mundi 2988. Ante Christum 1065.

ISbosetho Rege per sicarios confosso, regnum ipsius in Davidem inclinare, & denique transferri cœpit. Comitijs enim Hebronem urbem indi-

ctis, tantô numerô Israëliticæ tribus, studijs, ut memoravimus, in Davidem versis, confluxerunt, armatorum ut trecenta quinquaginta septem millia conferentur; à quibus omnibus Rex salutatus est David. Inaugurationem regiam excepit epulum, triduô magnis sumptibus celebratum. Rex tanto omnium consensu creatus, animorum voluit uti calore; Suscipit expeditionem ad arcem Solymæam, quam in jugo montis *Sionis*, situ operéque munitissimam *Iebusæi* tenebant, expugnandam; urbem Hebræi jam antè occupârant. Missis igitur ad *Iebusæos* caduceatoribus, arcê æquis sibi conditionibus dedi postulat. At illi confisi munimentô, armis, viris, commeatu, propugnaculis instructissimô, per ludibrium Regi nuntiari jubent, non eadem ipsum & incolas æstimatione loci firmitatem metiri: scire se, adversus quamlibet vim ei defendendo, cæcos etiam claudôsque propugnatores suffecturos: qui primis ubi de propugnaculis fuerint depulsi, tum enimvero oculatos, manibúsque valentes & pedibus occursuros, hostémque deturbaturos. Stimulavit iram Regis contumelia responsi, quam ut à se amoliretur, propositis ingentibus præmijs, incitat militem ad arcem invadendam; ei, qui primus in muro evasurus esset, supremâ militiæ præfecturâ decretâ. Mira continuò belatorum alacritas emicuit, certatim scalas admoventium. Ante alios omnes Ioabus, supremus dux militiæ, in altum enixus, dignitatem imperatoriam, quâ privandus ob necem Abneris erat, recuperavit, confirmavítque. Arx capta; Jebusæi ad unum omnes jugulati. David repurgatô locô, domum ibi ædificavit Regiam, juxtáque, basili-

ſilicam, in cujus Aula media Tabernaculum poſtmodum cum *Arca Fœderis* conſtituit.

Philiſthæi expugnato munimentô tam valido, ſuum agi periculum rati, fortunam gemino tentant prælio, turpiter utroque victi, profligatique. Quo tempore Davidem in caſtris verſantem, laboréque feſſum, vehementior ſitis accendit; ſed quam cuperet aquâ non aliâ reſtingui, quàm ciſternæ Bethlemiticæ, cui paſtoritius etiamnum puer aſſueverat. Credibile eſt, magnanimi Regis deſiderium, magis amore patriæ (Bethlemum erat oppidum) quæ tum in Philiſthinorum poteſtate erat, recuperandæ, quàm frigidæ ex ea apportandæ cupiditate exarſiſſe. Audierant fortè Regis deſiderium, qui proximi ſtabant Proceres; è quibus viri tres *fortiſſimi*, quorum nomina *Iesbaam*, *Eleazar*, *Semmaa*; hi ſuam Regi fidem, fortitudinémque probaturi, (inſciô tamen ipsô) ſuſcipiunt negotium longè audaciſſimum (ſunt enim deſideria Principum, pro juſſu ſubditis) penetrant per media Philiſthæorum caſtra, & Bethlehemum firmô hoſtium præſidiô inſeſſum, perrumpunt; deſideratam Regi lympham referunt. Quam is ut oblatam ſibi vidit, abſit, inquit, abſit, ut pericula tam pretioſa bibam, & virorum fortium ſanguine ardorem meum temperem; quòd ſi dux ego ſitiam; univerſus biberit exercitus: ſi bibero, ſitiet. Diſcam commilites mei neceſſitatem virtute vincere: rationem antehabere cupiditati. Non rectè imperat cæteris, quisquis non imperat ſibi, & cum dicto, omnium in conſpectu, aquam effudit, DEO in libamen, ſuíque victoriam conſecrans, parvo impendiô maximam Cœli gratiam collegit.

NARRATIO LXIII.

DAVIDIS RELIGIO IN ARCA FOEDERIS HIEROSOLYMAM REVEHENDA.

2. Reg. 6. Anno Mundi 2989. 2990. Ante Ch. 1064. 1063.

IN religione, si unquam, DEO displicet temeritas: nec satis pius est: qui non reverens satis. Ubi primùm Davidi licuit, stabilem Regni sedem figere, principem sibi curam esse voluit *cultum divinum*. Idcirco *Arcam* velut exulem & neglectam statuit ex urbe *Cariathiarim*, quò annis abhinc quinquaginta devecta fuerat à Philisthæis, magnis cladibus ad eam transvectionem, & *Arcæ* captivæ restitutionem impulsus, transferre, communi omnium Israëlitici populi consensu. Servabatur eô temporis spatiô, *Divini sedes Oraculi*, in ædibus *Abinadabi Levitæ* collem quemdam in memoria civitate colentis, Hebræis *Gabaa* dictum. Hanc *Arcæ* transmissionem Rex summis studijs, solennitate celeberrima, maximis sumptibus instruxit, in via calcitrones boves periculum, aut certè metum creârunt *Arcæ*, nutante plaustro. Hîc *Oza* (Levita, cum fratre *Abione* aliisque curam deducendæ Arcæ habebat; parens *Abinadabus* jam antè, vitâ excesserat) auxiliarem operam commodaturus, admovit manus. Sed DEUS adjutori intempestivo iratus, temeritatem ejus morte subita punivit; ad ipsam namque corruens *Arcam*, subitò exspiravit. Funere repentino terri-

territus David, *Arcam* deduci jussit in ædes *Obededómi*, Levitico quoque genere prognati, propè Hierosolymam habitantis. Quem ubi David intellexit, ob commodatum *Arcæ* trimestre hospitium, omni rerum opulentia à DEO ditatum, eam Sacerdotum humeris in Sionis Arcem evexit, singulari ad id domo structa, dum aliquando Templo admoveretur manus. Ducta est pompa, maxima symphoniæ varietate, admiranda Sacrificiorum multitudine, concursu hominum incredibili, lætissimis tripudijs, expensis omnino regijs, celebritate summa, laudatissima pietate. Inter tubas & lituos sonabant carmina triumphalia ob victorias de Philisthæis reportatas. Rex ipse ovans gaudio, & voluptate gestiens, ante *Arcam* non tam incedebat, quàm præsultabat, pedibus sese ad pulsatæ modulos citharæ moventibus. Ne habitus quidē Regis erat à cæteris Cantoribus diversus; stola ipsum amiciebat byssina (Sacra pagina vocat *Ephod*, carbasinum amiculum; *polymitum*, solius erat Pontificis.) Hunc in modum cùm festos inter concentus, & decóras [quales militares sunt saltus] choreas, *Arca* in Sionæam Regiam, Divinæ litteræ, Civitatem Davidis appellant] non sine maximo victimarum apparatu, & lautijs in populum regali munificentia distributis, invecta esset; David se ipsum præ sacra lætitia non capiens, ubi constituit Arcam in Aula quadam magnifica, & circa eam tabernaculum è pellibus hyacinthinis tetendit, *Abiatharq;* Sacerdos summus benè precatus est populo, cum largis sportulis, suam quemque domum remisit. Ducenta viginti quatuor hominum millia, singuli pro se collyridam

seu artoptitij panis quadram, cum assatura bubulæ; & lágano in escarium munus accepêre.

Res è Sententia, & publico gaudio successerat, cùm turbarum aliquid *Michol*, Davidis uxor dedit. Hæc cæteris Reginis, matronisque triumphalem pompam comitantibus, dedignata misceri, regiæ stirpis arrogantiâ, transvectionem *Arcæ* de fenestra arbitrabatur. Movit tumidæ feminæ stomachum demissa Regis pietas, ad Saltatorios modos animo corporéque exultantis. Quare redeuntem mox adorta, salutat amaro cum sarcasmo, tanquam immemor sortis regiæ, non verecundatus esset Rex ipse, linigeros inter cantores linteatus, sine paludamento, sine diademate, ad concrepantes symphoniacos subsilire; divideret jam servis & ancillis imperia, quorum inter choros, despiciendum se, deridendúmque largiter propinâsset. Quòd si nollet se Regem meminisse: meminisset certè, thori sui consortem & Reginam esse, & Regis filiam. Poterant hæc tonitrua in tempestatem solvi, nisi Rex mitissimus magis insitam modestiam, quàm maledicam uxoris linguam in consilio habuisset. Ne tamen existimaret importuna objurgatrix, sibi cum scurra, quod per contumeliam effutiebat, negotium esse, muliebrem fastum regia severitate compressit. Quid enim, ajebat, est, quod arroganti tumore te impleas, fœmina, & à generis fiducia sumas audaciam? An nescis, patrem tuum ex agasone Regem, & ex Rege rejectamentum esse factum? Diadema ejus vertici detractum, meo capiti DEUS imposuit; Sceptrum, quod gessit, mihi, meóque sanguini ferendum dedit. Non erubesco memi-

meminisse baculi, peræque pastoralis; tam me conditionis admonent meæ, quàm beneficij divini. Utramque didici fortunam pati; pietate, si nescis, & modestia stabiliuntur regna, superbiâ evertuntur. Suprema majestas potentiam suam in mortalium impotentia ostendit. Elatos attenuat: humiles exaltat. Is demum regnat, qui regnantium Domino demissam servitutem præstat. Parens tuus, si, qua subjectione mentis exorsus est regnum, eadem administrare perseverâsset, per casûs tam miserandos in præceps devolutus non fuisset; Propiore DEUS respicit oculo, quicunque vilescunt sibi; inflatos spiritus è longinquo cognoscit. Ludam ego, & vilior fiam, (si tamen vilitas est, æterni Regis obsequijs servire) dummodo ludenti applaudat cœlum. Ita dixit, ita fecit David, à caula vocatus ad Aulam, ab abolla ad purpurâ, à pedo ad sceptrum, à pera pastoritia ad diadema regale. Michol verò suæ pœnas persolvit arrogantiæ, quibus majores illa ætate expeti non poterant; nunquam effecta est mater; extremum id erat apud Hebræas matronas probrum, & illius ignominia sexûs. Maritus contrâ, piô promeruit ludô, ex ejus ut progenie prodiret ille, qui MATRE natus VIRGINE, typicam *Arcæ Veteris* umbram, in admirabilem *Arcæ Novæ* lucem, Eucharisticum Ferculum, cœlestium gratiarum prodigium, transferret. Ita nempe sunt humana divinis aut nexa, aut obligata, ut illa, etsi non quæras, per ista obtineas: & quantò cœli Domino mortalem fastum profundiùs submittis, tantò ad dignitatis fastigium eleveris.

NARRATIO LXIV.

HANON AMMONITARUM REX OBVIOLATOS DAVIDIS LEGATOS, ATROCES CUM SUIS POENAS SOLVIT.

2. Reg. cap. 10. & 12. Annis Mundi 2996. 2997. 2998. 2999. Ante Ch. 1057. 1056. 1055. 1054.

ACres habet ultionis stimulos læsa Majestas. David ubi intellexit *Naasen*, Regem Ammonitarum, sibi fœdere junctum, vitâ decessisse, regnúmque ad *Hannonem*, Naasis filium, etiamnum adolescentem, esse translatum, Legatos misit, qui pro mutua amicitia consolationem adhiberent, funus paternum lugenti. Quod cùm Legati honorificè & amanter excepti, feciſſent prolixè; Suspiciosa Satraparum temeritas eò impulit Regem juvenem, ut ei benevolentiæ ac commiserationis officio, insignem referret ignominiam. Legatos namque pro exploratoribus per summam calumniam habitos, inauditâ caussâ, locô nullô defensioni datô, nullâ ad Davidem querelâ delatâ, velut sceleris convictos, contra jus gentium damnavit, & ignominiosæ pœnæ subjecit. Raditur viris honestissimis, in publicum ludibrium, pars dimidia barbæ ac capillitij; togæ præciduntur ad eas usque partes corporis, quas nudari vetat pudor. Ejus contumeliæ nuncius ad Davidem delatus, non secus,

ac par erat, Regem affecit. Jussi sunt Legati tamdiu Jerichunte subsistere, donec recrescentibus pilis, turpitudinis nota aboleretur. Cæterùm ea Legationis violatio, fatalis ac funesta fuit *Ammonitis*; cùm enim minimè dubitarent, tantam se injuriam, Regi, opibus armisque potenti factam, haud impunè laturos, ingentes *Syrorum* copias, mille talentorum mercede conduxerunt: Israëlitarum non erant plures, viginti quatuor millibus, qui cum validissimo hoste prælium inirent. Infesti stabant exercitus ad ipsa regiæ Ammonitarum urbis (*Rabbatha*, seu *Rabba* vocabatur) mœnia; aciem à fronte Ammonitæ disposuerant; à tergo Syri premebant; Israëlitæ in medio concludendi erant, Qua re animadversa *Ioabus*, ut erat militaris artis apprimè gnarus, copias suas bipartitò divisit; ipse cum flore militiæ, Syros invadit: reliquum militem frater *Abisai* in Ammonitas ducit. Prælio vix tentato vertuntur, in fugam Syri, (DEO pavorem eis immittente) nec constantiores Ammonitæ salutem & ipsi petunt à pedibus; Ioabus ad obsidendam Rabbátham necdum satis instructus, Hierosolymam in hiberna revertit, victoria contentus.

Anno sequenti Syri bellum redintegrant, ad accepti dedecoris infamiam delendam. Confluxêre ad signa Regis Syrorum *Adarezeris*, & *Sobachi*, ejus militiæ principis, sub quatuor alijs regulis, centum triginta octo millia, præter septingentos currus militares, & septem millia militum ex illis dimicantium, ut planè videretur, de summa rei, & Orientis imperio decernendum. Contraxit non minùs David, quidquid poterat virium, priora decora novis victo-

victorijs cumulaturus. Exorto utrinque prœlio, acriter aliquamdiu pugnatum est, donec Syri divino iterum concussi metu, maxima strage succubuerunt, cæsis non minùs octoginta & septem hominum millibus, & in ijs *Sobacho* quoque supremo belli duce. Rex *Adarezer* maturè sibi fugâ consuluit, vitámque tributaria servitute, & renuntiatione fœderis Ammonitici redemit.

Itaque tota belli moles, Duce Joabo, in Ammonitas, & ipsorum regiam civitatem, *Rabbatham* conversa est. Annum ampliùs duravit obsidio, victoriæ moram adferente, Davidis adulterio & homicidio interea temporis commissô. Jam ad extrema deducti erant obsessi, cùm Joabus per litteras significat Regi, ut adesset urbis excidio, & hunc quoque titulum victorijs suis apponeret, munimentique expugnati gloriam occuparet. David collaudatô Ducis sui officiô, fidéque, proficiscitur cum selecta manu ad Rabbátham evastandam. Miles præsentis auspicio Regis, & ductu animatus, magna alacritate facit in muros impetum, effractisque per vim portis irrumpit in urbem. In ipso aditu acerrimum certamen conseritur: hinc Hebræis ad vindictam & prædam anhelantibus; inde Ammonitis pro aris & focis, pugnantibus; donec ad extremum Hebræo superante, urbs tota in potestatem victoris irati venit. Promiscua cæde in omnes sævitum. Quidquid vasorum erat aureorum & argenteorum, DEO consecratum; reliqua præda militi cessit, longè opulentissima; quòd in eam urbem totius Regni opes, belli metu, fuissent congestæ. Imprimis memorabilis fuit *Corona*, quam simulacro suo

flo Molocho, regiam in formam efficto, Ammonitæ publicis impensis imposuerant, aurô solido fabricatam. Eam David cum cæteris spolijs avexit, redegitque partim in diadema, suomet vertice gestandum; partim Divini *Sacrarij*, *regiæq;* ornamentis impendit. Urbs propter oppidanorum contumacem malitiam, inque contumeliæ Legatis illatæ ultionem stirpitus destructa, & solo æquata; incolarum reliquiæ tam Rabbæ, quàm cæterarum urbium carpentis ferratis, super eas agitatis, fœdè laceratæ: cultris & serris dissectæ, gladijs, securibúsque truncatæ, ignibus fornacum lateritiarum crematæ, crudeli utique supplicio, & pernicioso in genus humanum exemplo, nisi justam victoris iram, impietatis & flagitiorum immanium odia stimulâssent. Non enim est alia vindictæ justior causa, quàm injuria Legatis illata, quos qui violat, jus gentium violat.

NARRATIO LXV.

DAVIDIS IN CRIMINA PROLAPSIO.

2. Reg. 11. Anno Mundi 2998. Ante Christum 1055.

ANimi curâ vacantis affectio, est libido. Et juxta Diogenem, negotium otiosorum est amor, ac cupiditas. Quótque scintillas jaculatur fornax accensa, tot mala desideria suscitat mens otio æstuans. Post tot victorias illustres de hostibus relatas, cùm David quadragesimum jam & oct-

& octavum vitæ annum, regni verò decimum nō-
num inoffenso pede decurreret; proh dolor! fœdæ
demum libidini turpiter succubuit; principium ip-
se ruentis in se Domûs, quam erexerat; ingens om-
nibus exemplum, nequis à casu tutum sibi quisquam
spondeat. Miserabilis prolapsio ita contigit.

Expeditione, jussu Regis, adversùs Ammonitas
susceptâ, Duce militiæ supremo Ioabo, post deva-
statos hostium agros, pagos, oppida, vis ultima
barbarorum urbi Rabbathæ (uti narravimus) erat
admovenda, ut ejus expugnatione, hostilitatis, &
mali radix omnis exscinderetur. Inter primos in
expeditionem cum prætorianis Davidis copijs iverat
Urias (cognomentô *Hethæus* à loco natali *Heth*) mi-
les & bello spectatissimus, (quippe *Triginta* Davidis
Fortibus adnumeratus) & probitate morum insignis.
Reliquerat hic domi *Betsabéam* conjugem, ceu mi-
nimè necessariam castrorum appendicem. Forte
Rex David, qui & ipse Jerosolymis remanserat,
die quodam æstuosiore, post epulas ac meridiem,
grabato se quietique mandârat. Soporis, quantum
satis esset, perceptô; marcidum (ut fieri solet) a
sommo diurno corpus, agitatione reparaturus, in
solarium domus regiæ se recepit; ambulandi pari-
ter, & refrigerantis auræ captandæ caussâ. Con-
tigit, ut eodem tempore Betsabea, contra solis ar-
dorem, corpus in horto domestico ablueret ad fa-
lientem fontanam, incautiùs aliquantùm renudata,
quàm egregiè castam decuisset; formæ mulier per-
inde elegantis, ut ætate florentis, & integræ;
quippe vicenni non major. In quam Rex ut ocu-
los conjecit, ut perijt. Insidiosum est nempe pul-
chri-

thritudo ſpeculum, etiam procul aſpicientes urit; doloſus arcus, ſimul icit, & jacit, blandum facit vulnus, ſed lethale. Mittit protinus, qui nomen, genus, vitæ conditionem exquirat. Diſcit omnia ſingillatim: intérque cætera; fortiſſimo ſuorum militum Uriæ collocatam eſſe, Rex, quem hîc imperare ſibi convenerat, ſtatim exardeſcere, hoc ferventiùs, quia *contra vetitum*. Arceſſitur mulier in regiam, interpellatúrque de corporis uſura. Illa nihil obluctata, venit, committit ſcelus. Cujus infamia quò tegeretur, nam trimeſtrî jam maritus abfuerat, evocatur è caſtris Urias; variáque per ſpeciem de belli fortuna interrogatur. Inde domum remittitur ad uxorem conveniendam, cœnâ regiâ, & lautijs eum proſequentibus. Sed is, generoſum militem non decere ratus, belli tempore ad conjugis blandimenta, & uxoriam conſuetudinem divertere; maluit portæ regiæ cuſtodibus ſe ſomnúmque ſuum, ea nocte, ſociare. David intellecta ſpei ſuæ vanitate, accuſare militem inhumanitatis, urgere, rediret ut domum, uxorem inviſeret, neceſſariam quietem caperet; commeatúmque roganti, in lucem poſteram polliceri. Detinetur interim ad cœnam *Uriæ*; aliquantò longiùs hilaritate (quam Rex ſermonibus, ac poculis juvabat) protractam; oneratur vino ſupra ſobriorum legem; denique temulentus domum ſe conferre jubetur. Verùm etiam tum Regis elusô machinamentô; titubans Urias, ac longioris progreſsûs impatiens, ante fores ſtatim regias, lectulo ſe commiſit. Rex ubi vidit, omnem humanitatis conatum fruſtra eſſe, conſilium à crudelitate, capit; ſcribit

scribit Ioabo litteras, *Rabbatham* tunc obsidenti, quibus mandat, Urias iniquissimo certaminis, acerrimóque loco, pro fronte, constituatur; prænonitis commilitonibus, ut pugnantem, & in extremo discrimine versantem, medios inter hostes destituant, ipséque circumventus, ea, quæ meruit, exsolvat. Perlectâ Joabus epistolâ, quod imperatum erat, exsequitur. Urias fortissimè dimicans deseritur; & cadit. Sunt, qui scribant, Uriam cum promptissimis quibusque propiùs ad muros subeuntem, repentinâ telorum procellâ, desuper missâ, unà cum cæteris obrutum, oppressúmque fuisse; adeóque Davidem haud simplicis reum cædis se fecisse. Nuntium interitûs ejus, *David* ac *Mulier*, animîs lætîs, & verbîs tamen per summam simulationem tristibus excipiunt. Illa funebrem insuper luctum induitur; quem mox tamen, amoris impatientiâ, qua Rex eam deperibat, in peplum nuptiale vertit: eique jam *matrimonio* jungitur, cui priùs *adulterio*. Dos uxoris est, *uteri vitium & onus*: arrha maritalis est, *cædes* prioris viri. Nascitur, octavo post nuptias mense, puer, partus alijs præmaturus, parentibus autem flagitij conscijs, præfestinatus. Amantes duo, quantùm in conjugio, tantùm in delicti sui contemptu pergunt, obliti Numinis, pudoris, famæ. Adeò non cæca tantùm, sed surda, sed vecors est libido.

NAR

NARRATIO LXVI.

DAVIDIS POENITENTIA. 2. Reg. 12.

Anno Mundi 2999. Ante Christum 1054.

INnocens fraudis genus est, per ambages loqui. Lingua captiosa etiam militat virtuti: si caret mendacio, non caret laude. Dum suis David securus voluptatibus indulget, puer è furtiva Venere, & adulterino concubitu nascitur, ingenti parentum lætitia: quam tamē mox turbavit inexspectatus nuncius, à DEO submissus, *Nathan* is erat Vates, Davidi perfamiliaris; qui per quietem admonitus, ad Davidem se confert, nihil minus metuentem; sceleris admissi gravitatem in conspectu ponit, promeritásque pœnas denuntiat. Ne verò plus exulceraret objurgatio, quàm sanaret Regis animum, pravis amoribus abreptum; per ambages Davidem aggreditur, tantóque validiùs conscium pectus ferit, quantò id obliquiùs petit. Narrat duos esse cives, ejusdem urbis, à fortunis dissimillimos, *copiosum* alterum ovium gregibus, & boum armentis; alterum *tenuem*, & unius oviculæ dominum, quam in delicijs & amoribus haberet unicè, sua cibaret manu, suo foveret sinu. Fortè usuveniisse, ut ad civem locupletem hospes peregrè adveniens diverteret; quem ut exciperet pro meritis, oviculam pauperi viro abactam, in cænam jugulâsse; quanta rei indignitate, Davidem appellari judicem. Hîc enimvero vehementer Rex excandes-

cere, deteſtari facinoris iniquitatem, reum capitis pronuntiare raptorẽ ovis, & quadrupli reſtitutione damnare. Auditâ Regis ſententiâ, continuò Nathan, Tu, inquit, vir es ille, tu dives, tu raptor, tu jugulator pecudis, tu reus; ac tuopte judicio ſupplicium, & exempla noviſſima commeritus. Tu cives es opulentus ille, ſine ænigmate loquor, Rex terræ lacte melléque manantis. Civis autem comparatione tuî pauper, Urias fuit Hethæus, Ovicula ejus unica, Bethſabea conjunx; Peregrinus, quem in diverſorium admiſiſti, Tartareus Cupido fuit, qui te mulieris alienæ deſiderio ſuccendit. Huic tu malè cautus obſecutus es; & cùm haberes uxorum gregem, alterius thorum contra jus & fas invaſiſti: ingratus, immemor beneficiorum, quibus Te DEUS cumulavit & obruit. Ille te à pedo & petaſo ad diadema & ſolium evexit, tot Saulis inſidijs ſubduxit, è periculis plurimis maximisque eripuit, in domum opulentiſſimam induxit, Iſraëlis & Judæ regnum tibi tradidit; majora etiam adjecturus, ſi legis divinæ frenum pati potuiſſes; tu verò non contentus jugalem pudicitiam nefariè commaculâſſe, vetitum inſuper cubile, inſonti ſanguine reſperſiſti. His flagitijs refundet pœnas ultrix Juſtitia, & paria paribus rependet. Domum alienam tu malis involviſti; malis tu viciſſim, è tuamet domo ſuſcitatis, involvéris. Uxorem extraneam rapuiſti, & contaminâſti, ſed *unam*; in vicem tuæ rapientur & opprimentur uxores decem, & ab eo quidem, quô nemo tibi propinquior erit. Tu nefas in tenebris, cubiculíque caligine admiſiſti; nefas majus admittet ille, quisquis erit matrimoni-

orum

orum tuorum involator, sole meridiano: totis Jerosolymis, & omni populo tuo spectante. Sic Cubile fœdum, cubili fœdiore vindicabitur. Tu Gladium denique, manibus Ammonitarum, in Uriam insontem, crudeliter distrinxisti, mori coactum, quia te, morte dignum in uxore, non occiderat. En, è diverso Gladius divinâ stringendus dexterâ, tuam ex omni parte vastabit domum: tibique, capitíque tuo, filiísque, quin & omni generis tui posteritati, pertinaciter semper impendens; sursum universa, deorsúmque vertet; & à cervicibus Davididarum, nullis unquam sæculis abscedet; donec superesse desinat in terris, qui se Davidis oriundum stirpe, gloriari verè sustineat. Militis unius homicidium, regalium capitum cædibus stabit infinitis: &, quorumcunque tandem manibus aut imperiô, mors illata Davidicis; ab Auctoribus quidem suis aliter alitérque nominabitur: reipsa, semper *Uriæ* ferrum erit. Urias jugulatus semel; in omnes tuorum cædes, vivet assiduò: vindictámque tamdiu bibet è singulis; donec Davidem exhauriat universum.

Hæc Nathane proloquente, non potuit Rex ultra cohibere vocem, intus immenso cordis æstuante sensu, facinorúmque suorum execratione flammam ruboris accendente; crebris jam singultibus corda verberabantur: altissimo tandem ducto gemitu, lacrimis infusus, *Peccavi*, exclamat, *Peccavi Domino.* Cætera, quæ nequijt exprimere labijs, supprimente verba vi doloris, secum ipse fusiùs animo loquebatur. Nondum finierat tacita lamenta David, cùm Nathan ad flentem conversus; Quo-

niam, inquit, peccati tam impensè te pœnitet: en, & culpæ tibi gratiam & vitæ Majestas æterna facit. Pœnas DEO sempiternas debebas; Has remittit; ac transfert in Temporis, ac morte finienda supplicia. Casurus eras rebellium, hostiúmve gladio. Decedes nunc, pacatô regnô, siccáque morte. Cæteræ quoque, quæ te, tuósque manent, clades temperabuntur. Quamquam ijs in universum non carebis. Hæ namque, Peccatorum erunt pœnæ: quas divinæ rigor Justitiæ, plerumque, condonatâ quoque jam offensâ, reis infligit. Initium autem animadversionis justæ fiet ab eo, quô tu minimè voles, capite: filio scilicet infante; qui de Bethsabéa tibi susceptus, in cunis vagit. Nam hujus & conceptus & ortus, ac, nunc Spurij nomen in legitimæ prolis dignitatem translatum, non Israëlitis modò sermonem, sed barbaris quoque finitimis, maledicendi Sacris nostris, ansam exhibuit, Hebræorum religionem ex Rege suo metientibus, & ex cultorum flagitiis, ipsum Israëlitarum DEUM criminantibus; in ejus offensionis pœnam puer fato præmaturo tolletur, non quia deliquit, sed quia delicti fructus est, & opprobrium. Ita Numini fixum, ita constitutum est. Cumque dicto, regiâ Nathan egressus, abijt, unde missus erat. Per ordinem cuncta suum, expletu mala sunt, quæcunque Vates prænuntiavit; DEO non severiùs scelerum vindictam interminante, quàm veriùs exigente. In hoc lacrymarum spe culum inspiciant illi, qui mille causas flendi habent, nec tamen salutarē emittunt guttam. David non ite ravit lapsum, & tamen dies noctésque illū expiavit.

Isti cùm omnium flagitiorum sordibus inquinentur, sperant, se sine pœnitentis animi gemitu, sine lacrymis illotos, & illuvie obsitos, inter astra refulsuros. O cæcitatem, & proterviam sempiternis ignibus vindicandam!

NARRATIO LXVII.

AMNONIS, FILIJ DAVIDIS INCESTUS, ET CÆDES. ABSALONIS EXILIUM, ET REVOCATIO.

2. Reg. 13. 14.

Annis Mundi 3000. 3002 3005. 3006. 3007.
Ante Christum 1053. 1051. 1048. 1047. 1046.

PRimum statim filiorum Davidis flagitium (incestus Amnonis cum Thamare sorore à DEO (uti diximus) permissum est, Davidis patris adulterio castigando. Nulla sunt vincula, aut pudor, aut fides, quæ non rumpat inhonestus amor; qui neque novit parere frenis, neque naturæ legibûs coërceri. Amnon maximus natu filiorum Davidis, viginti juvenis annorum, oculos conjecit in Thamarem sororem, prô nefas! non ut amaret, sed deperiret. Illicium nefariæ cupidinis erat forma puellæ, longè omnium venustissimæ & Regia virgine dignæ. Ausus est frater tentare; quod ne cogitare quidem licebat. Sed vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, & sanguinis communionem improbitas. Simulat morbum,

bum, quo non laborabat; dissimulat, quo urebatur, accersit sororem, sorbitiunculam sibi parari rogat: flagitium offert reluctanti. Vix eô patratô, mutantur in feritatem blanditiæ: ejicitur ex ædibus fraternis puella regia: amori succedit odium. Illa tantò miserior, quantò pudoris, amisso pudore, plenior, sortem suam lamentari, capiti cinerem inspergere, vestes pro acerbè lugentium more discindere, quiritatu & ploratu urbem implere. Denique quo se verteret, non habere. Fortè incidit in fratrem Absalonem, qui ex suo ingenio alienam odoratus libidinem, crimen in auctorem non alium, quàm Amnonem conjecit; nec illa negavit. Statuit in præsens rem habere tacitè, patíque Absalon, donec opportunior se ferret ultionis occasio; sororem interea domum recipit suam, nequicquam de fratris injuria conquerentem, longóque luctu tabescentem.

Res ad Regem parentem delata, ut magnos tristitiæ fluctus excitavit; ita pro eo, ut merebatur indignitas facinoris, severitatem judicij non invenit; sive ut parceret filio in regnum successuro; sive, quia paris criminis conscientia, libertatem puniendi adimebat. Sed quod peccavit indulgentia patris, id DEUS, graviore scelere Absalonis vindicari permisit. Absalon vindictæ cupiditatem bienniô protraxit; donec opportunitate captata, Amnonem extra civitatem Solymam, patrísque conspectum extraheret, in locum aliquem solum, tantóque insidijs aptiorem, quantò remotiorem à narium palatinarum sagacitate. Commodùm inciderat tempus tondendarum ovium: qui dies genialibus apud

Hæb-

Hebræos convivijs agitari ſuetus, facilè ſpeciem humanitatis, larvæ crudelitatis prætexuit. Et erat Abſaloni minùs tum effugium difficile, quòd cædes ruri peragenda; nec deeſſet fida famulorum manus, in omnia promptorum obſequia; quippe in domini ſui prædio, fundóque. Invitatur ad convivium, quod regiâ munificentiâ paraverat, primô locô Rex; non quia illum adeſſe vellet; neque enim funeſtis conſilijs ſatis erat opportunus hoſpes; ſed quia volebat omnem ſceleris à ſe jam animo deſtinati ſuſpicionem depellere: maximè, cùm ſciret Regi non facilè perſuaſum iri, ut illud admitteret invitantis officium. Reſpondit itaque Rex, ſe nolle filij ſui rationibus eſſe gravem, neque placere ſibi, ut convivarum multitudo graviores illi ſumptus afferret. Eò tamen parentem adduxit homo perinde vafer, ac cruentus, ut bona cum ipſius venia, cùm cæteri fratres omnes, tum Amnon maximè conveniret ad epulum; Deſtinatum quippe erat, fraternis in oculis fratrem interficere, partim ut ignaviam in plectendis flagitijs exprobraret publicè parenti; jam tum enim ſub vapido pectore mala conſilia coquebat; partim, tantò ut eſſet vindicta dulcior, quantò plures audaciæ ac temeritatis haberet teſtes.

Itaque inter epulas, id negotij dat hoſpitibus Abſalon, omnes ut Amnonem; tanquam convivij Regem, largioribus poſcant poculis; ſuis autem præcepit, ut eum, cùm jam vinô gravis eſſet, ſignô à ſe conſtitutô, interficerent. Quid multa? Circumfertur merum liberaliùs, Amnon bibendo longiùs provehitur; nec quid agat, caveátque, ſatis in

consilio habet. Famuli, quod jussi fuerant, stu-
pratorem sororium, temulentum, nihil de immi-
nente morte, nihil de admisso flagitio cogitantem
& nondum, ut apparet, cum sorore, cum fratre,
cum DEO reconciliatum, ad æterna supplicia, il-
lata nece præcipitant. Interea, metu omnia, cla-
moribus, tumultúque repleri cúmque sicarij idem
de cæteris Regis filijs, quod de Amnone, factum
putarentur; raptim illi mulas conscendere, & se
quamprimum in fugam dare. Præceperunt eo-
rum cursùm alij, qui non exspectato tragœdiæ exi-
tu, cùm putarent regiam omnem sobolem cum
Amnone trucidatam, tristissimo nuntio Regis au-
res, animúmque impleverunt. David peremptum
pariter, peremtorémque lugere, tantò sensu acer-
biore, quantò crudelius erat vulnus, quod frater
fratris inflixerat magis animo, quàm corpori. Et
quamvis aliquid de luctu detraxerint posteriores
nuntij, solius cædem Amnonis referentes; David
tamen memor gladij Domui suæ, Nathanis ex vа-
ticinio, impendentis, dolentissimè universa cum
Aula deplorabat tam diram regiæ familiæ, adhuc
florentissimæ calamitatem; non ignarus, injuriam
Thamaris à se malè dissimulatam, & prunas ciner-
bus mollioris indulgentiæ coopertas, hoc incendi-
um susciтâsse. Lugebant filij Regis, sororis dedе-
cus, & ejus caussâ, fratrum alterum trucidatum
alterum, sicarium exulantem; Absalon quippe me-
tu commeriti supplicij ad avum maternum *Tholomæ-
um Gessúris* Regem simulacrorum adoratorem, fugæ
se recepit; apud quem triennium non sine mer-
consumpsit; cùm in parente signa videret non ob-
scur-

ſcura, offenſi, & durum aliquid meditantis animi. Nec difficile fuerat Davidi fugientem in pœnas retrahere, ſi, quo debuiſſet conatu, inſequi placuiſſet. Sed quia vindictam, quam facinoris excitabat atrocitas, reprimebat ſimilitudo delicti; nam & Amnoni libidinis exemplum, & homicidij dederat Abſalôni, dolor & indignatio ultra minas non proceſſit; malè quippe vindicem ſceleris agit alieni, par ſi culpa redarguit ipſum Judicem.

Cæterùm Ioabus advertens, Davidem de Amnonis cæde nihil conqueri, nihil acerbius de Abſalonis parricidio loqui, ipſo die Regis exulceratum animum mitigante; conſilium inijt ejus omnino expugnandi, & filio reconciliandi. Ejus rei gratiâ mulierem ſubornat *Thecuitidem* (urbe *Thecua* oriundam) ſapientiæ famâ celebrem; hæc lugubri cultu ad Regem ingreditur, narrat, ſe pridem marito viduatam, nunc etiam filijs geminis orbandam; inter quos exortâ rixâ, cùm alter alterius manu ſit interfectus, autorem cædis vocari in judicium, haud dubiè luiturum capite, niſi Regis clementia intercedat; reſtare ultimam familiæ ſuæ ſcintillam, quæ ſi carnificis ferro extinguatur, totam ſtirpem in mœſtos cineres deſeſſuram. Rex callida permotus oratione (mulier enim advocata, ſuorum ſub filiorum perſona, cauſſam Amnonis & Abſalonis agebat) vivere juſſit fratricidam, eâdémque ſententiâ (quod Ioabus intenderat) Abſalonem ignarus abſolvit. Hîc Thecuana parabolam mox evolvere, & apertam pro Abſalone deprecationem adhibere; David ſuô conſtrictus judiciô, Ioabo dat in mandatis, filium ut ab exilio revocet Hieroſolymam,

ea tamen lege, ſuum ut conſpectum ne ſubeat. Reducitur profugus, & intra domeſticos parietes biennio, non ſine acri doloris morſu continetur; credibile eſt, ignominiæ impatientem, in ſuburbano prædio habitâſſe; inde, cùm per ſubmiſſos ſæpius ad Ioabum nuntios, rogaret, paternam ut in gratiam reſtitueretur penitus; ísque moras faceret; agrum ejus vicinum à ſuis incendio vaſtari juſſit, injuriâ pertracturus in colloquium, quem precibus inducere non poterat. Nec fefellit opinio. Ioabus re cognita, venit expoſtulator de accepto damno; ille neceſſitatem excuſat ejus, vel per vim convenendi; pollicetur penſationem detrimenti, obteſtatur & obſecrat, ut ſe dedecore & acerbitate fortunæ liberet, paternis oculis reddat. Ioabus, regii juvenis vicem miſeratus, promittit, quod rogabatur; redit ad Regem, deprecatur pro filio, impetrat condonationem pœnæ; recipitur priorem in locum Abſalon; redux, ad genua parentis, multis cum lacrimis affunditur; cæteráque pœnitentis prodit ſigna; ut genitoris, ad oſcula quoque flexi, & procerum animos mirificè caperet, optimísque ſpebus impleret.

Vanas fuiſſe, brevi pòſt oſtendit ingenium verſipelle, tantò projectius ad audendum, quantò certius facilitatis paternæ, & ad omnes, gratiæ; quam ei rara formæ præſtantia conciliabat; flava comprimis & denſa cæſarie intuentium lumina rapiente; ſed ſuis ipſe demum captus crinibus, luctuoſò didicit fatò, non tam ſe capillos oculorum illices, quám laqueos, ambitionis vindices, circumtuliſſe.

NAR-

NARRATIO LXVIII.

ABSALONIS ADVERSUS PARENTEM DAVIDEM REBELLIO. DAVIDIS FUGA.

2. Reg. 15. 16 17. Annis Mundi 3008. 3009. Ante Ch. 1045. 1044.

ABsalon inter clades Davidicas exemplum non poſtremum, degener filius, juvenis varij, inſolentis, elati, indomiti ingenij, poſtquam Amnonem, fratrem natu primum, uti narravimus, ſpecie quidem ulciſcendi flagitij, reverà jus primogeniti involaturus, temulentum inter pocula per ſervos ſuos interfecit, epulásque, quibus fratres adhibuerat omnes funere, ploratu, fuga convivarum turbavit, ad Geſſuritarum Regem profugus, fœdos in corpore formoſo mores, idololatrarum contuberniô, fœdiores reddidit. Poſt exlij triennium, patris in gratiam reductus; patrem paullò poſt depellere regno, vitáque meditatur. Biennium effluxerat, ex quo Ieroſolymam reverſus, in parentis demum conſpectum admiſſus eſt, patrociniô Ioabi, ſupremi militiæ Ducis. Ex reconciliatione haud paullò deterior evaſit, quàm fuerat; & qui manus fraterno jam ſanguine cruentârat, eas paterno quoque cruore imbuere ſtatuit, nihil non movens in Aula, patris ut vitam & diadema raperet; quare domum curribus & equis inſtruit, viros ſibi circumpedes adjungit manu promptos, & ad quidvis audenden-

dendum paratos. Deinde blandis affatibus captare ſubditorum benevolentiam, arguere patris negligentiam in tractandis negotijs publicis: tribunalium juſtitiam requirere: ſummô manè ad regiæ veſtibulum conſiſtere: advenientibus ſtudia ſua deferre, polliceri obſequia, honorem habere ſe venerantibus: manu etiam levare, ſi quos reverentia profundiùs inclinâſſet; in amicitiæ teſſeram, oſcula partiri. Atque ut pellax eſt forma, miram ei gratiam conciliabat ſpecies, imperio digna, & florens juventus; humanitas præterea & comitas agendi, loquendíque, cum acri ingenio, mentísque vigore conjuncta. Rex parens, quòd eſſet animi minimè ſuſpicacis, & indulgentioris æquò in liberos, cum dominatûs apparatum juvenili magis faſtui, quàm ambitioni tribuebat.

Interim filius telam cæptam pertexere, religionem ſceleri prætendere, *Hebronem*, urbem natalem, & Divorum Patriarcharum lipſanis religioſam, machinationibus ſuis idoneam, bona cum patris venia petere, tanquam vota DEO nuncupatâ, ſacrificijs exſoluturus. Euntem, præter domeſticos, & amicos, conſiliorum participes, ducenti comitabantur armati, proditionis ignari. Hebrone res curatur non divina, ſed bellica; miles colligitur, audacisſimus quisque in partes trahitur. Præcipuos interter numerabatur *Achitophel* vir primi nominis & Davidi à conſilijs, homo versutus; & mirus fraudum artifex; oraculum Hebrææ curiæ, cùm ætate, tum experientiâ longè omnium ſagaciſſimus. Is quia dudum averſum à Rege gerebat animum (propter Beſſabéam, neptem ſuam, adulteriô pollutam

&ma

& maritum ejus Uriam, malis artibus interemptum) ad partes Absalonis se adjunxit, eique adjutor extitit, patris è solio, vitáque deturbandi. Mittuntur itaque quaquaversùm nuntij; ingens hominum multitudo confluit; Absalon consonis omnium vocibus Rex proclamatur. Hic vires ab recenti dignitate, & calentibus conjuratorum studijs adeptus, mox in genitorem arma, legiones, castra, regníque totius robur movet.

David haud nescius, se premi *malô*, juxta Nathanis vaticinium, *sua de domo suscitando*, noluit se munimentis Arcis Sionéæ includere, ne videretur velle cum DEO pugnare; fugam arripit deserta versùs loca, jam olim nota, cum pauciore, sed meliore clientium parte [in quibus erant Reginæ, filij, sexcenti Prætoriani milites, flos bellatorum à S. Scriptore *Celethi* & *Phelethi* nominantur] nudis pedibus, flens, & operto capite, quemadmodum rei solent; comitibus pariter luctum ore, habitúque testantibus. In eo comitatu fuit etiam *Ethai*, Gethæus; [filius Achis Regis, juxta Hebræos; qui Davidi profugo *Sicelégum* oppidum dono dederat.] qui recèns ad Davidem cum quodam sociorum manipulo Solymam venerat, séque Judaicis Sacris addixerat. Ei cùm David reditum in urbem frustra persuadere conaretur, permisit fidos inter amicos eandem, secum aleam subire.

Regem fugitivum, superato jam *Cedrone* torrente secuti sunt *Abiathar* Pontifex *Sadócus* Sacerdos, cum universo Levitarum Ordine, & Arcæ Divinæ præsidio; ex qua cum Oraculum de profectione consultum, nihil responsi Pontifici redderet, Rex

silen-

silentium, Numinis offensi indicium interpretatus, magna se demissione, & animi æquitate, cœlesti arbitrio subjecit, virósque sacros Hierosolymam remisit, monitos, ut in omnes Absalonis molitiones intenti, si quid accideret, se ignorare ne paterentur. Cæterùm compertô, Achitophelem cum filio conjurâsse, enixè DEUM obsecravit David, hominis ut callidissimi consilia frustraret, & propriam in perniciem averteret. Inde conscenso montis Olivarum vertice, lacrimabundus respicit Solymam urbem, præsertim Sionis regiam, Divini sedem Oraculi, nunquam fortè revidendam. Erant tum pariter in oculis, & animo commissa scelera provocatus ad iram DEUS; rebellis filius; regnum tot laboribus partum, jam eripiendum. Resonabant in auribus perduellium voces, Absalonem Hebrone Regem, ipsô repudiatô, salutantium.

Id loci obvium habet, amicorum principem, *Chusai* nomine, sciissa veste, & capite inspersum cinere, regiæ calamitati indolentem, séque in omnes fortunæ vices socium offerentem. Hunc quoque redire jussit Hierosolymam, simulatóque partium adversarum studiô, hostium secreta: Achitophelis imprimis consilia perscrutari, iisque se opponere. Quod ille non minore fide præstitit, quàm curâ David mandavit. Non longè hinc occurrit *Siba*, famulus *Miphibosethi*, filij *Jonathæ*, quem domestici lares utroque claudum pede Hierosolymis attinebant. Duos secum adduxerat asinos, vino & cibarijs onustos; ijs sibi muneribus viam ad Davidis benevolentiam, suámque perfidiam muniturus. Rogatus de hero, cur fugæ comitem se non addi-

dissel,

disset, per summam calumniam respondit, Miphibosethum domi desidere, novis spebus restituendi aviti regni (nepos enim erat Saulis) imminentem. Nec dubitavit David fidem adhibere criminationi, utique absurdissimæ; quid enim in illo tumultu, aut serebatur, aut metebatur Saulicæ familiæ; aut quid ineptius ad regnum, quàm Miphibosethus, homo corporis elumbis, & pedibus captus? Invenit tamen improbissimi capitis fallacia locum apud virum prudentiâ præstantem; sed partim artificio, & imprudentiâ calumniantis, partim nimia credendi facilitate circumventum. Quid multa? Miphibosethus, tanquam ingratus cliens possessionibus suis spoliatur: Siba proditor domini sui ijs donatur. Sed hunc prolapsum, admirabilis patientia, adversùs impurissimi Oris maledicta excepit. Cùm enim Rex *Bahurim* usque, oppidum Tribûs Benjamiticæ progressus esset, sese in conspectum dedit, *Semei* quidam, homo potens opibus & cognatione Sauleæ stirpis. Is non satis habuit, Regem atrocissimis maledictis insectari, invasorem regni alieni, adulterum, & sanguinarium tyrannum proclamare, diris omnibus execrari; Sed cùm convitijs, & verborum contumelijs etiam lutum ac lapides, in Davidem, fugæque Socios jactavit. Vindictæ cupiditas cùm cæteros milites, tum *Abisaium*, militarem ducem, *Sarviâ*, Davidis sorore genitum, meritas in iras stimulavit; nec erat manum â cæde abstenturus, nisi gladium impio jugulo imminentem Davidis mansuetudo repressisset, haud ignari, sceleribus suis vindicem, etiam hunc lictorem immissum esse.

Inte-

Interea Absaloni cum Achitophele Jerosolymam ingresso, concursu populi facto, etiam Chusai sestitit; adoratóque Rege, perpetuum ei imperium precatus est. Rogatus, cur, qui præcipuos inter & fidissimos Regis amicos esset habitus, nunc ab eo, transfugeret, respondit compositis ad quævis obsequia verbis, sequi se, quà plures præeant, & DEUS ipse ducat; qui cùm meliori faveat caussæ, par esse, ut ipse quoque auspicijs se divinis accomodet; mutare se dominum, non fidem; eam patri probatam, sperare etiam filio, legitimo regni Successori, non improbandam, Quibus verbis omnem Juveni suspicionem exemit; eúmque honoris invenit locum, quem apud Davidem habuerat; temporis, si quisquam alius, prudens arbiter, & officiorum simulator, cujus Rei mox insigne specimen dedit, parr fidelitatis in veterem dominum, & personæ novo imperio servientis, commendatione.

Fortè consultabatur de rationibus gerendi belli; Achitophel auctor est Absaloni, parentis ut regiam, & solium occupet: reginis, in custodiam palatij relictis (uxores erant Davidis secundariæ, quas S. Historicus, *concubinas* appellat) publicè stuprum inferat; (scilicet sub tentorio, palàm supra regia solarium erectô & cortinis velatô) ita populum, sublata reconciliationis spe, obfirmatiùs in defectione perstiturum, ipsúmque stabiliora imperij fundamenta positurum. Cui detestabili consilio cùm juvenis impurissimus paruisset; insuper ei hortatus fit, Davidem ut, quanta maxima posset celeritate, festinet opprimere, antequam se opportunô loco communiret, collectóque exercitu, fortior evadere

deret ad resistendum; offert se ducem expeditionis, si ex omni hominum multitudine, quæ Hebronem confluxerat, duodena bellatorum millia sibi committerentur. Consilium non vafrè minùs excogitatum, quàm exitiale regi, si successum habuisset; quod pari astutia disturbavit Chusai ad dicendam quoque sententiam vocatus. Negat hic cum ea militum manu, Davidem posse in potestatem redigi, latebris forsan inaccessis delitescentem: opus esse majoribus copijs, contrahendas cunctas regni vires, & ipsius summi Imperatoris ductu, in Davidem immittendas. Sic in victoria plus securitatis, gloriæque futurum. Itum est in sententiam Chusai, id callidè agentis, ut David interea, dum exercitus colligitur, moram nactus, incolumitati suæ longiore fuga consuleret. Respondit eventus consilio. David per *Ionathan* & *Achinaam* Sadoci & Abiatharis filios, de periculo certior factus, *Iordanem* ad tutiora loca petenda trajecit, seque in urbem *Mahanaim*, munitissimam recepit. Achitophel autem indignè ferens consilium Chusai, suo prælatum, præ impatientia dedecoris, sibi laqueo gulam fregit, exitúque docuit, CONSILIUM MALUM, CONSULTORI PESSIMUM EXTITISSE.

NARRATIO LXIX.

ABSALONIS INTERITUS.

2. Reg. 18.

Anno Mundi 3009. Ante Christum 1044.

ABsalon intellectô parentem cum suis transmisisse Jordanem, haud nescius, spem victoriæ in celeritate positam esse, copias & ipse suas traijcit fluvium, inque regione *Galaaditide* castra locat, non procul urbe *Mahanaime* (cui jam olim *castrorum* nomen, ob Angelos ibi *Iacobo* spectabiles, est inditum) ubi David intra munimenta se incluserat. Exercitûs Absalonici ductor erat *Amasa*, Davidis ex sorore *Abigæa* nepos. Rex quantò viribus inferior, tantò bonitate caussæ superior, non exspectata obsidione, copiolas suas (quas Josephus historicus non ampliùs quatuor millium fuisse refert) trifariam divisit; iisque præfecit *Ioabum*, ejúsque fratrem *Abisai*, & Ethai, principem è Gethæis oriundum, Davidi in paucis fidelem; Regem ipsum [illegible] leam prælij primos inter subire cupientem, amici prohibuerunt, quippe in cujus capite salus verteretur omnium. Id sanè curâ summâ ducibus, militibúsque mandavit, manus ut abstinerent ab Absalonis cæde; sed vivum servarent sibi, quò poenitentiæ locus daretur parricidæ. Cæterùm cùm hostibus ex adverso hostium aciem explicuisset in planitie, quam à tergo silva claudebat; Absalon quoque suos contra eduxit. Utrinque in pugnam [illegible]

lebant animi; hinc Davidicis regi suo sceptrum tue-
ri ardentibus; inde Absalonijs experturis ultima,
ne victi, commeritas solvant perduellionis pœnas.
Sed mox apparuit, quantò fortiùs dimicent, quibus
pro virtute res est, quàm quibus pro scelere. Vix
enim conserto certamine, cœpit turbari Absalonis
acies, neque ferre impetum militis Davidici, mul-
tis bellis exercitati, reique militaris comprimis pe-
riti. Vertuntur igitur in fugam ordines dissoluti,
& quò quemque spes evadendi ferebat, eò se pro ri-
pit. Quos gladius non sustulit, saltus absumpsit; à
tergo namque hoste premente, præcipites in terræ
voragines, & cæcas foveas agebantur; aliique super
alios, ut fit in pavore, corruentes, & sese oppri-
mentes, mutua sibi clades, sepulchrúmque fuêre.
Sunt qui scribant, plurimos â fame, siti, feris con-
fectos perijsse. Viginti omnino millia occubuisse,
Sacra historia memorat.

In fuga non erat ultimus, belli qui primus incen-
tor, Absalon, muli quidem celeritate persequenti-
bus ereptus. sed DEO in pœnam reservatus. Pe-
netrârat effuso cursu subter condensam quercum;
cùm ventilante cæsariem aurâ, subitò hæret capillis
implicitus ramo, longiùs protento, tralabente ju-
mento. Id conspicatus quidam de gregarijs mili-
tibus, regij memor præcepti, continuit manum;
Joabo tamen nuntiavit; hic, insuper habitô Davi-
dis imperiô, arripit tres lanceas (nempe brevio-
res) seu jacula, & in pectore pendentis defigit.
Hærentem in arbore, & palpitantem armigeri Ducis
circumsistunt, & pluribus vulneribus inflictis inter-
imunt. Cadaver quercu solutum in profundam

abijcitur foſſam, ingenti lapidum acervô ſuper illud ingeſtô. Extincta belli face, Joabus civili diu cens parcendum ſanguini, jubet cani receptui, ne victoriæ laudem crudelitate corrumperet.

Ad Davidem interea, in ipſa urbis Mahanaim porta, ex turri, tanquam ex ſpecula, avidè præſto lantem decretorium pugnæ eventum, *Achimaas* & *Chuſius* pervolant, reportatæ victoriæ nuntij. Regi de ſalute Abſalonis quærenti, prior cautè reſpondens, diſſimulat ſe ſcire. Alter, quod res erat, fatetur. David ingenti mærore perculſus, dum victor miles Abſalonis interitum lætis carminibus, ipſe lacrimis & lamentis celebrat. Quare ſolus in ſuperiora tectorum conſcendere, fletibus indulgere, & lugentium habitu, funebrem planctum identidem ingeminare: *Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi; quis mihi det, ut ego moriar pro te; Abſalon fili mi, fili mi Abſalon!* Cauſſa tanti luctus, mali mores degeneris filij, qui totidem parenti vulnera fuerunt & clades; doluit, æternum perijſſe. Tulit permoleſtè Ioabus majorem in Rege ſignificationem mæroris de morte filij; quàm victoriæ ex hoſte tam feliciter, támque brevi relatæ; quare ad eum, hominum conſuetudinem vitantem, ingreditur, & magna linguæ libertate dehortatur à luctu; eſſe animi parùm grati, & regij, illorum vultum tacita quadam reprehenſione confundere, qui laterum ſuorum oppoſitu caput ipſius ab hoſtili petitione defenderint; per quos conſecutus eſſet, ut ne regnum, & quidquid cum regno poſſederat, amitteret; odio haberi, qui ſaluti ejus & dignitati ſerviant; in amore & deſiderio eſſe, qui communem ei lucem & ſpiritum adimere conentur; ſatis

indicare lamentis suis, unius vitam Absalonis, omnium capiti, qui ejus se caussâ in apertum periculum conjecerant, anteferri, ad extremum monere, nisi daret se in conspectum suorum militum, fore, ut eô relictô de alio sibi rege dominóque consulerent, vanásque lugendi causssas, in veras nimiúmque acerbas converterent. Valuit oratio ad mœstitiam abstergendam, reddidit se luci David, regalíque cultu resumpto, omnibus fecit suî adeundi, & salutandi copiam. Perduelles quoque in spem veniæ erecti, redierunt ad pristina obsequia. Honestissima nempe victoria est, quâ animi magis prosternuntur, quàm corpora; & verum est illud *Taciti*: Ubi satis terrueris, parcendo, rursus irritamenta pacis ostenta. & juxta *Senecam*.

Quæ corrumpi igne, quæ meti gladio jubes,
Aliena credis.

NARRATIO LXX.

REGIS SALOMONIS INITIA; CONJURATIO ADONIÆ ET EJUS EXITIUM.

3. Reg. cap. 1. & 2. Anno Mundi 3022. Ante Christum 1031.

Ambitio ut est cæca, ita quos occupat, præcipiti perdit impetu; papilionibus similis, quî lucernæ splendore capti, eam tamdiu circumvolant, donec adustis alis pereant. *Adonias*, filiorum Davidis, quartus natu, fatalem parentis

senio & ægritudine decumbentis necessitatem, pr
regnandi ansa arripiens, ausus est sibi sceptrum pa
ternum polliceri, contrà quàm parens testament
caverat, quô *Salomonem* regni hæredem destinâra
Viderat homo immodicus honoris, fratrem Abs
lonem in conatibus audaciſſimis oppressum; no
ideò tamen timidiùs in discrimen non tam corona
quàm capitis se dedit; adeò pertinax est spes, quæ
gloriæ cupiditas devoravit. Viginti tum annorum
erat juvenis, & privilegio nascendi, & formæ libe
ralitate, in vulgus commendatus; (*Absalon* enim
& *Amnon*, & Betsabeæ *filius*, etiamnum infans mor
te fuerant sublati) quare regnum ad se pertinere pu
tus, currus sibi, & equites, & servos à pedibus, &
familiam aulicam copiosam adscivit; Davide ea
ignorante, nec reprehendente, tametsi severitas
eum, Absalonis scelera admonere debuissent. Pr
mò omnium, veteri jam pseudopoliticarum ma
chinationum arte, improbis consilijs titulus religi
onis prætenditur; Sacrificium extra urbem Sol
mam, simúlque regium convivium instituitur; in
vitantur fratres omnes, omisso Salomone, dicere
Absaloni similem per omnia fraterculum, & gemel
lum ex ovo malo pullum. Regium uterque sa
guinem, malis moribus infecit; uterque corpor
elegantiam & humanitatis genium, pro vitiorum
invitamento habuit. Ad epulum etiam belli du
ces convenerant, ut robur accederet sceleri, in q
Ioabus, exercitûs Davidici princeps, & *Abiathar*, Sa
cerdotum summus, firma conjurationis fulcr
Convivij hilaritas jam eô processerat, ut Adoni

inunctus à Pontifice ; Rex ab omnibus salutaretur

Non potuit tam in occulto res esse , quin ad eorum pervaderet aures , qui Salomoni studebant ; præsertim Nathanis Prophetæ, quem fidissimum Salomon educatorem & institutorem habuit. Is factionem defert ad Betsabeam ; hæc ad Davidem. Rex , ne quid periculi per moram accerseretur , continuò *Sadoco* Sacerdoti , vatique *Nathani* , & militiæ duci *Banaiæ* , committit Salomonis filij inaugurationem. Convocatur hinc robur exercitûs Salomon mulæ regiæ imponitur, in arcem *Githonem* deducitur, non procul *Rogele* fonte distantem , ubi cum suis Adonias regijs in hortis convivabatur. Ungitur ibi novus Rex , faustisque cum acclamationibus Hierosolymam revectus, in paterno solio cum publica congratulatione collocatur ; Davide præsertim , in lectulo suo , in quo eum senilis infirmitas attinebat, summas DEO grates ob exoptatum successorem memorante.

Terruit hæc fama conjurationis participes , Adoniam præcipuè , qui videns se desertum ab omnibus, in fæderis se tabernaculum , quod *Gabaone* religione magna celebrabatur , recipit , asylum apud aram quærit, & reperit. Non sivit tamen ambitiosum pectus quiescere elata cupiditas ; alios & alios excitavit fluctus , donec mergeret. Inflabant animum juvenilem seditionis principes *Ioabus* & *Abiathar* ; ille dolebat summam militiæ præfecturam sibi ereptam, *Amasâ* substitutô ; hic indignè ferebat , pontificatum à se in Sadocum esse translatum ; Adonias præferri sibi Salomonem pati non poterat. Ad novam con-

spirationem addebat animos Davidis è vivis excessus, & infirma, recèns electi Regis ætas, fraudique opportuna. Cùm autem vis aperta non succederet, visum est agere per cuniculos. *Abisag*, relicta Davidis uxor, longè omnium formosissima, & intacta viro, dudum Adoniæ oculos rapuerat; ea quia credebatur pro dote, coronam regiam in manus ambitiosi juvenis illatura, expetitur in conjugem; nuptiarum consiliatrix Betsabea requiritur; hæc ignara, quid conjurati molirentur, suscipit negotium tantò libentiùs, quantò cupidior erat pristinas inter fratres offensiones abstergendi; accedit Salomonem filium, aperit desiderium Adoniæ. Advertit Rex illicò gliscentem sub doloso cinere scintillam, quæ ne in flammas erumperet, incendium toto regno sparsuras, opprimendam maturè duxit; autorem seditionis Adoniam manu *Banajæ*, cohortis prætoriæ tribuni interficit; *Abiatharem*, quòd curam Arcæ divinæ à parente commissam habuisset, supplicio exemptum, rus amandat. Quibus rebus Ioabus auditis, ad sacri Oraculi sedem confugit, aramque complexus, impunitatem sibi á loci religione promittit; sed quia virum, regiæ Majestatis læsio, & duorum imperatorum *Abneris* & *Amasæ* injusta cædes ab immunitate asyli excluserat, jussu Regis caput ei præcidit, qui Adoniam interemit, Banajas, summum exinde militiæ imperium adeptus.

Non omittam hîc referre, quoniam mentio injecta est Amasæ, qua ratione ab ejus æmulo, Ioabo, sit sublatus; de Abnere suprà exposuimus. Erat Amasa filius *Abigailis*, (cum Josepho Abigæam suprà vocavimus) sororis Davidis; eum Absalon in suas

suas partes abduxerat, ducémque rebellium copiarum constituerat; qui quòd validissimam omnium tribum Iudæ, Davidi reconciliârat, exauctoratô Ioabô, destinatus erat supremus regiæ militiæ præfectus. Id Ioabus, tot nominibus de regno Davidico benè meritus, atrocem injuriam interpretatus, curas in omnem occasionem intendit, Amasæ de medio tollendi; quod ut securiùs perficiat, per speciem amicitiæ hominem aggreditur, salutat perhumaniter venientem obviàm: & dum osculum, amici tesseram animi ferre simulat; altera manu mentum Amasæ apprehendit; alterâ dolosum pugionem immergit in ilia, nihil admodum timentis; quo mærore Davidis, non facile est explicare; quamquam negandum non est, Amasam quoque perfidiæ, quâ ad Absalonem desciverat, pœnas dedisse. Restabat, ut etiam *Semei* maledicentia supplicio vindicaretur, Is quidem vitæ gratiam impetrârat à Davide, sed quæ cum eodem exspiravit; ne tamen in eo plectendo Salomon suæ magis severitatis, quàm clementiæ paternæ, rationem videretur habu sse, noluit veteri delicto, nisi novô cumularetur, supplicium irrogare. Nec diu fuit, cùm Semei capitali noxâ iram in se Regis provocavit; pœna namque capitis ei fuerat constituta, si pedem Hierosolymâ efferret, quippe homo ingenij turbulenti & seditiosi; at is, cùm amplas ruri possessiones haberet, compertô, duos servorum inde profugisse, festinavit eos à fuga reprehendere, majore suô, quàm transfugarum malô; nam violatæ reus custodiæ, mox in vincula & supplicium raptus, contumeliosæ in Davidem linguæ, manúsque, pœnas pependit.

pendit. Hunc in modum sublatis inimicis & regni turbatoribus, sceptrum Salomon pulcherrimè stabilivit, gubernationem à justitia, *qua thronus firmatur*. Prov. 25. exorsus. Comendandus plurimùm à tam æquis auspicijs, quibus gladium justitiæ iniit avit; cautus scilicet, ne quid nimis vel in ipsa Clementia. Nam qui parcit sceleratis, bonos it perditum; & damnat innocentes, qui nocentes absolvit.

NARRATIO LXXI.

DAVIDIS EX PECCATIS CATENATÆ POENÆ.

2. Reg. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 24. Et 3. Reg. c. 2. &c.

Ab Anno Mundi 3000. ad an. antè Ch. 1054. usque ad obitum Davidis, id est, ad Ann. M. 3019. ante Ch. 1033.

ARx est mens hominis; unâ oculi portâ male custoditâ, irrumpit hostis, facilis & exitio ingressus patet. Quàm prona sit ex uno casu prolapsio in plures, nimis quàm clarum & horrendum paradigma David exhibet. Is, qui antè fœdam cum adultera consuetudinem, clementiæ poterat, Justitiæque exemplum proponi, ostendit in expugnatione *Rabbathæ*, quàm procul abesset ab illa mansuetudinis laude, quâ se priùs DEO eximiè probârat. Justitiæ verò integritatem pessimè con-

rupit, cum *Sibam*, perfidiosissimum servum, contra dominum suum Miphibosethum audivit, & indictâ caussâ innocentem condemnavit. Sed ut peccatum unum, est alterius supplicium; ita David hanc quoque injuriam aliâ luit injuriâ, Numinis justa lege sic exigente, ut, qui unum servum iniquè locupletârat, per alium gravissimè castigaretur; Semei is fuit, qui nescius executorem divinæ Vindictæ egit.

Cæterùm Autores non aspernandi, inter argumenta manûs DEI Vindicis, numerant primum statim filiorum Davidis flagitium; incestum *Amnonis* cum Thamare sorore, permissum à DEO, Davidis patris adulterio castigando. Eódem referunt Amnonis ejusdem postea interfectionem; Thamaris mœrore fraterni stupri tolerati tabitudinem; *Absalonis* rebellionem & interitum; Adoniæ factionem ac necem; *Salomonis* mollitiem, senilémque dementiam; *Roboami* stoliditatem, ac decem Tribuum à regnatrice Davidis Domo avulsionem; *Ioabi*, Davidis sorore geniti trucidationem; longásque posterorum vel improbitates, vel calamitates; quas adulteratæ *Betsabeæ* Thorus, Gladiúsque trucidator *Uriæ*, Davidicum in caput, serámque progeniem extendit.

Porrò inter primas Adulterij & Homicidij perpetrati pœnas fuit, pueri vix nati lethalis ægritudo, quam tam impotenter tulit David, ut septem ipsos dies, non se passus induci ad cibum degustandum, abstinuerit publico, incesserit atratus, saccóque opertus, humi jacuerit prostratus, DEO necquicquam supplex pro infantis salute.

Sub-

Subindè profligato, cæsóque Absalone, reductus in regnum, antequam Ierosolymam reverteretur, periculum seditionis, ne ab intentatis supplicijs interquiesceret, adit: rixantibus inter se, deque reductionis ambitu contendentibus, hinc quidem Iudæis ac Benjamitis; illinc verò decem cæteris tribubus. Ubi parùm abfuit, quin ad manus denuò veniretur. Ingreditur post hæc Jerosolymam, dat perpetuam in custodiam uxores ab Absalone fœdatas. Videtur ipse sibi restitutus tranquillitati priscæ: sed continuò, novis rebellionum fluctibus involvitur. Insurgit enim, adhuc in via, reditúque *Seba* vir Benjamites, contribulis Saulis; & hinc infensus Davidi successori Saulis. Is buccinæ signo, seditiosísque concionibus, undecim ipsis tribus abstrahit à sui Regis obsequio, Judæ solam tribum ei relinquit; quoad & hanc, si possit, ad defectionem impellat. Nec desperat deijcere soliò, modò recuperatô, alienum: quem Regnô jam inveteratô dejectum nuper, viderat in filio. Sed vincitur ac fugatur Seba: Fugatus obsidetur: obsessus obtruncatur. Redit ad Davidem omne regnum. Hístoria pluribus verbis, à sacro scriptore refertur. Fugiens quippe Seba, receperat se in urbem *Abelam*, validè communitam, insequentis Ioabi manus evitaturus. Ea re cognitâ, Ioabus urbem obsidione cingit, impressionem in muros molitur. Cives de sua non minùs salute, quàm de urbis incolumitate solliciti, statuunt periculo eximere sese, deditione Sebæ, hominis advenæ. Id ut Ioabo nuntiaretur, mittitur super muros mulier, quam & sexus ab hostium armis facilè defenderet, & facundia, quâ

quâ pollebat, Ioabo conciliaret. Habent enim hoc fœminarum illecebræ, tela gerunt in lingua, quibus fortissimum quemque seu vincunt, seu vinciunt. Ergo stans in mœnibus matrona, sapientiæ laude inter suos inclyta, evocat Ioabum ad colloquium, & hortatur, ne unius ob noxam, plurimorum salutem perdat. Illi Sebam sibi dedi poscenti, promittit mulier caput noxium. Neque diutiùs factum est; ejus consiliô, caput turbatori regni præciditur, eóque è muris ad obsessores projectô, finis bello imponitur. Hoc malô sic depulsô; mox aliud Davidi incumbit. Inter hæc enim (quod suprà memoravimus) *Ioabi* Ducis ambitiosâ perfidiâ, perit ei Dux *Amasa*, Ioabo successor destinatus, & præturæ militaris collega factus. Secutum, post hæc, triennium omni Davidis regno grave: terrarum, siderúmque siccitate. Fames & luctus in omni Chananitide. Nec calamitatum finis; donec Oraculi responsô, pœna, propter Saulis crudelitatem inflicta, Saulææ stirpis excidio relaxaretur. Gabaonitas enim Saules, quasi Iosuæ circumscriptores, adversus fœderum ac jurisjurandi religionem eradicârat. *Talionis* ergò lege compellitur David, quantumvis invitus, in colle *Gabaæ*, oppidi Sauli natalis, tres Saulis Regis, è Respha concubina, filios; cùm quinque nepotibus ejusdem, *è Méroba*, filia, quos Michol sibi, soror ejus, adoptârat, in crucem agere. Non est hîc silentiô transmittenda egregia *Resphæ* in cadavera suffixorum pietas, quæ licet in regia, delitijs, & mollibus stratis enutrita sub ipso patibulo cubile sibi erexit, petram cilicio instratam; cui incumbens, corpora pendentium à ferarum & volu-

volucrum rapacium injuria, perdia pernox defendebat; neque in unum tantùm, aut alterum diem, sed tamdiu, donec post sex, ut volunt Hebræi, menses delapsa pluvia, simul Saulæi criminis piaculum, simul placatæ iræ Divinæ argumentum & sterilitatis remedium, eâ curâ fœminam absolvit; David enim cadavera de cruce tolli, inferrique mandavit in avitum familiæ Saulææ monumentum. Trigesimus hic quartus erat regni ejus annus: & à patrato, cum Betsabea flagitio decimus quintus. Nec adhuc tamen flagellorum quies.

Anno vertente cùm jam annos natus sexaginta quatuor Rex esset: contemptu deficientis in eo sensim pristini roboris; à Philisthæis, diversis quatuor bellis ac prælijs incurritur, *Iesbibenobi* gigantis, cui David impar congressus erat, furore, viribusque premitur: extremum adit vitæ periculum: ab *Abisai* tamen, sororis Sarviæ filio, letho subducitur. A prælijs igitur deinceps abstinere, vacaréque militiæ jubetur. Sed hoste Philisthæo liber, haud multò pòst in hostem relabitur *Sathanam*; cujus impulsu, præcipitatus in arrogantiam; anno regni tricesimo septimo censum agit; ac numerum init populi: locabò numeratore multùm invitô; DEO verò plurimùm offensô. Cujus proinde justo furore, pestilentiâ feriuntur Israëlitarum, sub unius diei diluculum, ad sacrificium usque vespertinum, millia septuaginta; melioris omnes, ac militaris sexûs. Flet David: insontisque populi dolet vicem: se reum clamat: cinere caput inspergit: sacco cilicino corpus macerat, ac dehonestat: in se, suósque transferri cladem exoptat. Sed non illicò tamen suppli-

cij finis. *Areunæ* (seu *Ornæ*) *Iebusæi*, super aream, sublimis stans Angelus percussor; districtô cruentóque gladiô Davidem non exterret modò; sed formidinis magnitudine, grandem insuper & immedicabilem in morbum involvit. Inflaverat Davidis animum amplitudo dominatûs regij; cujus potentiam æstimaturus, lustrum indixit; nec diu pòst religione tactus, inconsultæ superbiæ condonationem supplicibus à DEO precibus oravit. Hic ut aliquid iræ, aliquid clementiæ daret suæ, submisit *Gad* Prophetam, quô inter nuntiô, triplicem optionem subeundæ divinitus pœnæ obtulit, eligere jussô, aut famem septennio grassaturam: aut bellum trimestri spatio multas clades daturum: aut pestem triduo in subjectum populum sævituram. Miser Rex, inter saxum & cultrum positus, cùm non haberet, quò se verteret, præoptavit diram pestem, malum sibi commune cum subditis futurum; ut veniret in partem supplicij, qui pars maxima fuisset irritatæ Numinis vindictæ; nam cùm posset à regia sua damnatam agrorum infelicitatem avertere horreis commeatu plenis: hostem verò munimentis à se excludere; mortalitatis pœnam elegit sibi quoque, si ita ferret DEI voluntas, subeundam. Placavit ea submissio vindicem DEI manum, desijt pestilitas; utique postquam etiam Sacrificium accessit, eo peractum in loco (monte *Moria*, qui pars montis Sionis) ubi Angelus minacem vibravit gladium; & jam olim Abrahamus mactaturus filium, ferrum strinxerat. David ibidem in grati & religiosi memoriam animi altare consecravit, templum quoque exstructurus, nisi piè destinata DEUS in successoris

foris filij curas transferre maluisset. In his supplicijs pendendis David memorabili documento fuit, Principum peccata non rarò subditis luenda, juxta illud:

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Adeò verum est, Magna capita neque solis sibi vivere, si sanctè & feliciter vivant; neque solis sibi cadere, si à virtute contingat excidere. Quamquam neque populus extra culpam ponendus, cujus cum Seba, homine perduelli, contra Davidem conspiratio inulta non potuit esse illi Tribunali, nihil quod impunitum abire sinit.

Pestem depulsam, annus vitæ septuagesimus, regni quadragesimus, & utrinque supremus insequitur: nec ipse per omnia tranquillus. Rex corporis assiduo pæne rigore, paralysis in morem, conflictatus, vestimentorum ope nulla calefit. *Adonia* præterea filij, sese Regem creantis turbis & conjuratione; Betsabeæ verò lacrymis ac sollicitudine pro filio *Salomone*; partium denique studijs, hinc in Adoniam, illinc in Salomonem ardentibns agitatur. Non ergo magna sine mole, turbata componit: commitia regni, pene jam moribundus agit: ac vitâ tandem excedit. At nec postremus hic actus, acerbæ necessitatis expers erat: quando Rex optimus, veniæ quidem per se pronior, Justitiæ tamen ad ultimum tenax; oculis rorantibus, Salomoni successori, Semeiæ maledici, Ioabíque siccarij, majestatis crimine pollutorum, cædem delegat. Ita non dierum, quàm calamitatum plenior, exspirat. Ut interim angores prætereamus, ac formidines, quarum in Psalmis assiduò meminit: quibúsque Regis om-

omnis posterior vita, tanquam lanceis hostilibus circumsessa, dispungebatur. Tanta malorum ilias, e unico lasciviore oculorum, in fæminam conjectu, originem traxit.

NARRATIO LXXII.

REGIS SALOMONIS DECORA.

3 Reg. 3. 4. 9. 10.

Ab Anno Mundi 3032. Ad Annum 3043. Ante Christ. 1030. Ad Ann. 1006.

SAlomon, Davidis ex Betsabea filius, regnique successor, mortalibus est documento, DEI non tantùm iras, sed etiam dona timenda esse. Cujus initia cœlestis orditur favor, & sequentes progressus, initijs pares; extrema, plena sunt infamiæ & horrore. *Mens bona*, quam à DEO sortitus fuerat, donorum maximum, & inæstimabile, in regijs præsertim pueris: Odisse malum: in bonum propendére: ferri in sapientiam virtutésque, præclara ingenij tractabilitate: in omnes formas, velut cereum flecti; meritò Salomonis primas inter laudes memorantur. Non gratiùs ridet aurora diei serenissimæ; quàm ætas illa (cui se DEUS largiter infundebat) amabilitatem quandam, velut prodromos magnarum virtutum radios, in oculos, animósque omnium sparsos evibrabat, & intuentes mirificè sibi devinciebat. Inhæsit Salomoni ab adolescentia sitientissimus ardor, & æstimatio scientiæ immensæ; hanc vigilans perpetuò cogitabat;

hujus amabiliſſima ſpecies recurrebat in ſomno hanc à DEO enixè flagitabat. Unde perſolutis parenti ſupremis honoribus ; ſublatísque de medio turbatoribus imperij , nihil habuit prius , quàm ut gubernandi rationem diſceret , non tam Magiſtero humanô , quàm cœleſti. Ad eos favores conſequendos , conciliatricem adhibuit pietatem , & fervens precandi ſtudium. Viginti duorum annorum adoleſcens , mille DEO hoſtias immolat in Gabaone , (colle frondoſo & excelſo , ubi *Tabernaculum Divinum* religiosè viſebatur ; fuerat autem jam ante *Arca fœderis* , à Davide in montem Sionem inde transvecta) id unum ardentiſſimè ſupplicans , ut quando populo longè numeroſiſſimo jura dandi & imperatum æternæ Majeſtati Templum eſſet exſtruendum ; vires ſibi , viæque ſuppeditarentur , ad regendam divinitus provinciam rectè ſuſtinendam.

Quibus deſiderijs æſtuanti , ſpectabilem deinde recte offert ſe Genius , æternæ ſpeciem Sapientiæ præferens ; jubétque , votis minimè parcis optare quidquid cupienti animo allubeſceret. Ille nihil cunctatus , iterat deſideria ſua , & anhelantia ad Sapientiæ donum ſuſpiria. Placuêre Superis cœlitum preces. Plus accepit , quàm rogavit ; cum acerrima mentis intelligentia , divitiæ & gloria à Cœlo data , Salomonem omnium mortalium feliciſſimum reddiderunt.

Specimen muneris cœleſtis mox præclarum præbidit in famoſa mulierum duarum concertatione pro vindicijs ambigui infantis. Erant illæ corpore vulgati , eodémque ſub tecto , atque adeò cubiculo , eodémque tempore fœtu ſolutæ ; quem tamen non

eodem

eodem curabant ſtudio. Altera quippe, cùm incautâ corporis incubatione, de nocte ſuum oppreſſiſſet partum, vivam alteri, profundiùs dormienti, ſurripuit prolem. Plagium iſtâ repetente, illâ denegante, itum eſt ad tribunal Salomonis. Cauſſa intricata videbatur, & plena caliginis; clamor utrinque, rationes nullæ. Quid faceret in ancipiti lite Judex? veritatem nullis argumentis rimandam, eruit è litigantium pectoribus; cùm ex ore non poſſet. Latentes fæminarum affectus ſcrutaturus; jubet vaginâ nudari gladium, vivum puerum diſſecari medium; ſuam matrum utrique partem in jure dubio tradi. Viſa eſt populo ſententia juvenilior, & crudelior, quàm ſapientior; cujus tamen eventus mox ſummam admirationem & comprobationem tulit. Genuina parens auditô Regis judiciô, commotis illicò viſceribus exclamare; cedere ſe jure ſuo, cupere ſalvam prolem; cupere vivam; E contrario Plagiaria, crudelem ex alieno dolore voluptatem captura, dividi poſtulabat infantem. Sorex, quod ajunt, ſuô ſe indiciô prodidit. Rex ſagaciſſimus veram matrem deprehendit, & pietatis præjudiciô litem finivit. Vicit, quæ vinci non metuit, ſed orbari; cecidit cauſſâ, quam natura priùs, quàm ſententia Judicis, damnavit. Fama judicij longè ſapientiſſimi continuò longè, latéque vulgata maximam Salomoni, non modò apud ſuos, ſed etiam exteros reverentiam & gloriam comparavit.

Prodidit autem Salomon (cui cognomentum *Iedidiæ*, quod eſt *amabilis Domino*, fuit) ſapientiæ ſuæ magnitudinem non factis duntaxat, ſed ſcriptis quo-

que. Nam præter *Ecclesiasten*, *Proverbia*, *Cantica*, *Sapientiæq;* librum; octo præterea millia librorum alterius argumenti, composuisse fertur: in quibus Carminum, Odarúmque mille, & quinque: dramatum millia tria, magnáque Similitudinum & Parabolarum varietas. Artes omnes & scientias percalluit; nihil tam abditum aut obscurum, quod ejus perspicaciam fugeret; *disputavit super lignis* (quod Sacra pagina memorat. 3. Reg. 4.) *à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete* (herbam parietariam, quam origanum aliqui, Maiorantum alij, saturciam vocant alij) hoc est de maximis, minimísque tantâ sapientiâ differuit, ut ex cunctis orbis terrarum partibus mortales affluerent ad hoc scientiarú omnium Miraculum, & Oraculum spectandum, audiendúmque.

Ad immensam sapientiam accesserunt opes pares, & populi subjecti multitudo: ac domi, forisque gloria. Nam & argenti tanta fuit illi, quanta paria lapidum congeries, atque vilitas Ierosolymis: & præter argentum ac gemmas, exoticásque margaritas; auri transmarini, probatissimíq; quadringenta, quinquaginta, talenta magna, ponderis Hebraici, Tyrijs in classibus tertiô quoque annô ei importabantur: quo commeatu, præter pavones, & liáque barbaræ peregrinitatis animalia; naves perter, elephantorum quoque, laboratis, & infectis ossibus constipabantur: ad Ierosolymam ebore complendam. Sed parùm hæc erant (quippe tertij cujusque duntaxat anni) si cum annuis, ac petuùm affluentibus, opum censibus conferrentur. Nam supra pecuniæ copiam illam, quam Salomon

èlegationum donis ac muneribus in fiscum inferebat, super quæstum item, & lucra negotiationum, ac diversi generis mercimoniorum; super ea quoque, quæ Regis ærario satrapæ, principes, Arabúmque cuncti reguli, Salomonis stipendiarij, conferebant: tributum erat annuum, auri talenta magna, sexcenta sexaginta sex, hoc est, juxta Saliani nostri calculum, octo milliones, numorum coronatorum Gallicorum; seu viginti quatuor milliones florenorum Belgicorum, sive florenorum Rhenensium duodecim milliones, & insuper septingenta, quinquaginta millia; computando florenos Belgicos seu Brabanticos singulos pro quatuor siclis, seu nummis sestertijs sedecim; Talentum enim Hebræum (argenti) continebat tria millia siclorum seu duodecim millia florenorum Belgicorum. His accedebant ea, quæ sponte, prætérque debitum, & solam ad gratiam, diversi diversa dono dabant; qualia, crateres ingentes argentei; pocula, vasáque prægrandia purioris auri; vestes ac telæ pretiosiores; multa purpura, sericum Indum, aromatum Orientis vis magna: quin & arma politissimi splendoris; equi, mulique notæ commendatioris.

Quibus omnibus fortunæ muneribus (si tamen Fortunæ dicenda sint, ac non potiùs DEI) Rex Salomon instructus; non solùm armamentarium, in altissima pace semper bello cuivis, etiam asperrimo, præparatum habebat; sed armorum etiam ornamenta, maximo Rege digna, paucísque cæterorum, ante vel post Salomonem concessa. Nam & hastas fecerat, ex aurô solidô & scuta, clypeos, peltas, magnô numerô. Solium quoque regium ex

ebore & aureis laminis refulgebat, ſenis utrinque per gradus leonum ex auro ſimulacris ſtantibus. Duodecim equorum millia ad ephippium; quadraginta millia curulium & vectariorum ad præſepia conſiſtebant, ingens gentium malè quietarum, et fide continendarum, frænum ac formido.

Et quantum illud potentiæ argumentum, quod imperio ſuo teneret obnoxium; quidquid gentium ac dominantium ab Euphrate pertinebat ad primos Ægypti fines, ac mare Palæſtinum; præter Hebræorum; & à Davide quondam domitarum, nationum barbararum multitudinem immenſam; eorum, qui *Proſelytorum* nomine circumciſionem ac leges Moſaicas amplexi fuerant, numerabantur centum, quinquaginta millia, ac inſuper tria millia, & ſexcenti. Ex quibus ſeptuaginta millia delectabantur julorum lapicidarum octoginta millia. Sexcenti quoque, qui operarum præfecti erant ac magiſtri. Sunt, qui ſcribant, Salomonæi famulitij capita fuiſſe quadraginta octo millia, ſexcenta. E ſacra hiſtoria conſtat, annonam quotidianam fuiſſe triginta coros (corus unicus modios Romanos habet triginta, juſtum onus cameli) ſimilæ (ſiliginis, ſeu floris triticei) & ſexaginta coros farinæ (vulgaris). Decem boves pingues, (ſaginatos) & viginti boves paſcuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, bubalorum (dorcadum ſeu damarum), & avium altilium.

Porrò divitijs potentiæque Salomonis reſpondebat fama gloriáque mortalium etiam remotiſſimorum quoſque, deſiderio tanti, tamque ſapientiâ clari regis videndi inflammabant. In ijs erat Æthiopiæ

Sabææ Regina (quam *Makédam* appellant) quæ à meridie septentrionem versùs, dierum plurimorum itinere Ierosolymam contendit, immensis cum opibus, ac multo, regióque comitatu. Ea cunctis Salomonis inspectîs, & regiæ miraculîs, & pectoris, philosophiæque penetralibus: admiratione defixa, didicit experimentô, confessáque verbis est, famâ longè maximâ, majora fuisse visa auditáque. Rediit igitur in Æthiopiam suam, admiratione non minùs, quàm oblatis à Rege donis, opulenta. Cúmque Salomoni prior ipsa centum ac viginti dedisset auri talenta, cum gemmis & aromatis infiniti pretij; longè plura tamen, & pretio superantia à regia liberalitate reportavit: imprimis verò DEI veri solidam cognitionem atque cultum; aliáque suis congrua postulatis; tanta suî admiratione relicta Ierosolymis, quantam ipsa Regis Hebræi famam, ad suos detulit populos.

NARRATIO LXXIII.

MAGNIFICENTIA TEMPLI SALOMONICI.

Lib. 3. Reg. cap. 6. 7. 8. 9.

Ab Anno Mundi 3023. Ad Ann. 3030. Ante Chr. 1030. Ad Ann. 1023.

MAgnificentia Templi à Salomone constructi quanta fuerit, multiplici nomine licet æstimare. Nam si finem perpendas, erat Majestati Divinæ Sedes præparanda; si ideam spectes, fuit ea ab ipso Numine Davidi, & per hunc Salo-

lomoni dictata ; si sumptus & impensas cogites, sunt eæ factæ à duobus opulentissimis regibus, Davide, filióque Salomone ; si Conditorem attendas, fuit is idem Salomon, longè omnium mortalium sapientissimus ; si structuram consideres, erat opus ab omnibus pro Mundi miraculo, summæque veneration habitum ; si operas advertas, multa hominum millia in eo per septennium laborârunt ; si artificium architectonicum ; erant lapides prægrandes ita secti, dolati, politi & ad unguem inter se quadrati & commissi, nullum ut intuentibus mallei aut cujuslibet instrumenti fabrilis vestigium præberent, sed conflata potiùs omnia, quàm arte connexa & coagmentata viderentur ; unde, teste Scriptura ; Reg. 6. *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sit audita in Domo, cùm ædificaretur*, Saxîs videlicet jam antea ibi, ubi excidebantur á latomis, mira perpolitione ad juncturam aptatîs. Si denique magnitudinem, amplitudinem, firmitatem, ornatum, supellectilem Templi expendas, simile nihil terrarum vidit orbis. Hinc psal. 77. Monoceroti seu Unicorni comparatur. *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra.* Per cornu, robur ; & quia unicum, raritas operis indicatur.

Cæterùm locus, cui mirifica structura imposita, mons erat *Moria* (de quo jam alibi meminimus) antiqua Abrahami, filium immolaturi, religione clarus ; quem à contermino *Sionis* jugo ingens vorago, cui *Mello* nomen, discriminabat. Quare ad laxandam ædificij aream, & valles implendas, necesse erat maximas substructiones excitare, ut alicubi murus cubitos trecentos, plures alibi altitudine ; quin-

qua-

quaginta latitudine æquaverit. Magnitudo verò Templi, ſpeciem civitatis bene magnæ, & procul aſpicientibus, montem [Joſepho memorante] niveum, mixtis auri radijs, non ſine oculorum pavore referebat. Altitudo univerſa [pluribus enim contignationibus ædificium intercipiebatur] in centum viginti cubitos aſſurrexit: ſexaginta cubitos in longum; aut ſeptuaginta, ſi veſtibulum annumeres. Viginti in latum continebat, & gemino cingebatur atrio ampliſſimo, multísque porticibus diſtincto. Porrò tripartitum erat ædificium; primò veſtibulum ſeu porticus prætendebatur Templo, longitudine viginti cubitorum, latitudine decem. Pars ei contigua in longitudinem quadraginta cubitorum, in latitudinem, viginti excurrit, dicebatúrque *Sanctum*, ſeu ſtrictiore appellatione *Templum*. Ab hoc, murô cedrinô, multis gemmis interpolatô, ſeparabatur pars tertia, quod Penetrale, Adytum, intimum Sacrarium dicas; ſacer Hiſtoricus *Sanctum Sanctorum*, *& Domum Propitiationis*, appellat, minoris dimidio amplitudinis: Soli Pontifici, & ſemel duntaxat in anno adeundum. Muri è marmore candidiſſimo educti: intus tabulis cedrinis veſtiti, & hæ auro intectæ, variáque cælatura ſculptæ; ipſum pavimentum auro conſtratum. Trabes quoque & tigna, maximam partem cedrina aureis laminis tecta: quibus ſubnexa laquearia, artifice non minùs ſculptura elaboratæ, multo auro refulgebant. Verbo, *nihil erat in Templo, quod non auro tegeretur.* 3. Reg. 6.

Imprimis viſenda duo Cherubinorum ſimulacra quæ ſtabant alis juxta Arcam Fœderis [Cherubicis

& ipsam, sed longè minoribus signis, juxta præscriptum Mosis, obumbratam] ad utrumque Sacrarij latus exporrectis, proceritate decem cubitorum, è ligno oleagino, aureis laminis incrustato. Adde his Altare *Thymiamatis* (ita appellatum, quòd in eo aromata manè, vesperíque cremarentur) è cedro, auro inducta, confectum. Adde Mensas denas *Propositionis* [nam in eis Panes Sacri, quot Sabbathis proponebantur] cum totidem candelabris aureis. In ipso Templi limine prostabant duæ columnæ, quarum alteri *Sachim*, alteri *Booz* nomen, scapo in octodecim cubitos, epystilio in quinque surgente, ambitu duodenûm cubitorum, auro ad digiti crassitudinem obductæ. Postes & ipsi ære rigebant. In exteriore Templi circuitu complura loca subterranea, firmissimo opere constructa, cryptoporticus, culinæ, gazophylacia, horrea, cellæ vinariæ & olearíæ, adeò capacia, ut in illa inferri possent, ac cõservari omnes primitiæ & decimæ toti⁹ gentis Israëliticæ, suísque temporibus multis Sacerdotum & Levitarum millibus distribui. Super his per gyrum ædificata varia habitacula, & exedræ, in usum Ministrorum Templi.

In atrio Sacerdotum [alterum enim profanorum erat] ingens altare æneum visebatur, ad holocautomata incendenda, viginti cubitorum latitudine. Ibi amplissimum aquarum receptaculum, ex ære fabricatum, duodecim boum dorsis, ex eadem materia, sultum [*Mare æneum* Sacræ literæ vocant] Sacerdotum manibus ac pedibus abluendis; tria millia metretarum capiebat; metretæ singulæ triginta sex mensuras nostrates, seu septuaginta quatuor sextan-

tes

tes Romanos faciunt. Ibi varia labra & conchæ ad inteſtina & pedes victimarum purganda. Ibi mirabilis ſubterraneorum conceptaculorum amplitudo, quæ ad quinque usque ſtadia per circuitum templi penetrabat; plumbeis ad ea fiſtulis quacunque per muros & templi ſolum, quibus omnia abluerentur, mundarentúrque, deſcendentibus.

Jam quanta vaſorum aureorum & argenteorum [ut nihil dicam de æneis] multitudo. Si Joſepho fides, erant ex auro decem millia menſarum minorum: Totidem minora candelabra, Menſuræ, Tubæ, Thuribula, Phialæ, litatoria viginti millia. Inſtrumenta ex electro quadraginta millia. Crateræ aureæ ad ſubigendam ſimilam ſexaginta millia. Canthari vinarij, & lances aureæ, octoginta millia. Phialarum aurearum centum millia. Summa vaſorum aureorum quadringenta, & viginti millia. Argenteorum verò mille millia, & quinquaginta millia. Villalpandus noſter ſummam vaſorum aureorum auget, aſſerítque, fuiſſe ſexcenta, ſexaginta millia; addítque firmandis dictis; hoc tantum auri non capiendum cubiculo decem cubitos alto, totidémque longo & quinque lato. Unde colligas, quantus etiam fuerit Pontificiæ & Sacerdotalis veſtis apparatus.

De operarum numero ne quis dubitet, eum diſtinctiùs referemus. Et Hieroſolymis quidem in extruendo Templo laborabant hominum ſupra centum millia, ſexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti. Proſelytorum [qui è Gentibus ad Religionem Judaicam acceſſerunt] in monte onera portantium ſeptuaginta millia. Lato-

tomorum, & saxa templo parantium octoginta millia; Præfectorum in hos, tria millia sexcenti. Summa omnium trecenta, viginti unum millia; alij parciore calculo, paullùm ultra ducenta millia extendunt numerum, nihilominus stupescendum. Vide Chronicon Reg. lib. 3. c. 5. & 2. Paralip. c. 2. His omnibus septennio alimenta à Rege præbita, singulísque operarijs finitô templô, decem sicli (singuli sedecim sestertios valent) donati. Jam quanta eorum copia, quæ in ministerium *Domûs Domini* delecta & distributa. Sacerdotes pænè innumeri; Levitarum viginti quatuor millia; Præpositorum & Judicum sex millia; quatuor millia Janitorum, totidémque organis canentium.

Neque minus admirationis habent sumptus in hoc ædificium collati; David enim filio pro impensis Domûs Domini reliquit auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum (quæ tantundem conficiunt) lib. 1. Paral. c. 2. Ea summa juxta computationem Cornelij in eundem locum, facit bis mille quadringentos milliones aureorum Gallicorum; ratione monetæ Italicæ, ter mille ducentos octoginta duos milliones, insuper centum triginta quatuor millia, & viginti quatuor scutatorum aureorum. Pineda ad tria millia millionum auri ex Hispanicis *Ducatis*, propè accessisse autumat. Salianus, de amore DEI lib. 8. c. 7. bis mille, septingentos, quadraginta quinque milliones, unum & quinquaginta millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nummos Gallicos confeciisse existimat; asserítque, hanc auri vim non latum iri decem millibus curruum, nongentis & octoginta, quamvis singuli

currus

currus ducenta & quinquaginta millia aureorum ferrent. Tantas opes collegit David partim ex vectigalibus, partim ex navigatione Orphiritica, partim ex hostium spolijs & tributo, partim ex annuo Israëlis censu, quô quisque pendebat quotannis Templo dimidium siclum juxta legem Exodi 30. quam capitationem mittebant Iudæi per totum orbem dispersi; ut adeò Davidis & Salomonis reditus annui superârint tributa & opes Romanorum, Chaldæorum, Persarum, omniúmque regum & monarcharum. Accessit Davidis munificentiæ, liberalitas populi, qui, computante Saliano, puri puti auri septuaginta duos milliones, nongenta & viginti sex millia, sexcentos sexaginta sex aureos nummos Francicos in collectâ repræsentavit. Pineda (in Salomone Prævio) cum divinis libris, 1. Paral. c. 29. calculum movens, tantum, inquit, populus ferri, æris, argenti, auri contulit, ut id Hispanicæ monetæ efficiat mille ducentos, & octo milliones, centum & nonaginta sex millia *ducatorum* Hispanicorum. Insuper, quod sacri codices loc. cit. apponunt, *apud quemcunque inventi sunt lapides pretiosi, dederunt in thesauros Domûs Domini per manum Iahiel Gersonitis.* An non hoc fuerit satis caussarum, quæ Reginam Saba in stuporem darent?

Atque hunc in modum exstructo Templo, cùm præcipuum adhuc ornamentum deesset, Oraculum divinum; incredibili cum pompa est in Basilicam, & penitiorem adytum illatum. Ibi tum repentè nebula, DEI præsentiam testata, non sine lucida caligine locum implevit, sacrúmque cum voluptate horrorem per Sacerdotum & Levitarum, (populus extra

extra ea septa stabat) Regis comprimis, oculos atque animos diffudit. Salomon tenerrimo gaudio delibutus, cùm post solennes precationes ac gratiarum actiones, suos ad perseverantiam in timore & cultu veri Numinis cohortatus fuisset, hostias ad Aram admoveri jussit. Et ecce, iteratum benevolentiæ divinæ argumentum! denuo nebula cum igne de cœlo delapsa, religiosum omnibus terrorem incussit, flamma victimas depascente, & litationem approbante. Septiduum tenuit Dedicationis solennitas, quo temporis spatio, in sacrificium mactata boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia. Quibus diebus festis inter Sacra & Epulas exactis, populus ingenti cum lætitia dimissus est, actis priùs Regi gratijs pro bene curata republica, & pro tantis operibus absolutis, precatus, ut præpotens DEUS tanto sibi Capite diu incolumi frui concederet. Exinde Rex per quietem iterum à DEO admonetur, gratum sibi fuisse Sacrificium, vota exaudita, servaturum se Templum suum, semperque inhabitaturum propitiè, donec & ipse, & ipsius posteri, cum subjecto populo justitiam colerent, & à paternis præceptis non discederent. Evehendum eum ad summum felicitatis fastigium, ipsiúsque progeniem per continuatas successiones regnaturam. Quod si proditô, & oblivioni traditô pietatis studiô, ad externarum religionum se ritus transferret, radicitus stirpem excidendam, Templúmque, quod tum recens exstructum esset cum Urbe, à barbaris diripiendum, incendendum, diruendum. Tristes minæ tristiorem sortitæ sunt eventum. Templum post quadringentos viginti qua-

quatuor annos, tempore Sedeciæ Regis, à Chaldæis incensum in cineres desedit, porticus unica, quæ *Salomonis*, posteris quoque sæculis, vocabatur, instaurata remansit, de qua Apostoli admirabundi ad Christum: *Magister aspice, quales lapides, & quales structuræ?* Marc. 13. E cineribus diu pòst surrexit alterum (quod à Scriptoribus *Secundum* appellatur) permissu Cyri, Regis Persarum, post captivitatem Babylonicam, Duce *Zorobabele*, ædificatum, altitudine tamen non ultra sexaginta cubitos excrescente, caventibus id regijs Præfectis, ne moles sublimiùs educta, sub religionis specie, rebellionis fieret propugnaculum. Quod ipsum templum, multo pòst tempore, nempe Anno Mundi 4035. Ante Christum. 18. Herodes spatijs dilatavit, porticibus novis exornavit, minimè tamen novum (quod Josephus vult) excitavit, reclamante Aggæo cap. 2. qui ex Oraculo Divino prædixit, *novissimam hanc domum* (Zorobabelis) glorioriorem fore priore; ejúsque præsentiâ cohonestandum, qui *veniet Desideratus cunctis gentibus.* Sæpè; quod pietas ædificat, ingratitudo destruit. Ne mirare, tantam ædificij Majestatem pessum ijsse. Nobilissimam fabricam non tam manus Chaldæa, quàm Salomonis populíque scelera in cineres dederunt.

NARRATIO LXXIV.

SALOMONIS DE-DECORA. 3. Reg. 11.

Ab Anno Mundi 3048. ad ann. 3059. quô decessit, Ab Anno Chr. 1005. ad 994.

O Prodigiosa Antithesis! Salomoni quid dissimilius Salomone? è mortalium sapientissimo dementissimum effecerunt Vitia. Quid illustrius priore gloria; quid ignominiosius posteriore dedecore? corrupit sapientiam stultitia, innocentem adolescentiam nequissima senectus, religiosam juventutem propudiosa canities. Initium ruinæ ejus, superbia. Potentiæ namque magnitudine, prudentiæ miraculo, cunctorum veneratione præcipitatus in arrogantiam: ab hac, *omnis nequitiæ radice*, gradum fecit ad nimium suî amorem & admirationem. Nam quorsum illa quinquaginta septem millium & sexcentorum equorum copia; quorsum tanta magnificentia in mensa, & familia regia; nisi ad inanem ostentationem & plausum? Amorem suî comitata est animi mollities, omnis generis delitijs & oblectamentis fracti. Ingens conviviorum & vini luxus, ut de se ipso usurpare non erubuerit verba illa, Ecclesiastæ cap. 2. *Vadam, & affluam delitijs, & fruar bonis.* Et dum gloriatur ibidem, se plantâsse vineas, non omittit meminisse *scyphorum, & urceorum in ministerio ad vina fundenda*; nec veretur confiteri, *se omnia, quæ desideraverunt oculi, non negâsse eis: nec prohibuisse cor suum, quin omni voluptate frueretur.* Et quem alium, nisi se ipsum perstrinxit, quando principum manè commessantium meminit eodem libro, cap. 10. Quid aliud voluit instructio Betsabeæ, matronæ prudentissimæ, quando filium etiamnum puerum sollicitè hortata est, ne

quando

quando temulentiæ & improbæ mulierum consuetudini se dederet, quippe quem sciebat, in utrumque vitium admodum proclivem esse. Verba parentis amantissimè monentis ipsemet memorat Proverb. 31. *Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & divitias tuas ad delenàos Reges.* (libido enim Regum opes exhaurit) *Noli Regibus, ô Lamuel,* (ô DEI electe) *noli Regibus* [tibi inquam] *dare vinum:* [immodicum] *quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.* Quid dicam secretum? nulla fides, nullus pudor, nulla sapientia, cujus te studiosissimum volo. Præsaga malorum insequentium fuit genitrix. Nam Salomon ex his initijs ad voluptatum ac deliciarum quarumvis indulgentiam, & experimenta prolapsus, in absurdissima mala cadere cœpit. Paulatim igitur pietatis studia refrigescere, rerum Divinarum oblivio induci; pro sacris cantibus; profanis cantorum & cantatricum vocibus regia personare. Ab his illecebris pronum fuit, insanis fæminarum amoribus irretiri; cùm enim, quantum junior sapientiam, tantùm senex mulieres, & amplius adamaret, novas identidem sibi nuptias, ex omni puellarum Orientis numero suscitabat. In his non erant Israëlitides modò; sed, [quod fieri lex vetabat] filia Regis Ægyptij; virgines Moabitides, Ammonitides, Idumææ cum Sidonijs & Hethæis, quas Salomon tantò flagrantiore, quantò minùs concesso furore deperibat. Flagitiosum, pænèdictu, cogitatúque, nedum factu! mille fæminarum thalamis unicam impletam esse regiam. In quarum omnium amores non tantùm, sed omnia vota

æstuans, indulsit petentibus suorum cuique gentilitiorum Deûm ac Dearum [*Astarthes* Sidoniorum, *Chami* Moabitarum, *Molochi* Ammonitarum, & aliorum gentium aliarum idolorum] aras, simulacra, cultum. Et qui soli Vero, Sanctissimóque Numini Templum antehac augustissimum ac toto terrarum orbe celebratum erexerat: idem postea singulis pænè peregrinis uxoribus suis, singula Dæmonum fana delubráque constituit. Idem simulacris eorum supplex, thus adolevit, victimas cecidit, vota precésque nuncupavit.

Quàm blandus autem mulieribus, tam asper populo fuit Israëlitico: quem exactionibus, Tyranno quàm Regi, propioribus exsuxit. Prodigus idem & Avarus, aurum & argentum unde unde corrasit, ut haberet, quod in Veneres suas effunderet: quid enim non exigebant tot mulierum delicatissimarum quotidianæ mensæ, convivia, ludi, donaria, mundus muliebris, aurum, gemmæ, res omnes vestiaria; quantum divitiarum una talis fæmina vix aure solet unicâ gestare; quoties inde bina vel trina patrimonia pendent! Quòd si *Reginis* [id est, uxoribus primarijs & regiâ prosapiâ oriundis] septingentis, pro comitatu singulis addamus pediseques seu ancillas ornatrices, sex: trecentis verò *Concubinis*, ut Scriptura S. loquitur, [id est, uxoribus secundarijs, quæ non erant dominæ, seu matres familias, sed quasi proletariæ, & propagandæ tantùm sobolis caussâ quæsitæ] non nisi tres famulas concedamus; erunt universim fæminarum quadringentæ, supra quinque millia. Hem, quantus sexûs exercitus, quantas exhauriens impe-

lis! Et quia libido hiantes requirit loculos; per fas & nefas ab effeminato Rege coactum est, quod in tot lasciviam thalamorum expenderetur. Veteris dictum est Philosophi: Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe est; de Salomone vice-versa: Cui nihil turpe erat, nihil etiam satis erat. Qui eò denique redactus est inopiæ, ut qui annuis reditibus sex auri milliones ex oleo, vino, frumento habuit, præter tot insuper vectigalia, indictiones, tributa, collectas, dona; laborante tamen ærârio, Subditos acerba contributionum vexatione flagellârit.

Hinc [ô incredibile præcipitium!] in magiam devolutus, præstigijs deditus ac orcinis artibus, cœpit curiosa & inconcessa scrutari, & in conjugum suarum fascinationes, incantationes, veneficia studiosiùs indagare; illæ Regem amoribus ac philtris potionatum, aliæ alijs præripere, & suis amplexibus illigare, magicis auxilijs laborabant. Ita post amissam sapientiam, innocentiam, pietatem, rectum de DEO sensum, & magnam partem dilapidatas opes, etiam famam, gloriam, potentiam perdidit: & *amabilis* ille quondam Domino, factus est DEO, & hominibus *execrabilis*; malis autem genijs familiaris & amicus.

Neque sic tamen præcipitato, defuit adjutrix DEI manus, si ad meliora invitanti, audiens esse voluisset. Semel, iterúmque familiari Numinis affatu monitus, pœnísque imminentis adversionis propositis, cùm ad saniorem mentem nequicquam revocaretur, & tam hortatus, quàm minas cælestes haberet insuper, denique ablegatur ad eum *Ahias* Propheta, qui cum severa ingratæ mentis expro-

bratione, denuntiat impendentem tot sceleribus vindictam, tot annis, tam densa flagitiorum frequentate provocatam; commeruisse quidem impietate sua, ut, qui à DEO, à quo regnum acceperat, tam nefariè desciviſſet, ipse quoque à subjectis populis, fastigiô regiô deijceretur; id ne fieret, obstare promissa Numinis, Davidi facta; pœnas tamen Roboamum filium, mali milvi malum pullum, daturum, & quà sua, quà parentis scelera, decem tribuum defectione luiturum. Tam triste vaticinium, etsi vehementi Salomonem mærore afflixit, nihilo tamen effectus inde melior, libidinibus & varijs Gentium idolis operari perseveravit. DEUS, ut depravati contumaciam animi asperioribus remedijs vel sanaret, vel castigaret, infestis eum hostibus exagitandum objecit. Primus in eum insurrexit *Adadus* Rex Idumææ, Davidis tributarius; hic contempta Salomonis delicijs enervati imbelliâ, jugum excussit, regnúmque suum liberi juris fecit, Post hunc arma corripuit *Razon*, Syrus, qui Regnum Damasci precarium à Davide obtinuerat; quod ut proprium sibi vindicaret, Israëlitarum ditionem crebris incursionibus vexabat, omniáque rapinis & cædibus miscebat. Externis bellis intestina seditio accessit, quam *Ieroboamus*, vir è tribu Ephraimitica, conflavit. Is, cùm annos jam aliquot, suam Regis industriam, solertiámque in præfectura fabrorum multùm probâsset, ad quæsturæ munus evectus, duarum tribuum, *Ephraimiticæ*, & *Manasseæ* tributis colligendis præpositus est. Fortè quæstorij officij rationes sic ferebant, ut extra urbem Hierosolymam, non sine forensi comitatu progressus, regio

fisco

fisco navaret operam. Cùm obviàm fit Ahias, vates Silunte oppido oriundus ; hic amicè salutatum Ieroboamum , seducit nonnihil á via, sciſsóque in duodecim frusta pallio , quô indutus erat novo , jubet Ieroboamum denas inde partes sumere , DEO sic jubente ; nam illa sciſsione portendi ruptionem imperij Salomonici , cujus succeſsuro filio geminæ duntaxat Tribus essent parituræ , reliquæ decem ipsum pro Rege agnituræ ; quando verò hujus pœnæ , stirpi Davidicæ irrogatæ , cauſsa non esset alia , quàm Salomonis impietas ; sanctiùs ipse coleret jura regni , à Numine delati , territúsque exemplo , meminisset reverentiùs habere Leges divinas ; Davidis potiús insisteret vestigijs , & illius in se virtutes , cum corona transferret , si eam perpetuam sibi vellet & stabilem. Cæterùm abstineret tamdiu Regis titulo, qàm diu vita supereſſet Salomoni: id enim Davidis meritis à DEO tributum, nequid de succeſsoris filij imperio diminueretur. Quantũ lætitiæ attulit Ieroboão ea Prophetæ vaticinatio, tantũ doloris & indignationis commovit in Salomone , quare multiplici affectus tristitia , luctu , ægritudine , omnem prioris vitæ dulcedinem in nauseam esse versam sensit. Potiſsimùm afflixit Ahiæ fatidica sciſsura pallij ; quare tam Vatem , quàm Vatis auditorem persecutus, utrumque compulit , arreptâ in Ægyptum fugâ sibi consulere , & tantisper apud *Sesácum* Regem in tuto latere , donec fata Salomoni vitam , Roboamo ejus filio potiſsimas regni vires ademerunt. Salomon itaque delicijs jam acerbis immortuus ingloriè , olim Palæstinæ gloria , pòst orbis fabula , an pœnitentiâ tot eluerit labes , incertum ; sunt , qui flam-

mis infelicem addicunt sempiternis; sunt, qui scelerum pœnitentem, piorum in sedes evectum autumant; sunt denique, qui neutram vergentes in partem, sibi non *liquere* ajunt. Nos cum ijs sentimus, qui Salomonem, pœnitudine commissorum expiatum, cælo donant; interim ejus nobis periculo timentes, qui sub extremum navigationis felicissimæ cursum, ad blandos Sirenum scopulos impactus, adeò luctuosum naufragium fecit; postquam anno ætatis decimo nono clavum imperij assumpsit, quadraginta annis tenuit, anno demum sexagesimo cum vita reliquit, ad sæcularem, ut graves viri scribunt, ætatem perventurus, si vesanæ libidini moderari voluisset. Nam voluptas enervat corpus, & corpus animum.

NARRATIO LXXV.

ROBOAMUS STULTUS SALOMONIS FILIUS. 3. Reg. 12. & 14.

Annis Mundi 3060. 3063. 3064. 3076. Ante Chr. 993. 990. 989. 977.

IN adagijs fertur: è squilla non nascitur rosa; nec mala ex arbore boni leguntur fructus: nec turbido de fonte limpida hauritur aqua. Ita etiam de corrupto Parentis sanguine non nisi stoliditas profluxit Roboami, qui defuncto Salomoni successit in Principatu anno ætatis quadragesimo [nam

mum hunc masculum è tanta fæminarum colluvione susceperat Salomon.] multorum genitoris scelerum heres, *gentis stultitiæ*, cujus argumentum luculentum ipso statim regni exordio dedit. Nam cùm *Ieroboamus*, de quo suprà mentio facta, ab exilio à proceribus revocatus, nomine populi, in Comitijs *Sichemi* congregati [ubi Roboamo regnum communibus erat suffragijs stabiliendum] suppliciter peteret, onus tributorum, quô Salomon nimiùm quantùm subditos presserat, relevari; plurimum enim impensarum & operæ, cùm in Templo & regia domo ædificanda, tum in instauratione multarum civitatum, & varijs uxorum fanis exstruendis exhaustum esse; evacuari æraria Principum, cùm subjecti enervantur; daret hoc suorum fidei amorique, & contracta immodica sumptuum profusione, non modò Regem sese, sed patrem quoque meminisset. Paratiores habiturum in omnia jussa popularium animos, si intelligerent, Principem non minùs populi commoda, quàm suum fastigium spectare. Rex auditis populi postulatis, geminam laudem, humanitatis & prudentiæ, in eam diem tulit; triduô namque ad deliberandum sumptô, réque sapienter ad seniorum [quos ætas & experientia Salomoni quoque parenti commendârat] consilium delatâ, eorum sententiam exquirit. Qui cùm suaderent, ut regni auspicia à clementia peteret: esse populum ad obsequia ducendum, non trahendum; haud ullum majus regnorum præsidium, quàm subjectorum benevolentiam & studium, sine quibus nulla potentia

diu ſtare poſſit; violenta imperia neminem continere diu, moderata durare; regium dominatum liberæ voluntatis inventum eſſe, non timoris aut violentiæ partum; indignum ſe regno præſtare, qui ut regnet, vi utatur: infirmum coronarum cuſtodem, metum: nihil cogi minùs poſſe, quàm fidem & amorem: facilè ſubire odium & perfidiam, ubi ſemper metuuntur graviora; & Salomonis parentis dictum fuiſſe: eum, *qui vehementer emungit elicere ſanguinem.* Prov. 30. quem quiſque oderit, etiam perditum cupere. Remitteret igitur aliquid de rigore, & poſito tantiſper faſtu regio, ad captandam multitudinis gratiam ſe accommodaret.

Sententia haud dubiè tam neceſſaria præſenti rerum ſtatui, quàm in futurum utilis, ſi locum apud arrogantem animum reperiſſet. Aſpernatus igitur ſaniora ſuadentes, convocat in ſenatum juvenes, ut ætate, ſic ſtolidâ ferociâ æquales; & expoſitô ſeniorum conſiliô, quid ipſis videatur, proferre jubet. Illi, partim ut ſpiritus elatos magis inflarent, partim ut aſſentando, Principis ſibi gratiam conciliarent, aſſerunt, indecoram eſſe majeſtati lenitatem, & metu defectionis ad populi arbitrium inflecti; nunquam ſine periculo firmum ſtare capitis decus, ſi, qui timere debeant, timeantur. Multa vi & metu extorqueri, quæ mititate non queant; ſæpe vi frangi, qui jure nequeat flecti. Primam artem regnandi eſſe, odia contemnere. Libertatis affectationem, & novi jugi impatientiam, imperijs frenandam; eadem fronte geſtandam galeam, quâ diadema fulget; ut Rex cogat, quem timet: populus timeat, quem non amat. Reverentiam ex me-

tu

tu creſcere, nunquam plures fieri cœlo ſupplices, quàm cùm tonat & fulminat. Quid filium par ſit facere, Salomonem ſapientiſſimum exemplis docuiſſe. Ad potentiam Principis pertinere, ærarium opibus inſtructum; nec attendendum, quomodo id augeatur, lubentibus, an invitis ſubditis, modò augeatur. Vecordi multitudini per exactiones & tributa detrahendum ſanguinem, ut etiam volens, non poſſit furere. Quibus, aliísque in medium allatis, auctores fiunt Roboamo, reſpondendi ad populum *Minimum ipſius digitum eſſe craſſiorem, quàm patris lumbi fuerint*; & ſi ab ipſo duriter habitos ſe putarent, duriùs etiam in poſterum tractandos eſſe; ſi ſcuticis cæſi fuiſſent antea, nunc aculeatis ſcorpionum flagris conſciſſum iri.

Delectatus Rex feroci juvenum oratione, poſtquam tertia die populus ad audiendum convénit, omnibus exſpectatione ſuſpenſis, & benignitatem ànovo regni capite ſibi promittentibus, omiſſo meliorum conſilio, è ſententia imperitorum reſpondet, & Ahiæ vatis præſagium implet; qui Salomoni diſceſſionem imperij, ſub ænigmate pallij, quod ſuperiùs memoravimus, decem in partes ſciſſi, prænuntiârat. Irritatus namque ſuperbô reſponſô populus, per indignationem, uno ore exclamant: nihil ſibi futurum ampliús cum Davidis progenie: haberet ipſe Templum, quod pater exſtruxiſſet: ſe religioni, fortunísque ſuis aliâ viâ conſulturos. Senſit hîc Roboamus, quantam ſecurim injeciſſet in Domum, & Imperium ſuum; adeóque recenti vulneri medicinam facturus, magis etiam exaſperavit malum. Deſtinat ad placandos vulgi animos *Aduram*, ſeu *Adoni-*

donirâm, quæstorem regium; quod erat oleum flammæ addere; seu potiùs unguem in ulcere figere. Quippe qui ob acerbas exactiones adeò cunctis erat invisus, ut solo ejus conspectu concitati in furorem, ne auditum quidem, lapidibus obruerint. Quô factô, Roboamus ratus, id quod erat, se in simulo saxis impetitum, veritúsque, ne conceptum semel odium in ipsius caput effunderetur, trepidè conscenso curru, quanta potuit festinatione, *Sichemô* [Urbs erat in Regni umbilico sita] Hierosolymam properans, comitijs finem non minore decore, quàm damno imposuit; duabus duntaxat tribubus, *Iudæ* & *Benjaminis* eum sequentibus; reliquis decem non ab Rege modò, sed à Sacris quoque patrijs; recedentibus. Imperium hi ad Ieroboamum detulerunt, virum multâ rerum experientiâ clarum, & Ægyptio Regi *Sesaco*, affinitate junctum.

Disjunctis hunc in modum animis, virisque, quid nisi bellum exspectaretur? Roboamus jam ferò sapiens, lustratis duarum, quas dixi, tribuum urbibus, & omni significatione lenitatis ac indulgentiæ devinciens sibi, aut devinctas retinens popularium mentes, centum octoginta millia bellatorum contraxit, ad Sichemum, ubi Ieroboamus regiam sedem constituerat, expugnandum. Stimulabat militares fortissimarum tribuum animos vindictæ ardor, & ignominia amissi regni, certámque victoriæ spem faciebat cùm bonitas causæ [nam contra rebelles res agenda] tum robur ingentis exercitus. Cùm ecce, DEO visum aliter; qui non modò collectas copias à pugnæ cupiditate avertit, sed etiam terrorem, & victoriæ desperationem

per *Semeiam* vatem injecit, nomine ſupremi Numinis Roboamo denuntiantem, ut revocato milite, vim hoſtilem à Ieroboamo abſtineret. Morem Rex gerit promptum, in ſumma rei bene gerendæ opportunitate, & re, coronatis capitibus imprimis, ardua; de imperio enim decertabatur.

Solutus belli timore, ac curâ Ieroboamus, DEO pro gratijs reddit malefacta; duos ex auro conflat vitulos, populóque colendos proponit, quod in ſequenti narratione, pluribus exponemus. Interea Roboamus multus erat in civitatibus ſuis inſtaurandis, & contra belli impetum permuniendis. Ad quem Hieroſolymis degentem, ex omni Iſraëlitarum ditione confluxerunt Sacerdotes, ac Levitæ; & quotquot vel cura veræ religionis, vel offenſio tyrannidis Ieroboami [etiam invitos ad idolorum cultum adigentis] tangebat, ſe cum ſedibus ſuis, ad avitam pietatem, referebant, auctis inde non mediocriter regni Roboamici viribus.

Sed non ultra triennium tenuit ea Regis proſperitas; nam eô temporis circumactô, primùm ipſe quoque Roboamus, genitoris inſtitutô, denſat ſibi cubilia: ductíſque primæ dignitatis uxoribus decem & octo; concubinis autem ſexaginta: filios viginti gignit & octo, filias ſexaginta. Simúlque has inter voluntates, deſertô vero Numine, fictos ad DEOS, inſanus deſciſcit. Nec eô contentus, Iudæos etiam, & Benjaminitas in ſcelus pertrahit; impiéque, quod vitæ reliquum erat, tranſcurrens, regni decem ac ſeptem peractis annis, ad plures, ſuíque ſimiles abit. Cauſſa ei defectionis à DEO, mulieres, quemadmodum Salomoni, fuerunt, *Naama*

præ-

præcipuè mater, ex Ammanitis oriunda, & *Maacha* uxorum ut chariſſima, ita in nefas omne pellaciſſima; qua annitente, luci certatim ſuper omnes colles plantari, aræ, ſtatuæque dedicari, & inter alia idola, etiam ſpurciſſimo *Priapo* ſacrificari; ipſa reginâ, prô pudor! inter effeminatorum greges, ſacrilegæ obſcænitatis ſeſe ducem, & nefandi Sacerdotij antiſtitam profitente.

Verùm DEUS hanc contumeliam, per *Seſacum* Ægyptiorum Regem, [quem *Seſoſtrem* Herodotus nominat] ulciſci non diſtulit. Hic quintô Roboami annô, partim immiſſu Numinis; partim invitatu Ieroboami [ſive ut attritis Roboami viribus, ſecuriùs ipſe regnaret, ſive ut regnum Iudæ, conjunctis armis ſibi ſubijceret] cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum, longéque copioſiore peditatu ſeſe Paleſtinæ infundit, flammis omnia & cædibus vaſtat; expugnatísque Iudæ civitatibus munitiſſimis, ipſam Hieroſolymam obſidione cingit, Non eſt auſus Roboamus hoſti, ſignis infeſtis occurrere; malè quippe conſcium deſerti Numinis pectus, fortitudinem omnem excuſſerat, neque plus firmitatis in populo fuit, DEO, perditis ellibus antiquum robur adimente. Igitur metus extorquet, quod pietas non poterat; animi, conſiliíque inopes ſeſe circumſpicere, ad DEI, á quo indigniſſimè defecerant, opem recurrere, cœlum votis precibúsque pulſare. Terrorem auxit Propheta *Semeias*, qui trepidantibus ſuperveniens, minas minis addidit: & ultima quæque teterrimis Religionis deſertoribus denuntiavit. Hîc illi magis etiâ conſternari: ſéque confitentes reos, in pœnas com-

me-

meritasofferre. O miram Numinis clementiam! audiuntur ſupplicationes ingratiſſimorum mortalium; & quia in magna ſceleratiſſimæ gentis colluvie, non deerant innocentes animæ, DEUS harum ſupplicijs placatus, non paſſus eſt nocentes extrema clade involvi. Deditur urbs hoſtibus, ea tamen conditione, ut cædibus, incendijs, rapinis, DEI præſertim Templo parceretur. Verùm Seſacus pactis non ſtetit, ſed deprædatus templum, theſauros cùm DEO ſacros, tum regios expilavit; exportatâ auri argentíque magna vi, ablatîs nominatim clypeis, quos Salomon ex auro procudi curaverat; pro quibus Roboamus æneos ſubſtituit, Templum adeunti, à ſcutigeris præferendos. Ad eam jacturam ingens civium planctus extitit, felices lacrymæ, gemitúsque; ſi ex caducarum rerum detrimento, fidei ac pietatis damnum æſtimare didiciſſent. Nam vel non ſerium, vel haud firmum, ſtabilémque fuiſſe pœnitentium dolorem, ex eo palam fit, quòd Roboamus, inſtinctu matris impiæ, mox ad Sacra deteſtanda redierit, tantò majore ſacrilegio, quantò graviore Benignitatis divinæ contemptu. Deceſſit è vivis, exactâ octo & quinquaginta annorum periodô, ſceleribus ſuis immortuus. Perditionis ei cauſſa præcipuæ, quod diximus, Naama parens, quæ pueritiam ejus corrupit: & Macha conjux, quæ juventutem depravavit; cujus amoribus etiam hoc dedit, ut *Abiam*, ex ea ſuſceptum, regno deſtinaret, reliquîs filiîs, tametſi natu majoribus, prætermiſsîs. Ita per eos ſæpe pereunt filij, à quibus pariuntur.

NAR-

NARRATIO LXXVI.

IEROBOAMUS PRIMUS ISRAELITARUM, (HOC EST X. TRIBUUM, A JUDÆ ET BENJAMINIS, SEGREGATARUM) REX, PSEUDOPOLITICUS, ET IDOLOLATRA. 3. Reg. 12. 13. 14.

Ab Anno M. 3060. ad 3081. Ante Ch. ab anno 993. ad 972.

HActenus Israëlitarum nomine, totam Hebræorum gentem complexi sumus; nunc facta scissione regni decem Tribus, quæ *Iroboamum* regem delegerunt hanc sibi appellationem, propriam vindicarunt; duabus reliquis tribubus, Roboamum, ejúsque Successores sequentibus, Judæ & Judæorum nuncupatione relicta.

Inter alias Salomonis labes, mens incauta fuit in alliciendis sibi familiaribus, & hominibus discernendis. Adamavit Jeroboamum, juvenem Ephraimitam, patre *Nabathe*, viro inter suos nobili, & matre *Sarira*, longè imparis conditionis, genitum, præclaris naturæ dotibus instructum, industrium, & nunquam cessantem; cui se, cui fiscum comisit. Is continua familiaritate, arcana regis expiscatus, animi jam lapsi imbecillitatem, & socordiam deprehendit. Filium quoque ejus Roboamum animadvertit delicijs à puero immersum, imparem regnis fore. Cœpit igitur agitare consilia regnandi, quæ Salomonis reverentiâ, pressa, postquam naturæ concessit.

tessit, in successorem erupêre. Nimirum ambitio, nec populo parcit, nec Principi; odisséque beneficia incipit, cùm jam crescere non possunt, Jeroboamus quæsturæ præfectus, dum rem Principis sui strenuè auget, suam pariter fortunam non neglexit, eóque paullatim ascendit, ut divinis etiam suffragijs (uti narravimus) dignus imperiô haberetur; felix utique futurus, si à quo regnum acceperat, ei se cultum debere meminisset. Sed arrogantia primò hominem in impietatem, postea in ruinam impulit. Ingenium ei multiplex, tortuosum, & mirè varium in versandis hominum animis. Ærarium regium sic curabat, ut crederetur id unum spectare, quomodo Principem locupletaret; rursum tributa sic exigebat, ut videretur subditorum potiùs fortunas, quàm Regis, in consilio habere. Certè secessionis populi à Roboamo, caussa non minima fuisse videtur, in turbido, ut ajunt, feliciter piscaturus. Cur enim, si tam acceptus erat populo, eam gratiam non convertit in emolumentum Principis, & exulceratos animos leniore superbi responsi interpretatione non demulsit? cur in seditionis flagrantiâ callidè se subduxit, ex abdito speculaturus incendium? cur *Aduræ*, quæstori regio, jam mitiora ferenti, audientiam non fecit; nisi quia per alterius casum, ipse sibi gradus ad solium sternebat?

Sed hæc per cuniculos agebantur paullò occultiores; donec animus ambitione distentus, in apertius, majúsque nefas, non diu pòst prorupit. Cùm enim, discutiente DEO, belli molem á Roboamo imminentem, obsidionis [de qua supra] metu liberatus fuisset, pro eo, ut grates Servatori solveret, inju-

injuriam ſummam repoſuit. Adverterat frequentes Suorum peregrinationes Ieroſolymam eſſe, Templi non minùs majeſtate, quàm religione cultoresalliciente ; timebátque, ne per ſpecimen pietatis capti popularium animi, paullatim ad Robur mum inclinarent, à quo nuper præcipiti impetu deſciverant præſertim cúm Sacerdotũ plerorumque & Levitarum exemplum in oculis eſſet; nec immeritò facilior ad Domum Davidis reditus ſperaretur ; quidquid adhuc turbatum eſſet, Iudaici Regis benitate, promiſsísque haud ægrè componi poſſe; Iraëlitarum mentibus altiùs inſculpta manere Numinis de ſceptro Davidico oracula: nec deeſſe autoritatem virorum principum, domi militiæque præſtantium, per quos in veterem ſubjectionem reconciliarentur deſertores regni Iudaici; mutabilem vulgi genium, levibus momentis ad eas reflecti partes, quas paullò antè faſtidierat; maximè ſi religionis reverentiâ percellatur ; ideóque niſi regno everti vellet, religionem potiùs avitam, rebus ſuis obſtantem, eſſe evertendam. Inſtabant fortè Paſchalia, quo tempore pro more gentis, maximi Solymam concurſus fiebant ; quos ut impediret, ad artes ſuas vulpes confúgit, & ſpecioſis plebem, quà rationibus, quà edictis circumvénit : eſſe profectionem illam, quam illi crederent religionis cauſsã ſusceptam, bono publico, privatóque detrimentoſam ; quòd non citra magnum diſcrimen in urbem hoſtilem inſtitueretur ; ubi deſerti Principis rei, multorum ſe odijs, & tandem exitio involverent : ipſámque viæ longitudinem, ut cætera omnia tuta eſſent, ſine rei domeſticæ diſpendio obiri non poſſe :

posse; se verò, quando Solymæi Templi tantô desideriô tenerentur, effecturum, ut pro uno geminum excitaretur, in quo Sacris operari; suáque possent vota persolvere; neque enim DEUM loci unius angustijs circumscribi; perinde esse, ubi ubi coleretur, modò cultores bonam mentem adferrent.

Ita coloraverat astum, ut, quantum vafritiei lateret, ne sagaciores quidem deprehenderent. Ergo jam fidentior, ut regnum suum confirmaret, Majorum religionem funditus exstirpandam duxit. Incredibili celeritate duo delubra educit in præcipuis urbibus, regni sui limitaneis, alteri *Dani* nomen, ad Aquilonem sitæ: alteri *Bethel* Austrum spectanti; utraque colli inædificata, & profanis in excelso lucis adstruendis opportuna, In eis duorum ex auro vitulorum simulacra collocat, qualia in Ægypto (ubi biennio exulaverat) sub nomine *Apis* & *Serapidis* coli viderat: populóque persuadet, hæc illa esse Numina, quæ Majores ipsorum quondam servitute Ægyptiaca liberârant, & publico cultu, *Aarone* auspice, affecta fuerant; eam venerationem ad posteros quoque permanaturam fuisse, nisi Moses injecto suppliciorũ metu, & nescio qua prodigiorum ostentatione, obstitisset. Incredibile dictu, quanta gentis Hebrææ protervia, toties meliora doctæ, toties deteriora secutæ. Callidis verbis persuasa, recedit à DEO suo, tot nominibus de se bene merito: in sententiam impij regis concedit; ne ijs quidem exceptis, qui cùm vanitatem nefandæ superstitionis satis perspicerent, pluris tamen Principis improbi benevolentiam, & præsentia commoda, quàm Numinis

Optimi Maximi leges, minas, futuras pœnas facie-
bant. Jeroboamus, ne perfidis, ullum ad DEI,
Davidísque imperium, poſtliminium pateat, Du
ipſe & Auctor impuriſſimorum Sacrorum, aſſum-
tâ Pontificis perſonâ, Sacerdotes pro ſuo arbitra
conſtituit, non ex tribu Levitica, quæ noluit hu
impietati ſervire, ſed de fæce populi; ut, quales e-
rant aræ, tales eſſent miniſtri; id ſpectante homi
vaferrimi nequitiâ, ut communicatô cum plebe Sa-
cerdotio, fructuoſo comprimis atque honorato, a-
nimos omnium ſibi, ſuísque ſacrilegijs obligatos
teneret. Itaque Regis ad exemplum, gliſcente in
dies ſuperſtitione impiorum [gratiam Ieroboami
captantium] paſſim luci, & nemora altiorum mon-
tium, vitulorum ſimulacris conſecrari cœpta.

Jámque novus Sacerdos, & Sacrorum antiſtes
ſacrificale miniſterium adierat, & *Vitulo*, in urbe
Bethele, erecto, adolere thura, & libamenta di-
fundere parârat; cùm repentè intonat fulmen, *de-
do* Propheta Hieroſolymis à DEO ſubmiſſus; is in-
terminatur, naſciturum è ſanguine Davidico ultu-
rem [*Ioſiam*] qui Sacerdotes impios, eadem in ara
gladio hoſtias immolaturus, & pro thure, impoſto-
rum oſſa ſit incenſurus. Id quod trecentis quinqua-
ginta pòſt annis, factum. Atque ut nequis de va-
ticinij veritate dubitaret, duo quamprimùm ſigna in
ejus confirmationem ſunt edita; nam & altare, in
quo ſacrilegium perpetratum, in medio ſciſſum, ex-
ecrabiles victimarum cineres effudit; & Regis ma-
nus adversùs Vatem extenta, ſubitò diriguit, ex-
nimæ ſimilis. Intremuit tum quidem præſenti ani-
madverſione caſtigatus Ieroboamus, & precibus

Pro-

Prophetæ, priſtinum brachij vigorem recepit, in obſtinata nihilo ſecius malitia induratus [ſunt enim, quibus cùm benefeceris, pejores fiunt] quia perversè ſibi perſuadebat, ſecuram regni poſſeſſionem eſſe non poſſe, quamdiu populus veteri religione, & Templi Ieroſolymitani reverentiâ tangeretur; unde factum eſt, ut nefaria ſuperſtitione perdiderit, quod pietatis conſtantiâ conſervaturus fuiſſet.

Ne tamen adversùs beneficium manûs reſtitutæ, ingratus videretur, Addonem per amicitiæ ſpeciem ad menſam regiam invitat; muneribus etiam oblatis, inſidioſa liberalitate, quæ ille fortiter repudians, negabat ea in urbe, quidquam cibi potúsque ſibi, per interdictum divinum, ſumere licere; vetitum inſuper, ne per viam, quà venerat, quippe idolorum cultu pollutam, revertatur. Ut dixit, ita fecit. Cæterùm *Bethéle* habitabat quidam ex ijs, quibus ſua DEUS arcana revelat, & apud omnes Propheta audiebat; vir ætate grandis, & inter improbos, probus. Cui cùm narrâſſent filij prodigia, quæ *Addo* patrârat, deſideriô viri familiariùs cognoſcendi, ejúsque refocillandi, abeuntem perſequitur, è via revocaturus in urbem. Fortè aſſecutus eſt interquieſcentem ſub arbore, quam Sacer hiſtoricus terebinthum nominat. Ibi fictô oraculô, perſuadet homini, ut mutatâ DEI ſententiâ, ipſe quoque mutaret mentem, & relecto Bethelem itinere, hoſpitio ſuo uteretur. Quid multis? officiosô mendaciô ſeductus *Addo*, condicit ad prandium. Diſcumbentibus, & familiari ſermone ſe oblectantibus, receptor fatidico ſubitò afflatur ſpiritu, accuſat hoſpitem Divini mandati violati, pœ-

næque modum denuntiat, jacturam paterni sepulchri. Nec fefellit vaticinatio. Nam Addoni redeunti Ierosolymâ, leo factus obviàm, detractum de jumento necavit, nihil læsô asinô, cui insederat; nec interempti cadavere; cujus etiam custodem egit; donec Bethelensis Vates, re intellectâ, curavit examine corpus in urbem referri, honorificéque terræ mandari. In idem ipse conditorium, ex testamentarijs tabulis, postea illatus, confuso ossium discrimine, ultricem Iosiæ manum, propter communem sepulturam evitavit.

Ieroboamus tam miris Vindictæ divinæ modis admonitus, nihilo factus melior, denique dignas obstinaciâ suâ pœnas dedit. Initium factum â filio, cui *Abiæ* nomen; quô ad mortem decumbente, mater jussu mariti, immutato cultu, sumptóque privato habitu, & muneribus agrestibus [ne forte grata potiùs, quàm vera nuntiaret Vates regina agnitæ; aut invisam, inauditámque ob improbitatem conjugis sui reijceret; aut ne populus intelligeret, à Ieroboamo suis divinatoribus diffidente, consuli alienum] ad Prophetam *Abiam*, *Siluntem* in oppidum proficiscitur, percontatura à viro, in prædicendis futuris mirifico [nam & regnum Ieroboamo prænuntiârat] essétne filius, præsentis morbi periculum evasurus. Sed frustra fuit ea æmulatio; Vates enim è cœlo de adventu fœminæ præmonitus, pro foribus stantem compellat, & interrogatione anteversâ, acerrimam in ejus faciem objurgationem effundit. Imprimis exprobrat divini magnitudinem beneficij, quod Ieroboamus, DEI gratiâ Israëlitarum Rex, in summam Bene-

facto-

factoris injuriam converterat, omnibus, qui ante eum fuerant, scelerum enormitate superatis ; idcirco totam ejus familiam radicitus excindendam, omnésque á primo ad ultimum, eô unô exceptô, qui tunc lethali ægritudine tenebatur, præter ignominiam mortis, etiam honore sepulcri carituros, cadaveribus, in prædam canibus & alitibus, projectis. Populum quoque, ut Regis impietatis, ita cladis participem, post intestinas seditiones, & varias belli agitationes, denique captivum in Assyriam abducendum. Tam horrifico vaticinio territa mulier, nihil habuit, quod responderet, quanquam ne à principio quidem permissa est quidquam effari ; quare tacita recessit, domúmque reversa, dum limen ipsa ingreditur, puer è vita discedit, publico populi luctu defletus. At pervicax Ieroboami ingenium, neque tot terroribus domitum, ad fata extrema properabat. *Abias* [Roboami filius] à DEO constitutus Vindex, in regnum Ieroboami [contrà, quàm narrat Iosephus] cum quadringentis pugnatorum millibus irrumpit ; cui cum exercitu duplô majore [octingenta erant bellatorum millia] in occursum venit Ieroboamus, haud dubiè multitudine hominum circumventurus hostem, nisi cæleste auxilium formidabiles vires retudisset, Abiæque victoriam contulisset ; tanta strage edita, quanta in nullis vel Græcorum, vel barbarorum historijs, Iosepho teste, legitur. Cæsis enim quingentis millibus, tres munitissimæ urbes captæ, direptæque, DEO victoris gladium, ne ultra grassaretur, inhibente; & quartô pòst annô Ieroboamum, per immissum dæmonem aliquem, aut percussorem

Angelum, è viventibus exturbante. Ita perijt, qui, ne periret, sanctissimam Religionem perditum ivit; memorandô ad mortales exemplô, motâ hac sacrâ anchorâ, regna Regésque non fluctuare modó, sed frangi, mergíque.

NARRATIO LXXVII.

ABIAS ET ASA, REGES IUDÆ; QUORUM PRIOR DEPLORATÆ SALUTIS; POSTERIOR INCERTÆ.

3. Reg. 15. & 2. Paralip. 15. 16.

Ab Anno M. 3077. Christi 979. ad Ann. M. 3120, Ch. 933.

SAlomonis nepos, Roboami filius, *Abias* fuit, Judæ Rex; cujus fervidæ preces, cum tubarum à Sacerdotibus inflatarum clangoribus mixtæ, validissimum Jeroboami (uti retulimus) exercitum profligârunt, cœlo prô eo depugnante. Sed DEO victoriæ authori, gratiæ vice [jam sueto Hebreæ gentis more] refudit impietatem, & improbi patris imitationem. Triennium illud, quô regnârat [uno vix die, sui in DEUM officij memor] Idolis, eorúmque sacrilegis cultibus, & uxoribus quatuordecim ductis; filijs maribus viginti duobus, femellísque sedecim generatis, memorabile reddidit; uxore regina *Maachâ* post se relictâ, Sacrorum obscœnissimi *Priapi* Summa Sacerdote.

Filius hunc secutus est *Asa*, magis imperiô, quàm improbitate; diutissimè bonus ac felix; sub extremâ

na demum regni tempora, non parùm à se ipso degeneravit, dum spem, ac victoriæ cujusvis fiduciam, in solius ope Numinis antehac collocatam, transfert in vires & auxilia *Benadadi*, Syrorum regis, *Idololatræ*: cujus fœdus ac societatem, non profanò tantùm ærarij sui, sed sacro quoque Templi, mercatur auro; tantò indigniùs, quantò pietatis suæ, & in divino præsidio confidentiæ luculentiora tulerat præmia. Principio statim aditæ potestatis, Deorum statuis & aris, ac lucis, fanisque, & impuritatum lustris regnum omne suum repurgavit; intérque sacrilegos idolorum adoratores matrem quoque suam [aliqui aviam fuisse credunt] Máacham, & soliô simul, & Priapi fœdissimo Pontificatu dejecit. Imperium suum urbibus, armis, exercitu, civiúmque multitudine firmavit. Ne tamen virtus inexercita langueſceret; Numine permittente, bello lacessitus est ab Æthiopum ductore, Principéque *Zara*: qui supra Syenem, & ultimam Ægyptum, meridiem versùs, imperabat. Decies centena militum millia, cum trecentis falcatis curribus ducebat Æthiops in *Asam*; viginti millibus minùs, quàm sexcentis bellatorum millibus succinctum. Ideóque trepidabatur ab *Asis*: ab Æthiopibus contrà, jactanter, agebatur, ac minaciter; fiducia multitudinis atque copiarum. Sed ubi ventum ad manus est; ad *Asæ* regis preces, exterrente DEO superbiam hostilem; cæsus, fugatus, castris exutus, & profligatus *Zaras*, cum suis omnibus deletus ad internecionem est. Urbs *Gerara* cum finitimis populis universis, qui partim Philistini juris erant; partim ab Judæis ad Barbaros defecerant, occupata: prædáque

dáque ſupra fidem humanam ingens, hominum, pecoris, gregum, ac jumentorum, & utenſilium, aurique capta. Quo tempore patuit; ſicuti, ſine Duce, nihil exercitum quantumvis magnum; ſic, ſine DEO, nec Duces eſſe quidquam, atque turmas: barbaricásque caſtrorum quadrigas, tanquam puerorum equeſtres arundines â *Curru* DEI, *decem millibus multiplici*, nullo negotio diffringi; quoties adversùm homines Angeli [ſicut tunc accidit] aurigentur.

Devicto hoſte, cum ſpolijs ampliſſimis Hieroſolymam revertentibus, *Azarias*, Vates ſit obviàm; ſi gratulatus Regi, populóque victoriam, divino favore partam, præmium pietatis & in DEUM obſequij, prædicit in poſterum quoque conſecuturas felicitates, ſi à rectè cœptis non defecerint; ſecus, ingentem calamitatum ſeriem inundaturam. Jam tum enim homines ancipitis fidei præmunire volebat adversùs ſocordiam & trepidationem, quâ poſtea concuſſi, Syrorum auxilia implorabant. Rex delectatus vaticiniô, ſtrenuam dedit operam publicè, privatímque, ad religionem ſartam tectam conſervandam, dimiſſis per omne regnum, ejus negotij curatoribus. Quo tempore non pauci Iſraëlitarum ab idolorum cultu ad priſtina ſacra ſe recipiebant, novo ſeſe fœdere DEO devoventes; ſed fidem, ut aliàs, parùm conſtantem tam iſti, quàm Iudæi coluerunt. Cùm enim *Baaſa* Rex Iſraëlitarum [de quo inferiùs plura] urbem *Ramam*, quadraginta ſtadijs Ieroſolymâ diſtantem ſubitò adortus, in poteſtatem redegiſſet, itáque communiſſet, ut frequentibus inde excurſionibus, totum *Aſæ*

regnum

regnum vastaret; homo meticulosus plus humano in auxilio, quàm divino reponens, *Benadadum* [ut diximus] Syriæ Regem, magnis impensis, etiam thesauri sacri jacturâ, in societatem belli evocat. Reprehensus eo nomine, Vatis *Hanani* libero sermone, [sic DEO jubente] exardescit irâ, culpámque culpæ adijciens, Prophetæ monitoris pedes in nervum mittit, ac carcere constringit. Nec eo facinore saturatus furor, crudeliùs in populum debacchatur, cujus numerosam multitudinem [tyrannidem quippe hominis damnabat] gladio ferit.

Sed hæsit in tergo, sævitiæ vindicta; pedum ipse vehementissimo dolore cruciari, punirique cæptus, anno regni tricesimo nono: biennio pòst extinguitur, nec in ultimo quidem morbo divinis quæsitis, aut imploratis remediis, eâdem, quâ nuper confidentiâ, Syri Regis auxiliô; nunc Medicorum manu nixus, DEO neglectô. Sunt, qui putent pœnitentem obijsse, idolorum eversorem, verique Numinis assertorem, dolorum acerbitate commissa crimina castigante. Nec parùm ei faventе sacro historico, cujus verba sunt. 3. Reg. 15. *Verumtamen cor Asæ perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis.* Alij salutem ejus aut omnino depositam, aut certè dubiam credunt, adducti eô Divini codicis locô. *Nec in infirmitate sua qnæsivit Dominum &c.* 3. Reg. 15. multarum reus cædium. Illam verò *cordis perfectionem*, ad idolorum duntaxat exstirpationem restringunt, Scripturâ sacrâ scelera ipsius arguente, nihil de illorum expiatione, memorante. Ipsa quoque sepultura non eundem fert apud omnes calculum. Aliqui damnant eam luxûs immodici

ac ſuperbiæ ; quòd impoſitus lecto ex aromatibus ſtructo, unguentísque meretricijs, [ut pagina S. loquitur] pigmentariorum arte confectis, elatus & combuſtus ſit, *ambitione nimia* ; forſan ab ipſomet mandatâ. Alij malunt, buſti magnificentiam, *Joſaphati* ejus filij, munificæ in parentem pietati adſcribere ; in eo quoque honori paterni funeris, conſilentis, ut fluentis è putredine pedum, fœtorem tubis, aromatum depelleret odore. Nos re in medio relicta ; quidquid demum cum *Aſæ* anima agatur tot inter lubricitatis humanæ exempla, fortiùs gamus pedem, & meminerimus, à DEO non coronari initia, ſed finem.

NARRATIO LXXVIII.

TRAGICA REGUM ISRAELITICORUM SERIES.

3. Reg. 16. 22. 4. Reg. 1. 9. 10. 11. 13. 14 17.

Ab Anno Mundi 3081. Ante Chriſtum 972. ad annum Mundi 3314. Ante Chr. 739.

AB Idolomania per Jeroboamum in Iſraëlitiacum regnum invecta, tanquam ex fonte plurium annorum fluxerunt lacrymæ: unus contagio, ſuppliciúmque ſceleris duo ſæcula cum dimidio corripuit, afflixit. Et primus quidem Nadabus filius Jeroboami, decretorias Numinis

Patrem minas, in caput ſuum, altero ſtatim regni ſui, in quo ſucceſſit, anno excepit: in eum quippe ambitio *Baaſam* quendam, tribu *Iſſacharis* oriundum, impulit, ut illô per inſidias interfectô, ad tyrannidem ſibi aditum teterrimo facinore aperiret: primúsque in gente Hebræa Regum à Subditis occidendorum parricidale vexillum erigeret. Sævitum etiam in cadaver *Nadabi*, & juxta Vatis *Ahiæ*, Silonitis, prænuntiationem, præda volucribus ac beſtijs, abjectum. Nec in uno capite quievit crudelitas; in univerſam familiam regiam furore debacchante. Meruit quidem inviſa ſtirps exſcindi: non ideò tamen barbara hominis immanitas à ſcelere vindicatur, quem ad ſanguinarium facinus non explendi religio præſagij; ſed firmandæ tyrannidis, & exſaturandæ crudelitatis libido incitavit. Et mirum! auſus eſt *Baaſa* impiis Jeroboami (quem funditus in ſua poſteritate exſtirpârat) veſtigijs nefarius idolorum cultor inſiſtere; ejúsque imitari crimina, cujus exhorreſcere debebat pœnas. Adeſt igitur, more jam ſolenni, miſſus à DEO Vates, *Iehu* nomine, ut ſceleratiſſimo tyranno interminetur ſupplicia, poſterorum excidio pendenda. Sed homo ferox, vaticinij minas eluſurum ſe ratus, ſi Prophetam interficeret, non dubitavit ſacrati viri ſanguine crudeles manus imbuere. Remorante tamen ultionem Numinis dextrâ, Baaſa ipſos quatuor & viginti annos ex alio in aliud ſcelus circumegit, donec infelice ſpiritu in orcum ejecto, filium poſt ſe reliquit *Elam*, patris per omnia æmulum, & diris Propheticis devotum. In hunc inſurrexit *Zambris*, mediæ

diæ partis equitum ductor; qui conjuratione facta regem *Therſæ*, in urbe regia, inter epulas temulentum, eò demiſit, quò genitor præceſſit, cum vix ſecundum regnandi annum inchoaſſet. Quô facinore perfectô, ne eſſet, qui occiſum poſſet ulciſci, ſecúmque de regno contendere, eâdem truculentia in omnes regis conſanguineos deſævijt; proprióque ſcelere alienum ultus crimen, prædictioni fidem, ſtragradum ad interitum fecit. Nam exercitus Iſraëliticus, qui tum *Gebethonem*, urbem Philiſthinorum obſidebat, intellecta Zambris rebellione, nefariâ regis cæde, diadema impoſuit militiæ Principi, cui *Ambri* appellatio; hic omiſsô obſidiô, celeritate uſus copias Therſæ, in qua ſe Zambris pro rege gerebat, admovet; ille metu & deſperatione adactus, ut timida eſt pravorũ conſcientia, ſeſe, regia cum domo ſua cendit: Simul diris corpus ſupplicijs, ſimul regni opes inimico erepturus. Tyrannicũ ejus imperium non ultra ſeptiduum ſe extendit.

Interemptô tyranno; cùm nemo de ſtirpe regia Jeroboami ſupereſſet, populus in contraria ſcinditur eſt ſtudia, *Ambri* non leve jus ad regnum contulerat prærogativa militaris; optimates autem favebant *Thebni*, viro inter ſuos claro. Triennium inter eos diſceptationes effluxit, cùm *Thebnis* præliô inferior vitæ finem & diſcordiæ fecit. *Ambris* æmulô ſublatô, curîs ad pacis ſtudia conversîs, novam ſibi regiam [Therſam quippe cædes & rapinæ vaſtârant] in extremis Ephraimiticæ Tribûs finibus ædificavit, quam *Samariam* appellavit, de nomine *Someris*, à quo montem emerat, cui urbem impoſuit, regni decus ceps primariam, opibus & munimentis futuram

Se

sed Ambris quoque detestabilem reddidit memoriam impietas, quà ante alios eminens, duodecimo regni anno ad inferos & ipse abijt.

In regno & flagitijs successit, *Achabus* filius, anno Mundi 3117. ante Chr. 936. homo ex asse nequam; qui cùm scelera sceleribus, instigante *Iezabele* uxore cumulâsset, spretis Eliæ monitis, & *Micheæ* vaticinijs, tandem à *Benadabo* Syriæ Rege, quem antè vicerat, profligatus & cæsus, patientiæ DEI pœnas dedit, post regni annum vicesimum secundum. de quibus infrà plura. Reliquit post se progeniem non minùs vitiosam, *Ochoziam*; qui cùm fortè deambularet in supremo tecti Solario, prolapsus per fenestram, quâ lumen in cænaculum immittebatur; vel, ut alij volunt, per reticulatam Solarij loricam, fatiscentibus & ruptis cancellis, extremum vitæ periculum adijt. Conquassati corporis remedium à *Beelzebube Accaronitarum* idolo dum petit, interitum pro salute accipit, filióque *Ioramo* succedendi locum facit, homini, patrem cùm alijs, tum maximè impio simulacrorum cultu, referenti. Quem duodecimo regni anno, *Iehu*, Magister equitum, sagittâ traijcit, simúlque deletâ, Achabi familiâ, regnum Israëlis invadit, & *Iezabelem*, criminum omnium fæminam, debita dudum morte mulctat: nec in mortua parsum pœnæ, nam à canibus discerptum cadaver, & septuaginta Achabi filij, in divinæ vindictæ appendicem, ferro necati sunt. An. M. 3157. ante Ch. 896. *Athalia*, sola ex Achabi prole superstes, nupta *Ioramo*, Iosaphati filio, Regi Judæ, post mortem *Ochoziæ*, filij, [ad quem paternum regnum devenerat] sibi asserit sceptrum, & in

suum

ſuum ipſa genus ac ſanguinem, nova furia debac-
chata, prolem omnem regiam, quantum in ipſa fuit,
peremerat regnúmque vi occupatum, vi & cæ-
bus administrabat. Tertio tyrannidis anno, adhi-
tente *Ioiada* Pontifice, ferro occiditur, *Ioâ* octenn
in regnum assumptô, quem infantulum, Aviæ cru-
delitati subtractum Ioiadas clanculum educabat.
Sic Achabi stirps evulsa radicitus, nullo termite re-
pullulavit. Neque *Iehu*, per quem DEUS sacrile-
gam Achabi domum evertit, impunè tulit vene-
rationem vitulis *Ieroboamicis* impensam; nam po-
clades à Syris acceptas, cùm inglorius reliquum v
tæ, regníque exegisset; anno vigesimo septimo
ex quo dominatum gentis Israëliticæ arripuit, in-
piè defunctus, sceptrum transmisit *Ioachazo* filio;
hoc, multis calamitatibus, ipsis annis septemdecim
attritô, devoluta potestas regni in hæredem *Ioa*
qui regni anno decimo sexto demortuus in cult
idolorum, postquam eô DEUS est usus, tanquam
virgâ ad Syros & Judæos cædendos, in filium de
dema transtulit, *Ieroboamum* secundum; virum stre
nuum & bellicosum, sed idolis deditum; unde p
rem sortitus est exitum, animo tamen funestiorem
quàm corpori.

Post duodennium interregni, *Zacharias*, Iero-
boami II. filius, in solium evectus, quartus ab ave-
vo Iehu, regnavit, in exterminatæ familiæ Achi-
bánæ mercedem; quæ cùm iuxta oraculum divi-
num, intra quartam generationem staret, *Zacha-*
as post trimestre imperium, conspiratione facta, a
Sello, Primatûm uno, interficitur, ultimus stirps
Iehu surculus. *Sellum* verò unô pòst annô sustu-

it *Manahemus*, exercitûs regij præfectus, paris perfidiæ & crudelitatis. Cujus imperium cum urbis *Thapsæ* incolæ detrectarent, admotis copijs eam cepit, & promiscua in omnes cæde sævit, ferro quoque rimatus prægnantium viscera, ne quis locus carnificinæ subduceretur. Et quia tyrannidis perpetuus est comes, metus; tantò jam timidior, quantò priùs immanior, magnis in auxilium impensis *Phulem*, Ægyptiorum Regem vocat, póstque decennium in regno, odióque publico exactum, sicca morte [quod rarum in tyrannis] descendit in Tartarũ; succedente filio *Phaceiâ*, quem biennalẽ sceptrĩ possessorẽ de sede & vita deijcit *Phacee*, Romeliæ filius, chiliarcha, cũ quinquaginta conjurationis socijs. Hunc quoq;, vigesimô pôst añô [postquã à *Teglatphalasare*, filio *Phulis* Assyriorũ Rege, ob denegatũ tributum, magna regni, populíque in Assyriã transportati parte mulctatus est; quinq; enim tribus in captivitatem abductæ] consecuta Nemesis, per *Oseam*, *Elæ* filium, ferro interemit, & parricidæ talionẽ per parricidã rependit. Non minùs *Oseam* vindex justitia in pœnas rapuit; nam añus imperij decim⁹ & nonus tam Regi, quàm toti regno Israëlitico fatalis fuit, multò antè, ab Isaia prænuntiatus; eo enim tempore, *Salmanasar* Theglatphalasaris filius, quòd Israëlitæ tributariæ servitutis jugum excutere molirentur, ex Assyria in Palæstinam irrupit, captáque, post tertium obsidionis annum, *Samariâ*, regni capite, populum unà cum Rege compedibus vincto [in quibus decessit] in Persidem & Mediam abduxit, [in cæteris captivis etiam Tobias fuit] regnúmque Israëlitarum funditus evertit, postquam illud Ieroboami

boami operâ, Roboami ſtultitiâ, à regno Iudæ diſtractum, per annos ducentos, quinquaginta quinque, perpetuò ſuis cum regibus, idolis ſervijſſet, & ſeveras, multiplicésque Prophetarum minas, obſtinata mentis inductione rejeciſſet; lento quidem, ſed tremendo cœleſtis Vindictæ proceſſu.

NARRATIO LXXIX.

IOSAPHATUS IUDÆ REX, PIETATIS CULTOR.

3. Reg. 22. 2. Paral. 17. 18. 19. 20.

Ab Anno Mundi 3121. Ante Chriſt. 932. ad annum Mundi 3145. ante Chriſt. 908.

REligioſus Principis Zelus & pietas felicitatum omnium eſt cornu copiæ, hinc opes, gloria, potentia, veneratio à Barbaris etiam gentibus. Aſæ regnum ac felicitatem *Ioſaphatus* excepit filius, abnepos Salomonis. Hic inter paucos probatus ac dilectus Numini, conceptam à teneris pietatem non regni modò principiô præ ſe tulit, ſed eam toto vitæ decurſu mirificè amplificavit. Fuit princeps ingentis animi, & curæ ſagaciſſimæ, Pervidit omnia, quæ imperium anteceſſorum attriverant, eáque magna vi, aut vicit, aut amovit. Retractavit animo ambitioſas Salomonis divitias, in prædam congeſtas barbarorum; quòd in cogendo avidior fuiſſet, quàm in ſervando prudentior. Itaque non eſt imitatus avium ſpecioſiſſimas, quas plumas

mas spoliantium aviditati nutriunt: roborare se
uluit, quàm ostentare. Statim adjecit animum
constituendas urbes munitissimas, quo scilicet
ice erumpentem hostem aut frangeret, aut lassa-
. Collocavit in locis opportunis præsidia, quæ
imperij tutelam vigilarent. Recensuit militiam,
ex tota gente elegit quinque Duces probatissi-
os, quibus suas copias assignavit, ut parati essent
subita, & virtutem æmulatione accenderent.
Et quia sciebat, Salomonis & Roboami cruen-
vectigalia, & acerbam vim exactorum, pluri-
um nocuisse, non quæsivit artes parandæ pecu-
iæ subdolas, non armorum terrore expressit licita
que illicita; sed statim se boni publici, quàm stu-
iosissimum professus, omnes in id contulit curas,
sub eo populus non modò commodè, sed laxè
iveret; magna interim molitus ad civium utilita-
em & omnibus obvia; Ex quo tanta subditorum
benevolentia est consecuta, ut ultro undique offer-
entur tributa & munera. Ditabant ejus ærarium
ectigales Philisthinorum & Arabum reguli, ita ut
n fiscum *divitiæ infinitæ* teste sacrâ historia 2. Paral.
17. *multa cum gloriâ influerent.*

Par opibus, armorum potentia, militúmque co-
piæ. Præter enim valida, quas passim urbibus reg-
ni munitioribus imposuerat, præsidia; prætoriana
Ierosolymis castra primus omnium Regum antece-
dentium instituit: & in castris præstò semper cum
suis quasque signis ac ducibus, legiones ac copias;
ac planè legitimos, & justos exercitus. Sub *Edna*
namque, copiarum ductore, principéque, millia
trecenta: sub *Ioanne* supra octoginta millia, ducen-

ta prætera millia ſtipendia faciebant. Sub *Amâsia* Zechris filio, Nazaræo, millia ducenta robuſtiſſimorum virûm. Sub *Eliáda*, ſagittariorum, & clypeis armatorum, millia totidem. Sub *Iozabâd* denique, militum acerrimorum centum & octoginta millia. Summa militis prætoriani, millia mille, centum & ſexaginta millia; Ioſaphato ſemper expedita manus. Tantùm potuit prudentia & humanitas religioſiſſimi Principis; quarum altera effecit, ut ſubſidia pacis, bellíque nunquam deeſſent; altera Iſraëlitarum magnam multitudinem ad priſtini regni, religionísque amorem reduxit.

Itaque armis, opibus & autoritate firmatus, renovationem regni à fundamentis aggreſſus eſt. Et quia DEI populum absque lege DEI ſtare non poſſe credidit, reliquias abominandæ ſuperſtitionis victâ conſtantiâ profligavit; cúmque animadverteret, omnia inde ſcelera & flagitia ſuboriri, quæ fons verbi divini exaruiſſet, primus omnium Regum, ſuscepit dignam Evangeliô curam: deſtinavit Principes, Sacerdotes, Levitas, qui omnes urbes & pagos indefeſſo labore luſtrarent, & populum vel ingeniô ſuô, vel adminiſtrantium ſocordiâ rudem erudirent. Tanta inde Regis veneratio, tanta populo addita eſt fiducia, ut qui antea dejectum hoſtibus formidoloſi exiſterent. Cui negotio ſuam ipſe quoque interponens majeſtatem & operam, Iudæ, Benjaminíque regionem omnem denuo luſtravit, Deíque veri ſinceram colendi rationem & ut *Prophetes* docuit, & ut *Rex* præcepit, imitandi tempeſtatibus etiam Chriſtianis documentô.

Ad

Addidit religioni comitem juſtitiam ; namque cæteris , qui eum præceſſerant , Regibus , accuratiſſima ſedulitate judices cõſtituit, qui in ſingulis urbibus à ſe munitis ita darent jura , ut meminiſſent, de ijs in ſupremo omnium Tribunali rationem reddere. Forum præcipuum Ieroſolymis conſtituit, cauſſásque ſolertiſſimè diſtinxit, ut, quæ DEI eſſent , Pontifici relinqueret : quæ Regis , regijs quoque judicibus committeret.

Tam validum iſtis artibus conſtituit regnum, ut civibus reverentiam ſui , terrorem hoſtibus maximum pareret. Iſraëlitæ, qui ceteros turbare Reges Iudæ conſueverant , ſub Ioſaphato quievêre , vel timore potentiæ , vel nominis famâ. Sed *Moabitæ* & *Ammonitæ* acerrimè de Iudæ regno delendo cogitârunt , prævalido exercitu jam in fines Hebræorum irrumpente, & *Engaddæum* tractum inſidente. Rex cœleſtibus ſemper armis intentus, ſolenne jejunium indicit , & longa oratione ſuis militibus ſpem & fiduciam inſpirat. Inde ſecuta ſtrages hoſtium , prodigio ſimilis, ut non tam ad bellandum, quàm ad ſpolia diripienda , profectus ex urbe Ioſaphatus videretur. Mirum namque dictu! ne gladiô quidem ullô ſtrictô ; nec pilô , ſpiculóve miſsô, nec pede collato , manúve conſertâ , victor *ſtando* magis ac *ſpectando* , quàm *dimicando* fuit. Furias quippe hoſtibus , & alternum cædium impetum, immitente Numine : barbari , pro Iudæis hoſtibus , Idumæos , auxiliares ſuos ; pòſt , ſeipſos , mutuis enſibus, ad internecionem usque confecerunt. Eodem itaque veſtigio temporis , & Ioſaphatus cum ſuis , in *Valle* [quæ *Benedictionis* poſtea nomen ab even-

eventu tulit] omnium concordi ſtudiô, divinas concinebat laudes : & barbarorum cædentium ſeſe, cadentiúmque, miſtus ibat in cœlum gemitus, atque clamor. In Tartarum verò pereuntium animarum immenſa ruebat ſtrages, universâ cadaveribus hoſtium conſtratâ terrâ ; cùm interim ex Hebræis, nec unus quidem, exercitus regij numerum imminuiſſet. Spoliorum autem hoſtilium ac prædæ, multitudo tanta fuit, & opulentia ; quanta vel avaritiæ, cui nihil ſatis eſt, ſufficere potuiſſet ; ſi ſuffeciſſent tot millium manus ; quæ triduô ſolidis colligendis caſtrorum divitijs occupatæ, nec ſic tamen exhaurire prædam potuerunt.

In hunc modum Ioſaphati quàm religioſum, tam & potens, opulentúmque regnum fuit : futurum itidem, & reliquis omnibus ſuis numeris abſolutum, niſi pretioſæ veſtis inſtar, pulvere ſordidatæ, maculam ex *Achabi*, Samaritarum impij Regis affinitate, [*Ioramo* quippe filio, Athaliam Achabi ſceleratam filiam in uxorem, infauſtis auſpicijs, dedit, & cum ea idololatriam in judaicum regnum invexit] fœderéque contraxiſſet. Poſteris principibus ea contages, diſciplinæ documentóque fuit, Regem bonum, alienam malitiam, conjunctione facere ſuam. Nimirum ingens animi tormentum eſt amicitia, quæ ſæpe domat, antea indomitos, & blandè flectit in deterius, etiam qui conſtantes pietate videbantur. Erat Ioſaphato comis vita, & convictus facilis. Odiſſe poterat vitia, vitioſos à ſe undique arcere non poterat : ſubrepſit in ejus familiaritatem Achabus per delicias, & amœna vitæ, à quo magnificè exceptus, amorem hauſit imprudenter.

lentem & cæcum, ut non consideraret funestam ædijs divinis, & detestabilem Achabi domum, per omnia libidine Iezabelis furiæ agitatam & turbatam. Ex eo malorum ilias in Iosaphati domum fluxit, & seris nepotibus lentæ pestes. Nam etsi nec Dijs confictis, nec eorum simulacris supplicem se prostraverit, maculâ tamen aspersus est jam tum, cum *Asa* patre conciliante, nuptijs se illigavit filiæ sacrilegi Regis *Amri*: quæ Soror Achabi fuit, Regum omnium Israëlitarum execrandissimi; deinde pessimum Achabi sanguinem, uti memoravimus, per matrimonium suo immiscuit. Hoc illi objecit animosus Propheta *Iehu*, filius Hanani, 2. Paral. 19. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris. Et idcirco iram quidem DEI merebaris: sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Iuda.* Non minùs altera fœderis societas cum *Ochozia*, Israëlitico Rege impijssimo initi, exprobrantis & indignantis DEI voces provocavit, quarum interpres *Eliezer* Vates; *Quia fœdus habuisti cum Ochozia: percussit Dominus opera tua*; *contritæq; sunt naves* 2. Paral. 2. Adeò displicet DEO piorum cum armis impijs armorum conjunctio. Iosaphatus certè bello, prælióque Syriaco minimô minùs abfuit; quin DEO charus ipse, pro devoto diris Achabo trucidaretur: & postea classis aurifera, quam junctîs remîs & impensis, Iosaphatus & Ochozias, in *Taprobanam* ac *Sumatram* [Sacra Scriptura *Ophir* & *Tharsis* appellat] Salomonis institutô, missuri fuerant, neque lucrum tenuit, neque cursum: *Asiongabere* statim, hoc est, in ipso sinûs, Arabici portu, naufragiô convulsa. quia boni Principis bona mens, mali Prin-

cipis animæ malæ, ſpe quœſtûs illigata; claudam fecit & fortunam, & expectationem lucri caducam. Sed Ioſaphati tamen ſi non claſſis, at certè Salus anno regni 25. vitæ 60. tandem enatavit: Ochoziâ per omnia, quod ſuprà indicavimus, demerſo. Ut appareat, ſuas ſceleribus eſſe pœnas, & præmia virtutibus.

NARRATIO LXXX.

ACHABI ISRAELITARUM REGIS, ET JEZABELIS UXORIS IMPIETAS AC SUPPLICIUM. INNOCENTIS NABOTHI LAPIDATIO.

3. Reg. 16. 18 20. 21, 22. 2. Paral. 18. 19
Ab anno Mundi 3117. Ch. 936. ad ann. M. 3151, ante Ch. 902.

VIrtus oppoſito vitio clarior elucet. Cum *Ioſaphati* pietate impietas *Achabi* certamen ſcepiſſe videtur; ita contrarijs nitebantur ſtudijs; Altero caſtam Religionem omnibus viribus propugnare: altero evertere contendente. Sceleſtorum impultrix ei fuit *Iezabel*, *Ethbaalis* Sidoniorum regis filia, mulier tam impia, quàm crudelis. Hujus inſtinctu *Achabus* ipsô regni exordiô, *Samariæ*, in urbe regia ad deteſtabilem *vitulorum* cultum, adjectis nefandos *Baalis* ſeu *Belı* lucos, aras, Sacra, tantâ inſaniâ, brevî ut quadraginta ſupra octingentos Baalis sacri

ficrificuli numerarentur regio de penu liberaliter ostentati. Non deerant Israëlitis prophetæ, qui clamoribus & adhortationib⁹ Achabũ, ejúsq; populum ad meliora provocarent; sed surdis canebatur. Vaticinijs ea tempestate clarus erat *Elias*, oriundus *Thesbe*, vico Tribûs Gaditanæ; is vindicandi honoris divini flagrantissimô succensus studiô, ultrices scelerum pœnas ex alto devocat; ut, quando Achabus mitiora remedia contempserat, asperioribus sanaretur. Cœlum claudit precibus (quæ aliàs id aperiunt) trienniô ampliùs. Suspensis rore, pluviáque, immodicis æther terram Israëlitidem (Judæam pœnæ eximiam, sincerus Numinis cultus fecit) calorib⁹ exurit; undiq; squalent agri, & longa sterilitas durã invehit famẽ, id jam ante prænuntiârat Achabo Vates, non aliô operæ pretiô, quàm ut cum minis è conspectu reiiceretur. Quare in locũ solitariũ juxta torrentem *Carith* se recepit, corvis, quod infrà narrabimus, quotidianæ añonæ subvectoribus. Jezabele interea crudeliter in Propheticos, & religiosos viros sæviente. Lanienæ centum subtraxit *Abdias*, Achabi Oeconomus, patriæ religionis retinens; quos speluncis abditos clàm subministrato victu servavit. Elias, ubi se publico iterum reddidit, ante omnes Achábum, jussu DEI, convenit, pollicetur, cœli se duritiem propitios in imbres soluturum, si cum Beli sacrificulis in religionis certamen venire permitteretur. Concessum est, non minore idololatrârum clade, quàm probro; quod in gestis Eliæ exponemus. Nunc Achabi fata prosequamur. Is neque cœli contumaciâ, plus quàm triennali, nec fæcunda pluviarum

largitate, nec strage Baälitarum, expugnatus, haud paullò, post prodigia peior, quàm antè fuerat; conceptum à Megæra sua furorem, pari rabie in Numinis cultores effudit: juratus DEI hostis, cujus iram hoc etiam crudelitatis exemplo lacessivit.

Reddiderant jam terris hilaritatem suam cadentes cœlô pluviæ; ridebant passim agri, vineæque: & oculos mortalium viriditate, fœcunditatèque alliciebant; soli Achabo livor & avaritia nullam voluptatem concedebant. Inter alios vitiferos colles, erat quidam, urbi *Iezraeli*, & regijs prædijs conterminus: à viro primario, cui *Nabothus* nomẽ, avitô dominiô possessus. Adijcit ad hunc oculos rex, postulat sibi vineam vel pretiô permutari, vel alió fundô; in animo esse, eum locum, excisis vitibus, olerum & herbarum amœnitate vestire. Nabothus, qui agellum inter manus Majorum ad se hæreditate transmissum sciret, negat sibi licere per instituta patria, fundum abalienare. Fert eam repulsam tam impotenter rex, ipsum ut ægritudo animi ciboque hominúmque consortiô abstineret. Advertit morbum mariti Iezabel, audaciæ & sceleris projectissimi mulier; objurgare igitur velut nimiopere timidum & abjectum, & regijs uti nescientem imperijs. Sibi quidem artes in promptu esse, quibus hominis pervicacia frangatur. Nec mora; scribit ad eos, qui judiciariam potestatem in Jezraelitas exercebant, litteras, regis nomine & annulo signatas, mandátque, prætextâ sceleri pietatis specie, publicum ut edicatur jejunium, tanquam in rei ad religionem attinentis atrocitate summa. Convocatur seniorum & optimatum consessus, inter quos & Nabothus aderat.

erat. Constituitur judicium, subornantur accusatores, apponuntur falsi testes, Nabothus læsæ majestatis divinæ, regiæque, tanquam injurius & blasphemus in utramq;, reus peragitur. Quid multis? calumnijs opprimitur iñocentia, Jus vi obruitur, Nabothus inauditus & indefensus adjudicatur morti; lapidibus è vita & fundo suo exturbatur, & unà quadrigemini filij, ne supereſſet, qui repetundarũ postularet tyrannũ. Ebria iñocenti cruore Furia, gestire gaudio, & tanquam re benè gestâ, ad communionem lætitiæ invitare maritum; hic cruentâ non minùs delectatus scenâ; suarúmque jam compos cupiditatum, hilaris in vineam sese conferre, iniquis priùs oculis usurpatam, nunc iniquiore pede calcatam. Obviàm, eunti objcit se Elias, tremendus iræ divinæ internuntius, tam ipsi Achabo, quàm nefariæ conjugi, cunctæque posteritati, incubituræ; quorum omnium sanguinem eô ipsô in agrô, quem insontis cæde funestâssent, canes essent linecturi, cadavera bestijs pabulum cessura. Nec aliter evénit, ac prædixit. Achabus quidem decretoriam DEI sententiam aliquantùm distulit voluntarijs pœnitentis animi, corporísque supplicijs, non perinde abstulit; metu potiùs, quàm amore comissa piacula aversante.

Debuerant equidem Numinis beneficia, nisi in silicem incidissent, inflectere cervicem ad divinæ legis obedientiam. Nam obsessus in urbe Samaria, regiâ suâ, à *Benadado*, Syriæ rege, triginta duos secũ inferioris fastigij reges ducente, hostes cecidit, fugavit, disjecit; ducentîs non ampliùs ac triginta duobus purpuratorum ac Satraparum pedisequis, cum Syrorum exercitu congredi ausîs, hortatu cu-

jusdam è Vatibus: & vi divini terroris incussâ, formidinéque Panicâ hostibus injectâ. Quos persequens Achabus, maximam partem delevit. Rex ipse Benadadus, vix fugâ elapsus, cædi subtractus est. Qui vertente anno copijs multò, quàm antè majoribus adversùs Achabum instructus, ad *Aphecam*, Issacharææ Tribûs urbem, cum Israëlitis longè numerô imparibus cùm iterum confligeret, cæsa sunt Syrorum ea die centum millia. Rex Syrus cum viginti septem suorum millibus Aphécam se recepit; quam recuperavit Achabus, renovatis Ierichuntis prodigiô, muri namque, impellentes eos in casum manu cœlesti, sine admoto ariete collapsi, propugnatores omnes secum in ruinam tractos, obtritósque Israëlitis contrucidandos objecêre. Exoravit tamen vitam Benadadus ab intempestiva Israëlitæ Regis clementia; quem, si victoriæ fructum ferre voluisset, ex mandato Divino, immolare ferro debuisset. Quod ei Vates quidam [Michæam fuisse nonnulli putant] acriter objectans, *quia dimisisti*, inquit, *virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Infaustæ denuntiationis omen, cruentatus & pulvere fœdatus, exhibuit vulnus, quod ab Amica [ita enim petierat] inflictum manu, plagam portendit, paullò post Achabo, populóque à Syris inferendam. Eam interminationem Rex initio, velut delirium contemnere visus, composito cum Syris fœdere, eisque tributi onere impositô Samariam victor rédijt, plus tamen secum furoris, quàm triumphi reportans; nam subeunte animum severitate castigationis, fatidicum vinculis, sese prænuntiatis cala-

mita-

mitatibus induit. Triennium interceſſit à bello, & pace cum Syris facta, contrà quàm DEI voluntas ferebat; [delendus enim fuerat hoſtis, ex cujus amicitia, pernicioſum contagium afflabatur genti Iſraëliticæ, domeſticis jam antè flagitijs corruptæ] cùm *Ioſaphatus*, Judæ Rex, inviſit ad Achabum conſocerum ſuum; à quo regio more exceptus, ad ineundam Syriacæ expeditionis ſocietatem adducitur. Cauſſa novi belli, urbs *Ramótha*, in Galaatitide ſita, quam Benadadus, contra pacta, detrectabat reſtituere. Ejus expeditionis Auctores fiunt Achabo Pſeudoprophetæ Baalis quadringenti; [adeò ſemen improbum poſt ſtragem ab Elia in Carmelo illatam, repullulârat] è quibus unus, *Sedecias* nomine, ferreis caput efferatus cornibus, ventilandam ſcilicet Syriam prædicebat, in morem irritati tauri, ſtramínea ſimulacra jactantis in altum. Ioſaphati porrò juſſu, de eventu belli interrogatus *Michæas*, arcanorũ DEI conſcius, alia omnia vaticinatus eſt; eâ ob rem à Sedecia pſeudopropheta, colaphô mulctatur, conſuetô veritatis præmiô. Itur igitur in bellum, movetur in hoſtem, prævalente contra Prophetæ divini vaticinium, Baalitarum mendaciô. Cæterùm Achabus prædictionem *Michææ* [occultum enim pectore geſtabat aculeum] eluſurus, mutatô regiô in vulgarem habitu, prodijt in aciem, Ioſaphato ſummâ imperij relictâ, Dederat autem in mandato ſuis Benadadus, ut omnium oculis, manibúsque in unum Achabum, tanquam facem belli, intentis, eum ſibi vel occiſum, vel captum traderent. Unde factum, totius ut robur exercitûs in Ioſaphatum, quem pro Achabo habebant, quippe

pe regali exornatum cultu, incumberet. Quod ille periculum partim precibus DEO fusis, partim aperta nominis possessione, abs se in Achabum avertit; quem frustra evitare fata conantem, cœlestis vindicta tot inter millia victimam casu minimè fortuito stravit; cùm enim quidam è gregarijs militibus, telum in confertam multitudinem jaceret, Achabum ex curru pugnantem ceu destinatô scopô trajecit, sagittâ per anteriorem loricæ commissuram penetrante, & inter scapulas ac cervicem validè erumpente.

Accepto tam gravi, támque insperato vulnere, Achabus è loco pugnæ excessit, medicinam plagæ facturus; superante verò mali vi, cum sanguine spiritum infelicem effudit, vitæque pariter ac pugnæ finem imposuit, receptui canentibus Hebræis; neque Syris pertinaciùs agentibus, sublato, quod præcipuè expetebant, capite. Corpus exanime delatum Samariam, ibique sepulturæ mandatum; currus autem & habenæ cruore stillantes, ablutæ in piscina, non procul urbe, remotâ, canibus abstersam tabem ore lambentibus, juxta prænuntias Vatis Eliæ minas. Iosaphatum pietas sua servavit, & incolumem Ierosolymam reduxit; adversus tamen, quod superiùs retulimus, *Iehu* Prophetes occurrit, gravissimus exprobrator fœderis & amicitiæ cum impio Achabo junctæ.

Supereſt, ut fatalem *Iezabelis* quoque interitum, referamus. *Iehu* ex magistro equitum, Rex Israëlis primùm ab Elia, tum à quodam Elisæi discipulo, inunctus, & à proceribus, in solium, detractis pallijs, opere tumultuario excitatum, impositus, cum expe-

expedita manu *Iezraëlem* urbem, ubi tum *Ioramus* Achabi filius, regiam sedem habebat, advolat; venienti obviàm occurrunt tum Ioramus ipse, tum *Ochozias* Rex Judæ, qui amicitiæ causſa, ad Ioramum inviserat; insidiarum nulla suspicio. Sed mox apparuit illum Jehu adventum, non officij, sed hostilitatis fuisse; nam ut primùm Ioramus in conspectum venit, Jehu tetendit arcum, & Regem jam tergum fugæ obvertentem, inter scapulas transfixit, currúque delapsum, proijci jussit insepultum eo ipso in loco, ubi Nabothi vinea, fusúsque sanguis, muta quidem, sed funesta voce vindictam clamabant; Ochozias quoque lethali confossus vulnere, pœnas mali consortij dedit; revectus tamen Ierosolymam, avito monumento infertur, non suô, sed avi Iosapathi meritô.

Inter hæc, Jehum Iezraëlis portas subeuntem, conspicata de fenestris *Iezabel*, fuco stibióque depicta, victorem cum convitijs excipit; ad hujus imperium mox ex alto præcipitata per evnuchos, qui dominæ suæ adstiterant; equorum ungulis obteritur; fœdè deformatam & contrucidatam, invadunt canes; à quibus membratim discerpta & distracta, sola calvariâ, summísque manibus ac pedibus reliquîs, vaticinantis fidem, modúmque supplicij implevit. Ita mali perierunt malè. Sed miseranda, & planè tragica cædes est septuaginta Achabi & Iorami filiorum, quorum tota culpa fuit, in familia Regis conscelerati natos esse. Iehus enim non immemor, quem ad finem in Regem evectus, ad prosequendam Achabitarum stragem, utendum celeritate ratus, mittit ad Optimates Samariæ

riæ litteras, jubet ad se deferri septuaginta Principum capita. Factum, quod imperatum; terrore mandati, reverentiam omnem & miserationem erga regiam Sobolem expellente. Septuaginta capita in acervum collata, acerbum spectatorem tam Iehum, quàm populum magno numero confluentem habuerunt. Neque finis funerum. Idem furor *Iezraëlem* civitatem pervagatus, delevit omnes, quicunque regiæ familiæ consanguinitatis aut affinitatis vinculô annectebantur. In censum interfectorum venerunt etiam quadraginta duo Ochoziæ, ex fratribus nepotes, quibus una necis causa fuit, ex Athalia, Achabi filia, susceptos fuisse. Iehus Samariam delatus, eodem, quo cœpit impetu, ferrum in omnes stringit, quicunque aliqua necessitudine cum Achabæa domo tenebantur. Omnium verò justissimè vindex gladius in Baalis Sacrificulos desævijt, qui ad unum omnes in templum idoli sui, quod erat Samariæ capacissimum, tanquam ad Sacrorum celebritatem convocati, dum execrandis Sacrificijs magno apparatu operantur, Iehus munitus armata manu templi foribus, percussores immittit, qui dextrà, lævâque, punctim, cæsimque in condensatam turbam ferro grassantes, neminem ejus stragis reliquum fecerunt. Execranda quoque Baalis tam fana, quàm simulacra ubique locorum, in regno Israëlis eversa, magnum victricibus Iehu trophæis ornamentum accesserunt. Sed tamen, quis credat, idem idolorum everſor, idem adorator fuit. Cui rei bene gestæ amplissima de cœlo præmia internuntius Vates promiserat, si constantia cœptis accederet; is turpissima superstitione

captus

captus, veri Numinis cultum, cum Ieroboamicorum vitulorum veneratione copulavit, majore popularis auræ, quàm cœleſtis favoris amittendi metu. Quæ cauſſa fuit, ut poſt annos centum & duos, Iehu quoque familia, quod ſuperiùs meminimus, ſit exciſa. Ita vigilat & vindicat in improbos Iuſtitia DEI, & in iræ ſuæ miniſtros redire jubet flagellum, quô luant, quod in alijs plexerunt.

NARRATIO LXXXI
ELIÆ VATIS MIRABILIA FACTA.

3. Reg 17. 18. 19 21. 4. Reg. 1. 2. 2. Paral. 21. Ab anno M. 3123. Ante Ch 930. ad ann. M. 3139. ante Ch. 914.

NIhil tam arduum eſt, quod virtus non evincat; huic enim elementa parent, & vel ipſe æther militat. Elias, cui natalis vicus Thesbe, cognomentum Thesbitæ fecit, religioſo Numinis cultui deditus à puero, poſtquam diu ſecretam à vulgi conſuetudine vitam egerat in Galaatitide regione, contulit ſe Samariam in urbem ad Achabum Iſraelitarum regem, cum ipſum tum populum ejus ab idolomania ad Religionis avitæ Sacra reductu-rus. Mirandarum ei rerum initium fuit, prodigioſa (pluviarum ſuſpenſio, & terris Iſraëliticis inducta ſiccitas. Exinde, monitu divino, Jezabelis reginæ furori ceſſurus, vitæ ſolitariæ ſe reddidit, corvis dapiſe-

piferis in quotidianum ministerium usus. Ex ea solitudine jussu DEI profectus, *Sarephtam*, Sidoniorum urbem, idolis addictam, elusis emissariorum oculis pervenit. In ipso urbis ingressu offendit in mulierem viduam, coccula ligna frustatim colligentem. In ejus se colloquium vates insinuat, extinguendæ siti frigidam, mitigandæ fami buccellam panis petit. Excusat illa extremam egestatem, quam triennalis agrorum sterilitas effecerat; neque plus farinæ in hydria supersesse, quàm quantum manûs pugillo capi posset: oleum quoque ad ultimas in lécytho guttas redactum esse: restare hoc unum, ut collectitijs ligni fragmentis focum excitet, & illas penoris reliquias sibi, filióque paret suo, ad imminentem mortis necessitatem tantisper remorandam. Hîc Propheta viam sequenti facturus prodigio, postulare, ut suæ priùs, hospitis, inediæ levandæ panem extemporaneum in prunis torreat, deinde propriæ, filique saluti consulat; neque enim vel hydriæ farinam, vel lecytho defuturum oleum, donec æther beneficas in terram pluvias effuderit. Mulier nihil cunctata, accelerat hospitalitatis officia; tantum panis è modica conficit massula, quantum satis erat non ad Eliæ modò, sed totius familiæ sedandam famem, miro repensæ charitatis fœnore, dum extenui penu, jugis deinceps annona flueret.

Ad hoc beneficium, accessit alterum, non minùs admiratione plenum. Filius ejus viduæ unicus ex ægritudine lethali decesserat; cùm bis orba mulier venit ad Eliam gemebunda, & lacrymis infusa; quepitúrque sibi vitæ ab eo servatæ, fructum ademrtum, filium, unicum orbitatis suæ solatium: dolores

res ex eo funere tantò acerbiores à se hauriri, quantò magis sibi sit conscia, illam mortis immaturitatem delictis suis deberi. Miseratus afflictam Prophetæ, susceptum de materno sinu parvulum defert in suum ipse cœnaculum, reponit in lectulo, in preces effunditur: Inde contractis ad modum pueriles corpusculi membris, os ori, oculos oculis, manus manibus, pedes pedibus componit, tertiúmque repetito incubitu, & inhalatione spiritûs, animam exanimi corpori reducit.

Interea trienniô ipsô sicca sterilitas cum idololatrarum pertinacia pugnabat; cùm Elias veri DEI cultum contra Baalitas asserturus, promittit Achaboregi, se riguas è cœlo aquas in agros devocaturum, si coram frequenti populo Baalitæ pseudoprophetæ ad unum omnes in Carmelo monte congregati, secum in disceptationem de Religione venirent, capitis suppliciô alterutri parti propositô, cujus sacrificam hostiam flamma cœlitus delapsa non cremaret. Confluit densè populus, rei noæ eventu suspensus; coguntur quoque Baalis Sacerdotes octingenti, quinquaginta. Experimentum Sacrificij, ut convenerat, bos in frustra sectus, strui lignorum ab ipsis imponitur; tripudia circa aram, inconditis cum clamoribus gyrantur: cultris & lanceolis inciduntur artus ab insanè debacchantibus; nullo tamen operæ successu. Nihil oritur flammæ, nihil fumi, amarum sacrilegis popis insultante Elia. A manè ad meridiem tenuit ea vociferationis & saltationis insania, cœlo nec imbrem dante, nec ignem. Itaque Vates duodenis è saxis, juxta tribuum Hebræarum numerum, aram ipse quoque erigit:

git: in ara ligna, & super hæc, mactati bovis membra collocat, aquâ largiter perfusa, ut è contrariis luculentiùs miraculum eluceret. Utque suspicio tolleretur fomitis igniarij sub altari, absconditi, fossam aræ circumducit, repletam undâ. Inchoatô vix sacrificiô, demissus è cœlo ignis momento consumit non victimam modò, sed ligna, lapides, & ipsam adeò lympham scrobi circùm effossæ infusam; ut tanti magnitudo prodigij magis percelleret adstantium oculos; mentésque ad Veri Numinis reduceret cultum.

Neque frustravit spes sua Prophetam. Attoniti rei prodigiosæ novitate præsentes, sternunt humi corpora, supplicésque Numinis æterni potentiam, cultúmque conteſtantur, ac devenerantur. Elias animorum promptitudine tempestivè usurus, auctor est Israëlitis, ut tandem agnitam veritatem in vindicias antiquæ Religionis vertant, manus injiciant in detestabiles Baalitas, cunctósque neci dent. Neque difficile fuit persuadere verbis, ubi jam facta quâvis linguâ potentiora præcesserant. Irruit concitata multitudo in sacrificulos, raptósque ad torrentem *Cisonem* [montis *Carmeli* radices alluentem] trucidat ad unum omnes, devolutósque in profluentem, ne scelesta cadavera terram & aërem inficerent, sepelit aquis; Achabô prodigijs territô, nihil contra Eliæ consilium, & populi conspirationem movere ausô, Impiorum sanguinem ruens cœlo pluvia diluit, agrísque fœcunditatem, mortalibus saturitatem & lætitiam reddidit.

Ea cæde intellecta Jezabel, in rabiem versa, nullum non lapidem movit, ut Eliam tantæ stragis auctorem

torem diriſſimis modis excruciaret. Quare fugâ ſibi conſulens Vates, peragratîs locîs deſertîs, forte ſub junipero conſederat, quiete vires refocillaturus. Ibi partim mœrore animi, partim laſſitudine itineris, cœpit ipſum vitæ tædere, & deſiderium ſubire linquendi terram tot ſcelerum colluvie impiatam. Languorem excepit ſopor: hunc diſcuſſit Angelus cœlo ſubmiſſus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulſa fame, relabitur in ſomnum, noctémque ſub junipero tranſigit. Redit iterum genius cœleſtis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô reſumptô ingrediatur iter longiùs, ſéque extra diſcrimen in loco tuto conſtituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibítque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impranſus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in ſpelunca quadam deliteſcens, Iezabelis inſidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœleſtem percipit, quâ jubetur extra ſpecum prodire, diſceréque, quàm providis DEUS conſilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipſos ſubverſurus & ſaxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concuſſit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas ſpargens. Subſecuta leni ſibilo ſpirans aura, & cum aura, radians è nube ſplendor, déque ſplendore ſonus allabens prænuntiánsque *Hazaëlem* Regem in Syria, *Iehum* in Iſraëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratotibus ſumendas. Ejus

rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem ſibi Eliſæum adſciſcit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Iſraelis mittit, (impatiens reprehenſionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatem comprehendendum & ad ſe adducendum. Credibile eſt, ad iram vindictæ, amorem vitæ acceſſiſſe, quam etſi conclamatam, armatis tamen minis à mirabilium patratore Prophetа, ſibi prorogatam volebat. Ad montem ubi ſuperbis cum mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari DEI inſpiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloſo, horribilíque ſpectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérque concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obſequiorum & precum demiſſione exitium à ſe avertit, Vatémque permovit, ut ſecum in regiam concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilem moriendi neceſſitatem non minùs animoſa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cum Eliſæo diſcipulo ad *Iordanis* littora progreſſus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere poſſet, pallio, quod erat ex villoſa pelle hirſutum, diviſit fluminis undas, & ſicco per medium pede tranſiit cum comite; quem quia diſciplinæ ſuæ ſucceſſorem conſtituerat, copiam ei fecit poſtulandi, quid quid luberet, in monimentum amicitiæ, & impoſiti oneris benè adminiſtrandi auxilium. Petijt is duplicem ſpiritum, miraculorum ſcilicet & Prophetiæ.

Dum

Dum eunt, dum colloquuntur, ecce nubes se offert in currûs & equorum igneorum speciem efformata, quæ inter utrumque super terram discurrens, Eliam subitò rapuit; statímque consurgens ventus, equos ac currum longiùs abstulit ab Elisæo, ultimum Magistro suo vale acclamante, & dejectum ejus pallium, entheúmque spiritum excipiente. Cœterùm Elias rediturus ad mortales est cum *Enocho* circa mundi finem, plurimísque à nefanda Antichristi secta revocatis, martyriô laureatus, Elysias sedes revisurus; interea in secreto quodam aëris, amœnóque secessu (S. Scriptor *cælum* vocat) vitam degit quietam, & jugi DEI contemplatione felicem. Ex quo loco, novenniô pòst, quàm à mortalibus recessit, epistolam ad *Ioramum* impium pijssimi Josaphati filium, & successorem sua manu scripsit: cum exprobatione detestabilis impietatis, imitationis Achabi, crudelitatis in fratres; adjectis insuper atrocium pœnarum, cladiúmque minis ac vaticinijs, in caput scelerati regis, irrevocabili Numinis decretô, non multò pòst exonerandis; quod divina historia memorat lib. 2. Paral. c. 21. Lubet hîc ex Saliano nostro apponere Epitaphium seu Elogium, ad limen Carmelitanæ speluncæ ab eo suspensum.

ELOGIVM ELIÆ.

HAnc aliquando speluncam incoluit, Viator, qui præter naturæ ordinem factus est paradisi colonus, & immortalitatis in mortali corpore candidatus: magnum illud Prophetarum lumen Elias Thesbites, in veste cilicina, in horrido ac neglecto

capillo, in Prophetico pallio, in melote, pellicea-que zona. Hoc ille solum rigabat lacrymis, has tenebras divinarum illustrationum copiâ efficiebat illustres; ipsum denique informe, olidúmque antrum precum suarum balsamo reddebat odoratum. Hic spiritum fervoris Vates hauriebat, quô decem Tribus sacrilegæ impietatis reas, duorum & quadraginta mensium sterilitate afflixit; quô impurissimæ vanitatis architectos, magos, ariolos, pseudoprophetas præstigiarum convictos, ad octingentos & quinquaginta morti dedit: quô profanum ipsum Regem in suam perniciem conjuratum increpuit palàm: & verborum pondere afflictum, ad saccum & cineres, infimámque compulit humilitatem. Hic ille est Elias, qui quadraginta dierum continentis jejunij prolusione usus, ad bis mille, quingentos, & ampliòs annos, jugem, ad hanc diem ac perpetem cibi, potúsque abstinentiam protraxit; ad illúmque protrahet diem, quo post rigata mortalium corda, tot mensium curriculô, quot olim terram sterilitate damnaverat, in conspectum se dabit, omnium importunissimi, cruentissimíque tyranni, Antichristi. à quo cum consorte prædicationis *Enoch* morti datus, post triduum redivivus recipietur in cœlum. Hic est, qui medios inter sonoræ tempestatis fragores, & concussos, flagrantésque in *Horebo* montes, suavissimæ auræ sibilum, operto vultu, attentus percipit; qui Reges ungit, ac Prophetas vindices injuriarum Dei; qui corda filiorum Dei convertit ad patres, imò ad omnium Parentem DEUM; & per medios iniquitatis torrentes, lectos Prophetarum & Religiosorum in Carmelo, totáque Cha-

Chananitide manipulos, sui æmulos atque imitatores instituit, ad cœlestem vitam, mundo ignotam ac contemptam traducendam adduxit; tot sæculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit; & ad hanc diem tot inter rerum, locorum, temporumque varietates constantes reddidit Magni Patriarchæ sectatores. Abijt ab hominibus, Iosaphati Regis Judæ Anno XIX. Mundi cIↃ. cIↃ. cIↃ. CXXIX. post Enochi translationem cIↃ. cIↃ. CLII.

NARRATIO LXXXII.

ELISÆUS THAVMATURGUS.

Lib. Reg. 3. c. 19. 4. Reg. 2. 4. 5. 6. 7. 13. Ab anno M. 3127. ante Ch. 926. ad ann. M. 3240. ante Ch. 849.

ELisæo natale solum fuit *Abelmeula*, urbs Tribûs Manasséæ, cis Iordanem sita, parenti nomen *Saphatus*. Rerum mirabiliter patrandarum omen fuit (quod S. Epiphanius, & Isidorus in vita Elisæi memorant) mugitus aurei vituli, Ierosolymis auditus, quo portendebatur, puerum idolorum exterminio natum. Antequam ab Elia in disciplinam adsciscerétur, rus colebat non modicum, quippe duodenis boum jugis possidendum. In eum arantem fortè Elias iter peregrè faciens incidit; útque hominem instituti sui Socium faceret & sectatorem, pallium ei injecit, & cum pallio ani-

mum, ſequendi hunc vitæ ducem. Eliſæus in morem Prophetæ inunctus, continuò relictis bobus, adjungit ſe Eliæ, id unum expetens, priùs ut liceat ſibi ultimum parentibus vale dicere; & quia non fit uxoris mentio, credibile eſt, ipſum nullis matrimonij vinculis irretitum fuiſſe. Perfunctus eô humanitatis officio, paríque boum in epulum amicis mactato; aratrô quoque coquendis cibis combuſtô (ut oſtenderet, ſe priori vivendi rationi prorſus renuntiare) in montem ſe Carmelum ad Eliam, perpetuus futurus aſſecla, recipit. Quô deinde in æthera translatô, ipſe prodigioſi hæres pallij, primum potentiæ ſpecimen edidit, quando hirſuta, quam à Magiſtro acceperat, pelle, Iordanem fluvium percuſſit, geminásque diviſum in partes, ſicus inambulavit. Steriles ſubinde ac noxias Iericuntis aquas, injecto ſale potabiles effecit, & fœcundas. Debebatur hoc beneficium ſupplicum precibus; at quæ ſequitur pœna, deriſorum petulantiæ.

Bethélem (oppidum tribûs Ephraimiticæ, monti inædificatum, aureóque Ieroboami Vitulo dedicatum regni Iſraëlitici limitaneum) fortè petenti, illudunt pueri malè linguati, tum per colles vagabundi, ſenile calvitium exſibilantes? eâ Vates offenſus procaciâ, magis autem parentum ſcelere, quibus neque Religio curæ, neque filiorum educatio, ſupplicium illuſoribus imperatur. Præſtò habuit evocatam Numinis vindictam; momentô citiùs gemini de ſilvis urſi prorumpunt, & duo ac quadraginta puerilium corporum in fruſta diſcerpunt, improbam linguam DEO per feras caſtigante.

Pue-

Puerorum cladem, haud paullò major virorum excepit. Rex Moabita, (Josephus *Misam* appellat) Israëlitarum vectigalis, sub id tempus defecerat, tributariam subjectionem excussurus. Quem ut armis in officio contineret *Ioramus*, tunc Israëlitici regni potens, adscitô in societatem belli *Iosaphatô* Judæ Rege; quique Idumæis imperabat, tertiô expeditionis sociô assumptô, movet in Moabitas. Ut imparatis superveniant, iter instituunt per Idumææ deserta, quà minimè exspectabat hostis. Septiduô jam progressus exercitus, cæpit vehementi siti laborare; In summa aquarum penuria Rex Israëliticus non veritus est, cum DEO ipso expostulare, quòd ternos Reges, cum ingenti suorum multitudine in extremam necessitatem (quæ stolido potiùs ipsiusmet, quippe copiarum Ducis, consilio imputanda) conjeciisset. Displicuit, ut par erat, Iosaphato, hominis impij querimonia; jubet igitur perquiri, num quis in exercitu Prophetes adesset, per quem quid faciendum, DEus posset consuli. Indicatur, *Elisæum*, Saphati filium in castris versari. Itaque ad ejus tabernaculum conferunt se Reges, consilium in rebus angustis petunt; Ioramus præcipuè Vatis responsum urgebat. Quem ille cum indignatione rejectum, jussit apud suos veridicos futura inquirere. Haud æquum esse, divina ut oracula impijs & indignis pandantur. Valuit tamen apud virum religiosum Josaphati pietas, ut accersito psalte, qui divinas laudes incineret, veluti quodam enthusiasmo correptus, opem ferret laborantibus. nam ubi pro vatis imperio, aridus torrentis alveus, in complures, profundásque fossas sulcatus est, tanta

repentè aquarum copia eas inundavit, ut & militi, & jumentis abunde ad bibendum ſuppeditaret. Rem miram mox alia conſecuta eſt. *Moabitæ* audito hoſtium adventu, in regni finibus occurrunt; & quia ſubitæ torrentis undæ matutini ſolis radijs verberatæ rutilabant; illi viſo colore ſanguineo, rati Hebræos rabie ſitis ſtimulatos, in ſemetipſos arma vertiſſe; impetum in hoſtilia caſtra velut ad paratam prædam faciunt. Confertim ſine ordine irruentes, excipiunt Hebræi, & ad internecionem cædunt. Vaſtata latè religione, obſidio urbi regni primariæ, quò ſe Rex Moabita cum paucis ſuorum receperat, admovetur. Erumpere tentantem, repellunt obſeſſores, & ad extrema deſperationis conſilia adigunt. Cúmque, quò ſe verteret, non haberet, commiſerationem hoſtis, ab atroci facinore captaturus, arripit filium natu primum, regni ſucceſſorem, productúmque in mœnia, inſpectante toto hoſtili exercitu, Dijs ſuis victimam immolat. Quare conſpecta Reges fœderati, humanam miſerati ſortem ſoluta obſidione receſſerunt.

Atque hæc ad ſalutem publicam pertinebant; quæ jam memorabimus, in privatam ſunt collata. Vidua quædam (uxor *Abdiæ*, œconomi regij, & in profligatos Prophetas benefici, de quo ſuprà, fuiſſe creditur) ære ſic gravabatur alieno, ut ſolvendo non eſſet, geminiſque filijs immineret, ſervitus à creditoribus imponenda. Hæc ſe ad prætereuntis commodùm Eliſæi pedes abijcit, & rebus afflictis auxilium rogat. Motus fœminæ lacrimis ſenex, pauxillum olei, quod in gutti fundo reliquum, ungendæ vix ſufficeret faciei, adeò copiosè juſſit fluere,

te, ut excipiendo vasa non supereſſent, etſi à vicinis non pauca ſuppeditata; olivitatem diceres autumnalem, quæ nexus non tantùm æris alieni, ſed totius angustias familiæ laxavit. Atque ſic cum libertate vitam Propheta conſervavit miſeris; nunc quomodo eam amiſſam reſtituerit, referemus.

Inviſurus ſubjecta ſibi Prophetarum collegia, ſolitam itabat viam per Iſſacharéæ Tribûs civitatem, cui *Sunæ* appellatio. Hîc matrona quædam virtutibus æquè ac fortunis prædita, perſuadet marito, Vati ut divino ſæpius illac tranſeunti cœnaculum exſtruat, reliquis ab ædibus ſemotum, ea ſupellectilis tenuitate, qua ſciebat Eliſæum delectari. Cúmque hoſpes jam frequentiùs diverteret, & de Symbola hoſpitali ſolvenda cogitaret, advertit, ædium dominis ab omni re inſtructiſſimis, unum aliquid ad felicitatem deeſſe; hæredem. hunc promittit hoſpitæ, vix ſe præ gaudio capienti, & fidem adhibenti; quam confirmavit paullò pòſt natus filius. Eam lætitiam haud multo pòſt tempore, par mœror extinxit. Trimulus puer ex ardore ſolis (nam ad patrem ruri cum meſſoribus agentem erat deportatus) malè habere cœpit, diémque ſupremum in ipſo meridie & genitricis gremio clauſit. Hæc non ignara, Prophetam æquè potentem eſſe in reddenda vita filij, quàm in danda fuerit, ad Thaumaturgum in Carmelum proficiſcitur, exponit luctum lacrimando potiùs, quàm loquendo. Permotus mæſtitudine parentis ſenior, famulum *Giezium* amandat, ſuo inſtructum baculo, ut eô cadaveri impoſitô animam in frigidos artus revocet. Subſequitur cum matrona Vates ipſe; recurrit in via famulus, nuntiátque, nihil

nihil virtutis in Scipione fuisse. Itaque Elisæus Sunam usque profectus, reperit funus in lectulo cubiculi sui collocatum; mox igitur incumbere pectibus & exanimi corpusculo; membra membris, Eliæ exemplô, commetiri; Et ecce! calefieri puer, aperire os & oculos, ducere spiritum, totus revivisscere, iterúmque parentibus renasci.

Post hæc Elisæus, suos ad discipulos revertitur in *Galgala*, (locum, Iordanem inter, & Ierichuntem urbem, interjectum) útque in communi famis calamitate, aliquod eis levamentum adferret, jussit herbas ruri colligi, in edulium famelicis; cumque accideret, ut is, cui hoc negotium erat mandatum, agrestes cucurbitas, quas colocynthidas vocant, decerperet, concisásque in lebetem immitteret, ac coqueret, ignarus insitæ amaritudinis; non cibus, sed venenum in mensam venit. abest palati tormento fames ipsa abhorruit; inspergit Elisæus modicum farris; & ecce, quidquid erat fellis, emendat, inque saporem suavissimum vertit, virtute condimenti non è terra, sed cœlo hausta. Cui miraculo mox alterum adjecit; dum viginti panum hordeaceorum penu, vix totidem hominibus sufficturô, virorum omnino centum famem explevit ita, ut etiam saturatis reliquiæ supererent. Aliàs cùm cuipiam è Prophetarum Collegio in succidenda pro ædificio materia, securis de manubrio in Iordanis undas fugisset; Elisæus præcisum, in manubrij formam lignum immittit præterfluenti; Et, ô mirum! rectè illud defertur ad fundum, & ad ferrum demersum, inque securis foramen ultro, atque ad lignatoris adnatat manum.

Plus

Plus etiam admirabilitatis habent, quæ deinceps memorabuntur. *Naamus*, vir ob res præclarè gestas imprimis charus Regi Syriæ *Benadado*, ejúsque militiæ princeps, fœdum in modum aspersus lepræ maculis, omnium oculos offendebat. Auxilijs nequidquam in arte medica perquisitis, ibi reperit, ubi non quærebat. In famulitio domestico Hebræa serviebat puella, nuper in bello abducta; hæc dominæ suæ narrat mira per Vatem Elisæum patrata; narrata ad maritum defert uxor. Ille impetratis abs rege commeatu, & commendatitijs ad Joramum Israëlitarum regem litteris, è regia Syrorum urbe *Damasco*, *Samariam* contendit, valetudinis spe recuperandæ. Benadadus, quòd magis postulare, quàm petere videretur, suspicionem movit, occasionis belli captandæ. Turbavit ea res vehementer Joramum; quem mox à timore erexit Elisæus, & hominis persanandi remediũ á potenti Numinis manu ostendit. Venit ergo Naamus cum equis & curribus, & stetit ad ostium domûs Elisæi; sed is ne quidem extra limen prodire sustinens satis habuit per internuntium (Giezium ministerium) significare, iret, & septies in Jordane tinctus illuviem corporis, scabiémque ablueret. Civit indignationem homini gentili inofficiosus nuntius, reputanti, *Abanam* & *Pharpharem*, patrios fluvios, non minùs limpidas quàm Jordanem, undas trahere, quibus lavari posset, si frigida morbum abstergeret. Reditum paranti, intercedunt famuli, útque imperium non grave sequatur, demissè, amicéque hortantur. Paret Naamus modestis precibus, & ablutione septies repetitâ, maculas omnes morbi, atque adeò vestigia; & cum

cum ijs patriæ superstitionis squalorem detergit. Oblata in postrum à discedente munera non minore constantia repudiavit Vates, quàm adventanti præsentiam suam negavit. Sed quæ herus sanctè recusavit, Giezius servulus ultro depoposcit, pœnam cepit cum munere; lepram Naamo absterſam, sibi suæque posteritati avita contagione contraxit; luémque tradidit per manum avaram. Huic, quod jam narrabo, cum admiratione, etiam lepos adjunctus est.

Benadadus, quod aliàs memini, Rex Syriæ perpetuus Israëlitarum hostis, dolô eos vinceret an aperto marte, perinde habens; cùm collocatas regi Joramo insidias, per Elisæi, nimis quàm oculatam sagacitatem, non semel elusas intellexisset, omnem hostilitatem in ejus caput convertit; mittit expeditam peditum equitúmque manum, quæ *Dothainum* oppidum (haud procul urbe Samaria remotum, ubi tum Propheta morabatur) cum homine, consilijs suis adversissimo, in potestatem redigat. Terror ingens oppidanis injectus, vim extremam metuentibus. In ea trepidatione ad herum suum Elisæum famulus (alius à Giezio, quem elephantiasis non à Prophetæ modò, sed communi hominum consortio exegit) accurrit, civitatémque ab hostibus circumsideri nuntiat. Inconcussus ea consternatione Vates, jubet bonô esse animô, & castra castris contraria intueri, simúlque ostendit ei montem, plenum curribus & equis igneis, cum insessoribus suis, utique Angelis, in auxilium contra *Syros*, è cœlo submissis: Eô spectaculô confirmatus minister, ultro cum Propheta extra oppidum progreditur, viámque

que intendit Samariam versùs ab hostibus maximè infestatam. Mirum dictu! Syri minaces occurrunt, & Elisæum de Elisæo sciscitantur, negat iste, rectam insisti viam hominis deprehendendi; quam si quærant, non defuturum se ipsis ducem. Nec multa, præit ille; sequuntur isti. Et ecce, dum procedunt strenuè, inhiantes prædæ; Subitum oculis glaucoma objicitur; deferuntur, Elisæo ductore, ipsam in urbem Samariam, maximè hostilem. Poterant telis impunè configi, vel gladijs contrucidari, ceu clausæ in cavea feræ, nisi pietas Elisæi obstitisset, quæ regi persuasit, ut in hostes arte non tam humana, quàm divina captos, animadverteret bene faciendo. Quare non jam ut hostes, sed hospites excipiuntur lautô conviviô, & post illud incolumes dimittuntur. Illi mirati & stupescentes sibi pro morte victum, pro interitu cibum, epulum pro pœna paratum, insolitæ beneficentiæ præcones discedunt in Syriam, pedem eò non relaturi hostilem, ubi omnia alia meritis, summa humanitas occurrisset.

Malè tamen fuisse collocatam gratiam, docent sequentia. Etenim non diu pòst, Rex *Benadadus* Samariam arctissima obsidione conjecit in extremas angustias, ut ne obscœnis quidem cibis, & humanis corporibus abstineretur. Ex sacra historia constat, caput asininum vænijsse octoginta siclis, seu 22. florenis Rhenanis, seu 660. sestertijs; libram stercoris columbini quinque siclis, (unô florenô & 20. crucigeris, seu 40. sestertijs) matrésque ad funestas filiorum epulas à fame compulsas esse. Inter eas calamitates Rex Israëlis *Joramus*, furore concitatus in Elisæum, jubet eum ad necem rapi, tanquam accersi-

tor

tor malorum esset, qui averruncator non fuerat; mox tamen mutata mente ipsemet Prophetam adit, & desperatissimis cùm eo questibus expostulat, ut cujus consilio retardata Samariæ deditio, cives ad ultima experienda adegerit. Mulcet exacerbatum animum placidis dictis Vates, promittit ingentem annonæ vilitatem in secuturam diem. Ei vaticinio fidem adhibentibus Rege, satrapisque; unus aliquis Ducum militarium non sustinuit cedere, sed ut vanum derisit. nec impunè. Postridie namque Syri, obsidentes urbem, repentino pavore perculsi, cùm putarent solvendæ obsidioni armatas copias à vicinis Regibus superveniisse; fugâ sese præcipites abstulerunt, panicum timorem in pectoribus, salutem in pedibus; hostem, qui nullus aderat, in auribus circumferentes. Ejus fugæ jndices fiunt viri quidam leprosi. At Ioramus insidias veritus, mittit equites duos, (fames enim cùm reliquas pecudes & jumenta, tum equos ita absumpserat, ut ex ijs non nisi quinque strigosi & malè habiti tota in urbe Samaritana supereressent] certiora exploraturos. Illi renuntiant, se viam Iordanem usque spolijs constratam reperisse : jacere sparsim arma, vestes, vasa, commeatum, quæ Syri, expeditiùs fugituri abjecerant. Ad eum nuntium Rex, populúsque incredibili gaudio completus est. Fit continuò Irruptio in castra, hoste vacua, prædâ refertissima ; nam quidquid rapinæ barbara manus ex omni Israëlitide convexerat, multitudini cessit in direptionem. Cæterùm cùm turba fame rabida confertissimè ad cibum rueret, Rex ad portam urbis constituit eum ipsum ducem, qui Vatis prædic-

tio-

tionem ludibrio habuit, ut proruentis impetum multitudinis cohiberet, ne se invicem conculcando obtererent: sed is, idem, quod prohibere debebat, passus, proterentium pedibus, juxta vaticinationem, interijt.

Anno demum M. 3240. ante Christum 849. Elisæus annis & meritis gravis (ætatis enim sæculum expleverat) post exhibita plurima divinæ mentis argumenta, non tam morbo, quàm senectute solvitur. Ad decumbentem invisens *Ioas*, Israëlitarum Rex, quamvis impius, pias tamen lacrimas spargere cœpit, & lamentari communem parentem, reique clypeum publicæ, cujus protectione Israëlitæ semper invicti adversus Syros, capitales hostes, evasissent. quem jam rebus in arctis futurum præsidio, quem in dubijs oraculo; quem Numinis iram, quem calamitates publicas, privatásque à cervicibus averfurum? optabilius esse, vitam cum ipso relinquere, quàm sine illo, cum acerbissima fortuna conflictari. His querimonijs levamentum adhibiturus Elisæus, afferri arcum postulat, & intendi; deinde eum, superpositâ suâ Regis manui manu, per fenestram orientalem, Syriam versus cum fausta apprecatione, præsagióque exonerari: rursúsque repetita jaculatione terram feriri; cúmque tribus emissis telis, Rex destitisset; poteras, inquit Vates, totum Syrorum regnum exscindere, si quinquies, septiésque sagittam retorsisses; nunc quia terna emissione contentus, cessâsti, totidem prælijs vinces Syros, & regionem patri tuo ademptam, recuperabis. Ita Regis mœror haud mediocriter est relevatus. Prophetes autem, simul Ioæ, discipulis-

que, jam per Israëlitidē propagatis, tunc morienti assistentibus, salutis monita: simul DEO beatum spiritum tradidit. Ioas etsi meliora doctus, cum veri tamen Numinis cultu, superstitionem vitulorum Ieroboami, ad imitationem Ioachazi parentis, sociare perseveravit. Adeò profundas radices agit pravitas, majorum exemplis irroborata, ut ne Dei quidem, quà minis, quà beneficijs trahentis, manum sequatur.

Elisæi porrò funus magno luctu, honoréque curatum est; corpus illatum Mausolæo, quale sanctimoniam ejus decebat, in modum speluncæ excisō; quíque vivus in signis edendis mirandus fuit, post vitam quoque à prodigijs non destitit; nam mortuus mortuum suscitavit. Cùm enim in funeris è Samaria elati pompam, latrunculorum Moabiticorum excursio subitum terrorem sparsisset, illíque, qui sandapilæ succollârunt, cadaver, in sepulchrum Elisæi, remotō, quo claudebatur, saxō, tumultuariè & raptim injeciſſent; res mirissima! è sacrorum ossium contactu corpus exanime statim revixit, inque pedes erectum, cum cæteris sese fugæ dedit, tantò ocyus, quantò mortis semel exantlatæ metuentius.

Adjungam hisce duo Magni Prophetæ elogia, quorum alterum Spiritus divinus Siracidi dictavit; alterum ex divina historia, gravissimus Annalium Scriptor, Jacobus Salianus, calamo exaravit. Prioris, hoc est; Eccli. 48. *Elias quidem in turbine tectus est, & in Elisæo completus est spiritus ejus.* (id est, Elias, turbine in cœlum subvectus est, & cum pallio entheum sectatori suo Elisæo spiritum pro hæreditate, reli-

reliquit.) *In diebus suis non pertimuit principem, & patientiâ nemo vicit illum.* (id est, nullius principis terror Elisæum ab instituti sui ratione dimovit. hinc 4. Reg. c. 3. Ioramo Achabi filio in faciem dixit: *si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Et lib. 4. Reg. cap. 6. de eodem intrepidus pronuntiavit: *Nunquid scitis, quòd filius homicidæ,* (nempe Achabi Nabothum lapidantis) *misit, ut præcidatur caput meum.* Auxiliares præterea Angelorum copias habuit 4. Reg. 6. *Nec superavit ipsum aliquod verbum, & mortuum prophetavit corpus ejus.* (id est, nullæ neque minæ, neque blanditiæ ipsum à recto dimoverunt. Declaratum in Naamo sanitati reddito, cujus munera ut reciperet, adduci non potuit, 4. Reg. 5. uti neque Benadadi Regis lib. 4. Reg. c. 8. *Mortuum corpus* dicitur *prophetâsse*, quia cadaver animando, sese prophetam probavit, etiam mortuus) *In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.* Ea, qualia fuerint, in præcedente Narratione retulimus. Salianum audiamus.

EPITAPHIUM, SEU ELOGIUM ELISÆI.

HIc situs est magni Præceptoris major, si vas est dicere, discipulus Elisæus, qui humili loco natus, ab aratri tractatione, ad nobilem animorum curam, ad Prophetæ scientiam, ad dignitatem, ad prodigiorum editionem evocatus, impios bellis,

obsidionibus, septenni fame, cædibúsque castigat: qui feras ad laceratione puerorum, in vindictam parentum vocat, turpísque lucri cupiditate sordidos, fœdissima, perennique lepra contaminat. Hic est, qui ad unam Prophetæ voculam, aut pallij injectionem, ad DEI famulatum incaluit, & patri, matríque valedicens, omnia in prolusionem Evangelicæ paupertatis, abdicavit à se, atque contempsit. Hic est, qui religiosæ paupertatis thesauro dives, egentes, obæratásque viduas, inopes prophetarum cohortes, adeóque copiosos militum exercitus, deserto in loco, siti enectos, divina benignitate locupletat: qui innumerabilium Religiosorum parens atque propagator, ea semina annis penè octoginta jecit, quæ superveniens Evangelij gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit. Qui ut populi sui clades prævidit, atque præluxit, ita ejusdem salutem ac libertatem moriens feliciter parturivit. Vixit annos C. atque eò amplius; in Religiosa disciplina XXC. sex Regum temporibus, Achabi, Ochoziæ, Iorami, Iehu, Ioachaz, Ioas. Annis VI. & LX. Prophetæ munere functus; eóque unà cum vita perfunctus est anno Ioasi X. Amasiæ Regis Iudæ VIII.

ante CH. ortum, DCCXIX.

Mundi 3204.

NAR-

NARRATIO LXXXIII.

JORAMUS JOSAPHATI, OCHOZIAS SEU JOACHAZ JORAMI FILIUS, REGES JUDÆ IMPROBI.

4. Reg. cap. 8. 9. 2. Paralip. 21. 22. Ab Anno M. 3146. ante Ch. 907. ad annum M. 3150. ante Ch. 903.

QUid mulier pellax in animum juvenilem possit, cùm alijs privatarum, publicárumque cladium exemplis docuimus; tum luculentum ejus rei documentum in *Ioramo* Josaphati filio, natu maximo, habemus. Nihil omisit parens optimus, quod ad institutionem successoris sui attineret. Hinc frequens ei monitor esse, DEO ut vivo & vero, inflexibili constantia adhæreret, detestaretur idola, & undique eliminaret; hinc enixè commendare amorem in fratres, charitatem in subditos; ostendere deteriorum exempla, tot funestis casibus implexa, proponere bonorum palmas, & decora per ævum victura. Sed quidquid demum moneret & instrueret, id omne in irritum cessit, dum illi incautus, & amicitiæ blanditijs evictus, uxorem sociat *Athaliam* Achabi filiam, mulierem ex asse nequam; de qua in Josaphato meminimns.

Collegam regni trienniô filium habuit Josaphatus: Hôc vivis exemptô, *Ioramus* solus imperiô potitus, ipsô statim dominatûs initiô in scelera, quæ re-

verentia, metúsque parentis texerat, erupit. Nec jam Rex, sed tyrannus, crudelitatis tirocinium fecit à cæde fratrum; quibus nomina *Azarias*, *Iahiel*, *Zacharias*, *Azarias*, *Michaël*, *Saphatias*; quos opibus auctos, regiâ fortunâ dignos, pater reliquerat. Verùm quia meticulosa & suspicax ambitio, Joramus diadematis hæres, ut sine æmulis regnaret, parricidales manus fraterna cæde cruentavit. Sitit enim tyrannis sanguinem, quem timet. Sed nihilo securiorem crudelitatem reddidit innocentum interfectio; fratrum cruore ebrius carnifex, ut se vindictæ metu liberaret, pari immanitate sustulit è medio nonnullos virorum Principum, quorum integritas & constantia ambitioni, & superstitionibus suis obstitura videbatur. Adeò tyrannis consuetum est, quidquid eminet, suspicere: quidquid suspiciunt, odisse, & quos oderunt, extinctos velle. Nec tamen mirum est, si tam sævus fuerit in mortales, qui DEUM immortalem sacrilegijs irritare non destitit. Excelsa, quæ pater diruerat, ædificavit; idola, quæ contrivit, erexit; & prurientes in cultus dæmonum, ipsâ scelerum licentiâ incitavit.

Non semper felix improbitas: Sic enim DEUS decrevit, ut, qui regum Iudæ furiosissimus haberetur, esset etiam infelicissimus. Concussus statim regni status, ex una parte, *Lobnâ*, urbe Iudaici regni potentissima, deficiente; ex altera rebellantibus Idumæis. Intus tamẽ, furenti Principi nihil resistere audebat; adeò terror liberas voces oppressit. Venit grandis & minax ab Elia epistola [quod suprà indicavimus] quæ infamen ejus vitam argueret, clades horrendas, & feralem morbum denuntiaret.

Non

Non vanus hic nuntius; nam DEUS, ut sacra historia refert, *suscitavit impium spiritum Arabum & Philistinorum*, qui statim ingentibus copijs in Iudæam exundârunt; eáque dirè vastatâ, gazas opulentissimas diripuêre; filijs quoque, & uxoribus in servitutem, miserandum in modum asportatîs; solô *Ochoziâ*, natorum minimô, eiúsque matre impia, *Athalia*, nescio quo fatô, cladi subtractîs. Ita barbara manus cæde filiorum Regis, fratrum regiorum Manibus parentavit; justô DEI judiciô, sed nihil apud obstinatum profecturô. *Ioramus* enim, suis ut sceleribus immoreretur, suísque funeribus superstes viveret, alvi doloribus cruciatus, & lenta tabe per biennium confectus, ita ut vitalia quoque mœrens, sed non pœnitens, egereret, sontem spiritum ægrè tandem emisit, anno sive regni, sive tyrannidis octavô; quadraginta haud ampliùs annos natus. Addita cineribus infamia, de qua Scriptura S. *Et non fecit ei populus secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.* 2. Paralip. 21. Grande Regibus monumentum, ut Dominatorem rerum omnium supplices agnoscant, & à proximorum, civiúmque cædibus, religiosiùs abstineant.

Reliquit filium *Ochoziam*, viginti duorum annojuvenem, haud sanè meliorem se. Nam & ipse, ubi regnantium attigit gubernacula, statim nefaria matre Athalia, & ab impuris, de ipsius Achabi Domo consiliarijs circumsessus, omnia impiè, stolidè, infeliciter gessit. Prima hominis hujus clades [ut multorum aliorum] à DEO defeciisse, secutum patris exempla, matrísque blanditas preces. Inde aversi ab eo piorum, fortiúmque animi, avi illiusIo-

saphati pietatem refloreſcere cupientes in nepote, Ex prava ſuperſtitione turbida mens, & in adminiſtrandis rebus præceps. Cùm expediret regni primordia, paci & ſaluti publicæ conſecrari, Martem ſuſcipit non ſuum, ſed *Iorami*, qui tum Achabi filius, & hæres Iſraëliticum regnum obtinebat. Pugnârunt ambo adverſus *Hazaëlem*, Syriæ Regem infeliciter: nam Ioramus multis vulneribus acceptis, coactus eſt *Iezraëlem*, curando corpori ſecedere; diſcedentem è caſtris conſequitur *Ochozias*, funeſtâ implexus amicitiâ.

Sævus interim utrique ludus apparatur, nam *Iehu* inter Iorami duces, animi ferocis, & inſtar flagelli, ad evertendam Achabi Domum, adhibitus, Ioramum ſagittâ transverberat; Ochoziam rei atrocitate commotum, & fugientem, in curru per ſuos confici jubet. Reportatur in patrios lares cruentum cadaver, ipſis etiam, qui oderunt, miſerandum. Ad hunc exitum poſt unius anni regnum, familiaritas Principis impij & peſſima conſilia, miſerum juvenem adegêre. Ita nimirum par filium decebat pœna, in vitijs à Patre non degenerem.

NARRATIO LXXXIV.

ATHALIA SANGVINARIA IVDAICI REGNI FURIA.

4. Reg Cap. *11.* 2. Paralip. cap. 22. & 23.
Ab Anno Mundi 3151. Ante Ch. 922. ad ann. M. 3157. ante Ch. 896.

Qua

QUa aspidis Iosaphatus fovebat, cùm Athaliam Achabi & Iezabelis filiam, in regiam induxit; inde statim sæva pestis, & ingens calamitas erupit. Nam mulier sceptro potens plùs sæpè audet, quàm Vir gladio. Justa tum Ochoziæ Manibus reddebantur, cùm mulier furoris impotentissimi Regnum invadit, & Thronum non aliter stabiliri putat, quàm si nepotes suos, *Ochoziæ* filios, adeóque Davidicum stemma totum, tollat de medio. Itaque regnum vi occupatum, vi & crudeli superbia administrat, vasta & promiscua cæde, quidquid erat regij sanguinis extinguit. In tam cruentas iras rapuit fæminam cupiditas dominandi; deinde metus supplicij; sola namque ex Achabi familia superstes, impurum ferro spiritum, juxta interminationem Eliæ, debebat. sexenniô tyrannis ea grassata fuit, nepotibus ex filio *Ochoziæ* cunctis crudeliter interemptîs, præter Ioam, anniculum infantem, aviæ truculentiæ, à *Ioiada* Pontifice clàm subtractum, uxoris industriâ & pia fraude, *Iosabæ* seu *Iosabethæ*) sororis Ochoziæ, quem sua cum nutrice in secretis Templi ædibus abscondit, aluit, educavit. Regnat interea Athalia gementibus omnibus, nemine recusante; tantus sævitiæ muliebris terror animos oppresserat.

Septennis jam erat puerulus Ioas, cùm Ioiada Pontifex, vir ingentis spiritus, & rarissimæ prudentiæ, doluit cives suos non tantùm à Regno, sed à servitute quoque degenerâsse, dum fæminæ tyrannicæ, & impietatis antesignanæ turpiter obsequerentur. Cœpit agitare grandia, & operosa con-

filia, de patria liberanda, & evertenda funditus tyrannide. Primates Regni, fortissimos tribunos ac centuriones, in secretum Templi seductos, postulata priùs arcani religione, eáque per jusjurandũ, ante conspectum DEI vivi exactâ, fidenti allocutione affatur.

Obijcit lugubrem regni statum, sacra detestabili cultu temerata, oppressa ferro jura, dominante contra patrias leges muliere, eáque extraneâ, de inimica gente, & idolorum cultrice. Nihil illi magis provisum, quàm omnia concutere, ut stet; omnia perdere, ne pereat. Et quid non dirum ab ab illa exspectandum, quæ à filiorum cæde regnum sit auspicata; deturbandam intrepidè de hoc rerum fastigio, antequam omnia cædibus & flammis deleat. Nondum esse, quod avidissimè ipsa cupiebat, Regium omne semen extinctum, superesse ex illa veneranda & æterna Davidis progenie, puerulum unum, legitimum Regem, quem potestati asserere, toto conatu deberent. In promptu rem esse; dimicandum contra mulierem, libidine & socordia pari; nihil illi ab Israëlitico Regno auxilij exspectandum, rebus nuperrima *Ioramí* [Regis Israëlitæ, cui cognominis fuit Iudæ Rex, de quo supra] cæde turbatis, ac penitùs confusis: nihil in hoc sperandum omnibus exosæ, & toties damnatæ. Exspectari tantùm percussorem, nec DEI defuturam pijs conatibus manum. Hæc præfatus, septennem jam infantem educit è latebris; ad cujus conspectum, veneratione omnes & lætitia perfusi, Sacramentum præstant, mori pro dilecto capite supra modum parati.

Tum

Tum Pontifex ordinem conjurationis pandit, & quem quisque locum obtinere, quid facere debeat, præscribit: arma quoque in Templo paratissima exstare monet; tantùm viri essent adversùs fœminam. Negotium imprimis Levitis committitur, qui magno numero ex cunctis Iudæ urbibus confluxêre, ut omnes Templi aditus, valida manu sepiant, neminémque, ne in atrium quidem exterius [quod Levitarum dicebatur] intrare patiantur. Atque, ut ne consiliorum aliqua suspicio ad Athaliam emanaret, ij, qui constituti erant in excubijs, vices mutabant, alijs atque alijs, tanquam ad ministeria Sacrorum succedentibus, ut non ad arma conjurata, sed ad Templi officia convenisse viderentur.

Dies lecta tanto facinori; & certatim omnes præstò fuêre. Rex puer acri custodia septus, in Templum ducitur, ornamentísque regijs indutus, Legisque Divinæ volumen manu tenens, inungitur, profusísque vocibus hæres sceptri Iudaici acclamatur. Tumultu excita, [regia namque domus erat Templo proxima] nec despondens animos Athalia, festinato gressu advolat familiari cum comitatu, & prætoriana cohorte: inter confusam turbam, clamorésque populorum, ad Aram [quæ in Atrio Leviticò posita] pergit, exclusis, jussu Ioiadæ, stipatoribus. Mox ubi *Ioam* sedentem in suggestu vidit, simúlque arma & tubas, chorósque Musicorum, attonita rei novitate, scindit furiosè vestes, & exclamat: *Conjuratio, conjuratio*! si fortè suos ad resistendum provocaret. Sed vocem contrà tollente populo, & novo Regi vitam ac felicitatem precante, Pontifex dat mandatum militum centurioni-

nibus, ut vociferantē, extra Templi septa abripiant, & interficiant. Extracta igitur è loco sacro, juxta palatium regium [ut ibi cæderetur, ubi peccârat] gladio, & cum ea, stirps omnis Achabæa tollitur. Inaugurato Regi, & in palatium cum festa pompa introducto, fides clientelæ præstita, fœdera mutuò renovata, simulacra Baalis deturbata, delubra diruta, Hierosolyma expiata, Templum instauratum, Religio restituta, ædes Sacræ, Regiæque fortissimorum virorum præsidijs munitæ, *Ioa* Principis optimi, *Ioiada* Tutoris, Patris, Pontificis munia cuncta strenuè exsequente. Scilicet authorem sceleris è medio sustulisse idem erat, ac religionem throno pulsam reposuisse.

NARRATIO LXXXV.

JOAS REX JUDÆ, INCONSTANTIS ET INGRATI ANIMI EXEMPLUM.

Lib. 4. Reg. cap. 12. 2. Paralip. cap. 24.
Ab Anno M. 3158. ante Ch. 895. ad annum M. 3196. ante Ch. 857.

OPtima spes educationis magna ex parte est penes Institutores, quorum vitia & virtutes in alumnorum mores influunt. Postquam magna omnium cum congratulatione & lætitiâ, *Ioas*, ut diximus, imperij Judaici sceptro admotus est, continuò cunctorum quoque votis expetitus *Ioiada* Pontifex, qui Regis infantiam, quique regnum administret,

stret, quod ipse præstitit integrè, sanctéque. Et primùm curavit, quod Regibus pupillis fieri solet, ut esset alta pax rebus; etsi non deerant incitamenta bellorum; nam eodem tempore *jehu* & per se, & in prole apud Israëlitas regnabat, à quo regis Ochoziæ fratres, & ipsius Joæ patrui, ferebantur occisi. Noluit tamen ob mala domestica bellum publicum accendere, sed privatas cicatrices felicitate populorum obduxit. Maluit tunc raptorem & homicidam ferre, quàm fatigatis bello animis, novis motibus obstrepere.

Nec dissimili Joiadæ consiliô, Joas *Hazaeli* fulmen eripuit. Erat is Rex Syriæ bellicosissimus, cui licèt impio, & domini (Benadadi) cæde cruentato, Elisæi oracula dominatum ingentem promiserant. Ibat, infestis armis & signis, Hierosolymam deleturus: Tum Joas juxta prudentissimi Pontificis mentem, nihil æquare ratus clades, quæ ex bellis tam exteris, quàm civilibus oriuntur, ingenti pecunia tum ex thesauro regis, tum Templi depromptâ, pacem pactus, à mœnibus suis diram pestem avertit. Omnem deinde operam navavit, in regno per religionem & justitiam constituendo. Mœrebant templi parietes, & DEI spolia ab impijssima Athalia direpta, Baalis fanum ornabant; destruxit sacrilegas ædes, dijs ipsis ruinarum pondere oppressis. Didrachmum, quod per Mosis legem, Templo quotannis à singulis hominibus destinatum fuerat, per injustos Principes derasum, & in bellorum usus detortum, restituunt Sacro Ærario Joas Rex, & Joiada Pontifex, missis undique Levitis, qui leniter exigerent. Arca quoque ad Templi fores constituta,

in

in quam quisque, quod vellet, pro Templi reparatione conferret; inde populo hilariter & effusè sua largiente, infinita pecunia congesta. Hanc à Sacerdotibus, & suo scriba numerari Joascuravit. Mox laboriosissimè sategit, ut sarta tecta templi instaurarentur, castigatâ etiam Sacerdotum, qui rem protrahebant, morâ.

Fecit igitur Joas ut (ait Scriptura) *quod bonum est coram Domino cunctis diebus Joiadæ Sacerdotis.* 2. Paralip. 24. Sed optimus senex, cui nihil deesse præter immortalitatem videbatur, anno ætatis centesimo trigesimo fatis concessit. Elatus est magnifico funere, certante in ejus honorem populo, & Regum sepulcris velut Regis pater illatus.

Post ejus obitum Joas ferè ex optimo, evasit pessimus. Depravationis exordium à Principibus & Aulæ proceribus, qui blanditijs & assentationibus permoverunt regem juvenem, (nam sextum supra trigesimum agebat annum) ipsis ut potestas fieret, ad imitationem instaurati templi Salomonici, *Baalim* quoque lucos, idola, fana restituere, & abolitos nuper per Jóiadam cultus, *Astartæ*, ceterisque diis suis reddere, ad amorem enim & benevolentiam Principi conciliandam, nihil valere magis, quàm molem eorum, qui subsunt, tractationem; ingenuosanimos ad obsequia non trahendos, sed ducendos, & cùm à natura comparatum sit, ut rebus charissimis maximè timeamus, qualis libertas est; enim verò sedulò considerandum regi, ne, si mentes suorum ulnius religionis limitibus circumscribere velit, timorem ijs injiciat servitutis; arbitrium sentiendi mortalibus à DEO concessum, humanis legibus infrin-

non debere. Id Ochoziam parentem, id avum oramum perspexisse; nihilque regiæ potestati aut everentiæ detractũ putâsse, si quemque suos vene, ari Deos, suas aras sequi permisissent. Joas partim ngenij facilitate, partim blandis Principum verbis delinitus, & in præceps actus, idolorum cultum non tantùm permittit, sed ipse quoque, prô pudor & ne-as! spretô DEI Templô, quod magnificentissimè nstaurârat, in superstitionem deflectit. Adeò suos affectus facilè transfundit in eos princeps, quorum speciosis obsequijs capitur.

Non tulit hanc vecordiam, qui cum eo adolevet, *Zacharias* Pontifex, Joiadæ filius, vir severis moribus, & intrepida mente. Is spiritu DEI concitatus, summo vigore contra Sacrilegos cultus detonuit. Inde Principes accensi, & Rex efferatus, eum in ipso templi atrio, ubi tum concionabatur, lapidibus obrui, indignissimè jubet. Nihil patris honor semper venerandus, nihil infinita beneficia, nihil vita Regis servata, nihil dignitas asserta, filio contulêre; adeò improba vis furoris fuit. Extremæ morientis voces exceptæ: *Videat DEVS, & requirat*; nec in irritum cecidêre.

Annô evolutô Hazaël, Rex Syrus, permodico exercitu immensam Judæorum multitudinem cecidit, Hierosolymam cepit, primarijs capitibus excisis, ingentem pecuniam exportavit. In Joam quoque regem Syri ignominiosissima exercuêre judicia, plagisque & contumelijs affectum, dein languore & mœrore confectum reliquêre. Tandem in invalidum, & morbo decumbentem, è primatibus duo *Zabat* & *jozabat* (putantur fuisse cognatione Zachariæ

riæ annexi) conſpirâ unt, eúmq; in lecto oppreſsêre, diro facinore, & adhuc Judaicis populis inſuetô, ſed vox ſanguinis Zachariæ tam immaniter effuſi, miſerum urgebat. Addita pereunti ludibria, ut Regum ſepulcris excluderetur. Grande Principibus documentum, ne ſacra, ſacrósque viros lædant. Nihil auſpicatius hoc rege, dum ſeptennis puer, per lætos populi clamores inciperet; nihil felici⁹ ejus vitâ per totannos, dum Joiada viveret, innocenter & honorificè peractâ. Nihil fine lugubrius, quem gladius cruentat, infamia proſternit. Denique ob Templum cœde & ſanguine Prophetæ pollutum, Oracula & reſponſa divina deinceps ceſſâſſe, tradit Epiphanius in vita Zach. & ex eo Genebrardus in Chronol. Finem regnandi fecit Joas annô principatûs quadrageſimô; qui an tot acerbis caſibus edomitus reſipuerit, incertum: nam ſævas calamitates deſperatio magis, quàm pœnitentia ſequi ſolet. Putat tamen Salianus, Ioramo, Joæ, aliísque eorum ſimilibus, diro morborum crucitatu caſtigatis, æternam ſalutem non abjudicandam. Nam orco deſtinati, & gravibus onuſti criminibus, ferè *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Job. 21.

NAR-

NARRATIO LXXXVI.

AMASIAS UNDECIMUS REX JUDÆ,

DEO Hominibúsque exosus.

4. Reg. 14. 2. Paralip. cap. 25. Ab Anno Mundi 3197. ante Ch. 856. ad 3225. Ch. 822.

OMnia ferè improborum etiam Principum initia læta & illustria, progressus contagione scelerum fœdantur. Nimirum nemo repentè malus est. Suum habent scelera tyrocinium, nec statim in summum erumpit nequitia. Amasias administrationem regni à Religione in DEum, & pietate in Ioam parentem, per insidias occisum, auspicaturus, interfectores ejus, meritis supplicijs affecit. nec tamen pœnam extendit in filios, quod Scriptura laudat, sed eam æquitate, non ulciscendi libidine definivit. Cæterùm repetitæ Israëlitarum de Syris hostibus victoriæ ac triumphi, Amasiam quoque excitârunt ad laudem è Campo Martio referendam. Nec defuit caussa belli. Recessérant quippe *Idumæi* à dominatu Regni Iudæ, tempore *Ioræmi* Regis, ante annos admodum sexaginta. Igitur delectu habito geminis in tribubus, Iudaïca & Benjamitica, conscribuntur è flore juventutis trecenta armatorum millia; ad eas copias adjunguntur centum millia virorum, quos Rex ex Israëlitis, grandi pecunia [centum talentis argenti] in militiæ subsidium legit. Cum tanto exercitu propediem

diem moturus erat in hostem ; cùm interveniens Propheta [nomen ejus in Sacra Historia non editur] jubet Amasiam Israëlitas à signis dimittere, neque enim licere pio Principi, per impios defendi. Mira Regis in re difficillima, animi modestia, & adversùs imperia divina subjectio. Acquievit voci monentis, non secus, quàm si ab Oraculo fuisset edita, exauctorat Israëlitas stipendiarios, præfatus, se ultro donare eis, quidquid mercedis nomine accepissent. Suam illi domum discedunt ; patrius miles contra Idumæos educitur ; magnô obsequij Deo præstiti emolumentô. Nam DEUS ut belli erat caussa, ita comes quoque fuit. Hostis ingenti clade prosternitur, decem millibus in prœlio occisis, totidémque millibus captis, & ex edita rupe [Divinæ litteræ *Iechebelem* id est, *Obedientiam* vel *exspectationem DEI*, vocant, ad denotandam caussam victoriæ] in præceps actis. Hæc strenuè & piè ; cætera impiè & stolidè.

Amasias tanti memoriam beneficij in lapide reliquisse contentus, DEUM, cui se, suáque omnia debebat, expellit è pectore, eóque dementiæ delabitur, ut victos, debellatósque Deos, ex Idumæis asportatos, sibi præ cœli Numine venerandos putaret. Reponit in larario domestico pudenda simulacra, eisque thura incendit, quæ flammis injicere, & meliores in usus conflare debuerat. in eam vesaniam præcipitavit hominem cùm insolentia ex rebus feliciter gestis nata : tum mali dæmonis ex idolis responsa dantis, fallacia. Ita factum est, ut & gloriam debellati hostis turpissimo idolorum mancipatu corruperit : & auxiliatricem Numinis dex-

dextram, in suam cladem armârit. nam paullò post sacrilega temeritas magnô ei stetit.

Initium vindictæ factum ab Israëlitis, qui ignominiam, cum militari missione accepisse rati, facto in regnum Iudæ impetu, latè regionem sunt depopulati, jumentorum magnô abactô numerô, cæsisque tribus colonorum millibus. Vates quoque, cujus monitu mercenarium militem dimiserat, gravis exprobrator accedit, quòd execrandos Idumæorum Deos intulerit Hierosolymis; eisque cœlestes honores impertiat, qui suis ipsi cultoribus, nihil afferre opis, nihil securitatis præstare ab armis Hebræis valuerint. Rediret igitur ad mentem, & nefanda simulacra flammis aboleret, seque tanti criminis detestatione, in Numinis offensi gratiam restitueret; nisi tristia quæque in suum caput provocare vellet. Sed furor & impietas præcluserunt aures, maximè salutaria suadenti. Impatiens veritatis homo sceleratus, iram, quâ vindictam de se debebat sumere, in Vatem vertit, eúmque à conspectu suo cum atrocibus minis reijcit. Sed nihil eæ terruerunt animum, DEI præsidio nixum; quin etiam minas minis opponit, & funestas scelerum pœnas impio capiti intentat, quarum eventus mox consecutus est. Nam dum furorum procerum consilia Rex prædivinis audit, bellô sese minimè necessariô, gravique calamitate involvit.

Inflaverat animos nupera de Idumæis victoria, stimulavitque, ad Israëlitas Iudaicæ terræ populatores, armis persequendos. Mittuntur, qui *Ioæ* tunc Israëlitidis Regi bellum denuntient. Is ad deprimendum *Amasiæ* fastum, contemptim in modum

apologi respondet: olim in monte Libano Carduum à Cedro petijsse, filiam, nuptijs cum filio suo jungendam; aliud verò responsum non impetrâsse, quàm ut immissis in Carduum bestijs, earum vestigijs proculcaretur. quâ parabolâ Ioas innuebat, ut Amasias omitteret grandes illas cogitationes de regno Israëlitico ad Iudaicum adijciendo; neque enim deesse sibi milites, qui belluarum instar, pedibus obterant Iudæos, in aciem prodire ausos. Quibus renuntiatis *Amasias* longè quàm antè concitatior, in bellum exardescit, DEO sic permittente, & infandæ superstitionis sacrilegia ulciscente. Vix in conspectum hostium erat ventum, cùm tantus repentè pavor & consternatio *Amasiæ* militem invasit, ut priùs quàm manus consereret, jam terga verteret: & alijs aliò diffugientibus, desertus à suis *Amasias*, in Israëlitarum potestatem veniret. Captivus *Ioæ* sistitur, [Carduus Cedro] & arbitrium victoris trepidus exspectat. Quem torvo vultu intuens Rex Israëlita, extrema quæque ei minatur, nisi mox efficiat, ut apertis Hierosolymorum portis ipse cum victore exercitu admittatur. Ancipiti malo pressus Amasias, quidvis vitæ postponens, persuadet Solymæis civibus, ut hostem in urbem reciperent. Ioas dirutis ad quadringentorum cubitorum spatium mœnibus, triumphantis more Hierosolymam invehitur, Amasiam ante currum in vinculis agens, documentum futurum posteris, non tam sævientis fortunæ libidinis, quàm vindictæ Numinis, sacrilegam perfidiam castigantis.

Expilatis Templi, regiæque thesauris, & obsidibus abductis, *Amasias* precariò vivere, regnaréque per-

vermissus, cristas haud parùm demisit, &, ut credibile est, à nefarijs superstitionibus, pœnitens criminum, recessit. Neque Ioas diuturnum victoriæ fructum tulit, quippe qui rebus feliciter gestis, Samariam reversus, eô ipsô annô diem supremum obijt. *Amasiam* verò jam contemptum, & omnibus odiosum, quòd temerariô bellô tantas patriæ calamitates accersijsset, & gentem suam, ante hac Israëlitis dominantem, nunc vectigalem feciisset, Proceres cum valida manu obsident in regia: inde clàm elapsus, fuga evasit *Laches*, urbem munitissimam; ibi temporum angustijs & conjuratorum vi oppressus, obtruncatur; útque Bono publico videretur occisus, corpus Hierosolymàm refertur, & in regijs conditorijs deponitur; postquam annos ætatis implevit quadraginta novem, regni viginti quatuor, relictô filiô *Ozia* sedecim annorum adolescente. Ita perfidiam desertæ Religionis, alia perfidia plexit; sceleribus omnibus viam aperuit *Amasias*, cùm unum idololatriæ admisit; frustráque speravit sibi homines fidos, qui perfidus fuerat DEO. Propiùs fidem est, caussam cædis ejus fuisse, sinistram Procerum persuasionem arbitrantium, pactum tributi Israëlitis pendendi, unà cum paciscente sublatum fuisse, pessimo exemplô, juris & in Regem suum & in fœderatos violati. Habent, quod discant, cœlo perfidi ex Amasia: sine lucro favores venatur hominum, qui Numinis aliquando gratiâ excidit.

NARRATIO LXXXVII.

IONAS MIRUS DEI PRÆCO.

Ex libro ejus Prophetiæ.

Anno Mundi 3216. ante Christum 837.

A Vindice Dei manu ne contumax fugias; asylum enim tibi nullum invenies, nisi fortè in ipsa pœna libertatem statuas. Circa vicesimum Amasiæ regnantis annum, vaticinijs claruit *Jonas*, filius *Amathi*, natione Hebræus, ex oppido *Gatha*, ditionis Zabuloniæ, cujus expeditionem in Urbem *Ninum* seu *Niniven* referemus. Quo tempore *Sardanapalus* libidinum omnium mancipium, Imperij Assyrij sedem in urbe Ninive habebat, datumè cœlo negotium est Jonæ Prophetæ, ut iret, & Ninivitis ad ultima flagitiorum prolapsis, excidium denuntiaret. Jonas veritus, ne scelerum pœnitudo vibratum fulmen extorqueret Deo, ipséque vanus territator in ludibrium & pœnas traheretur, alio quóvis potiùs, quàm *Niniven* abiturus, defertur *Joppen*, Mediterranei maris portum in Palæstina: conscensáque navi, *Tharsum* versùs, urbem, Ciliciæ nobilem, vela facit. Sequitur ultor à tergo DEUS; venti & procellæ in hominis pertinaciam pugnant, jámque nubes undique obductæ tenebris, diem involvere, cœlum omne turbari, mare furere, naves decumanis fluctibus concuti; ea maximè, quâ Jonas vehebat, proximum interitum minari. Discurrunt nautæ ad

officia trepidantes, vela subducunt tempesta-
& quidquid navigio videbatur onerosum, jactant
undas. Jonam malè sibi conscium interni magis
tumultus, quàm clamores nautarum, & procella-
rum fragores circumsonant; dumque quærit in ima
navi latebras, mœrore pariter ac sopore opprimi-
tur. Interea tempestas mandata fatorum peragit;
mittuntur sortes à nautis, inquiritur victima, irato
Neptuno in fluctus præcipitanda; nomen Ionæ ex
urna educitur. Confitentem reum, cùm nautæ
nequicquam tentâssent in terra exponere, vi tem-
pestatis magis magisque inhorrescente, ejiciunt in
undas, ceu piaculum & placamen iræ cœlestis. Res
mira! Aquæ, veluti lenitæ essent lustrali hostia, su-
bitò detumescere, ponere fluctus, cœlum & mare
tranquillari, nautis ad repentinam mutationem at-
tonitis, & Vero Numini vota ac sacrificia facienti-
bus, cujus potentia unius ob noxam hominis desæ-
viens, ministros vindictæ, ad nutum haberet ele-
menta.

Sunt qui tradant, cùm Ionas à Nautis, qui homi-
nis vitæ, parsum volebant, demitteretur collo te-
nus in aquas, rursúsque in navim reciperetur, toties
conquievisse fluctus, quoties ille mergeretur; ite-
rumque fremitu & furore efferbuisse, cùm sustolle-
retur; ideò naviculatores divinæ voluntatis certio-
res factos, noxium caput in pelagus excussisse.
Quod ubi factum est; ecce tibi! prægrandis adest
bellua marina, quasi satelles divinæ non minùs cle-
mentiæ, quàm justitiæ, quæ Ionam excipiat, e-
umque deglutiat ut vindex, servet ut custos. Triduô,
belluæ alvo, velut vivo carcere circumvectus est,

sepultus, antequam mortuus. Post illud temporis intervallum, Cetus remenso ad littora Ioppes itinere, hospitem suum multa precantem, voventémque revomuit incolumen, in terram. Qui jam è malis suis doctior, & iteratis DEI monitis obsequentior, iter in Assyriam arripuit, & ad urbem Niniven contendit, tridui itinere, seu viginti leucarum spatiô, in longum porrectam; cujus tertiam ubi partem concionabundus, imminentis excidij præco perambulavit, minacis fama Oraculi ad ipsius *Sardanapali* regis aures defertur; qui, tametsi perditissimus esset luxu, territus tamen denuntiatione propinqui interitûs, deponit insignia regia, imperatoriam purpuram cum cilicino sacco mutat, pro diademate capiti cinerem inspergit. Regis exemplum sequuntur Proceres, populúsque, scelerum pœnas à semet ipsis exigentes. Audiuntur ubique flebiles commissorum detestationes, supplices dolentium preces; vindices corporum macerationes placando cœlesti Numini adhibentur; triduanâ inediâ, sitíque, non sexus modò & ætas omnis, sed jumenta & pecora quoque affliguntur; eam afflictationem excepit quadraginta-diale jejunium, non nisi pane & aquâ, sub vesperam solvendum. Valuerunt tanta pœnitentium studia ad immutandum decretum Numinis; vertitur in misericordiam vindicta, suppliciorum minis succedit condonatio criminum, agnitione culpæ deletur pœna; Divini tribunalis sententiam mitigant suspiria, emolliunt lacrymæ, manúmque ad feriendum extensam reprimunt arida jejunijs ora, conspersa pulvere capita, horrida cilicijs membra.

Qua-

Quadraginta dies effluxerunt, quos ex Oraculo divino decretorios & fatales Ninivæ credebat Jonas. Egreditur itaque ex Urbe, cum incolis suis mox periturâ; conscendit altiorem collem circumfert oculos, spectaturus, si non excidium, ruinas certè aliquas Ninives. Dum sedet sub umbraculo, quod ipse sibi extemporaneum excitârat, dum præstolatur ignes cœlo volaturos, eruptura saxa, discessuram terram; neque tamen ullæ vel lapidum grandines, vel telluris hiatus, vel fulminum jactus sequuntur, ægrè habere cœpit, doleréque comminationes suas in irritum cecidisse; maluisset peri re nocentes, ne fides periret vaticinantis. DEUS medicinam facturus ægritudini, producit hederam folioso germine virentem; hæc tuguriolo supernè aperto inserpit textili fronde, lætámque supra Vatis caput, umbram explicat. Videbatur sub frondoso tentorio suaviter quiescere Jonas, & languor omnis ac fastidium in magnam lætitiam abijsse; cùm unica bestiola eam jucunditatem turbavit. DEUS enim pari efficacia virtutis officium docet, sive pro Magistro belluam marinam, sive repentem humi vermiculum adhibeat. Umbra, quam dixi, hederacia vix una die, noctéque tectum præstiterat Vati, cùm ad imperium DEI vermiculus prorepit, plantæ radicem erodit, simúlque hederæ virorem, & Jonæ voluptatem extinguit. Succedit solis ardor, & per denudatam tegmine casulam, radios in inquilinum immittit, tanta vi, ut pertæsus vitæ, Deíque patientiæ, cuperet ipse umbra fieri, & cespite tegi, quem nihil jam ab inclementia cœli tegeret. Hîc tum magisterium absoluturus, sua DEus ipse voce quærit ex

perturbato: Satísne cauſſæ ſubeſſe crederet indignationi ſuæ, ſuper caduci folij fluxum exardeſcenti? cúmque reſpondiſſet Ionas, meritò ſe iraſci beſtiæ, ſuas delicias depaſcenti. Tum DEUS: Et verò tu jacturam fluxæ herbulæ tam fers impotenter, quam neque plantâſti, neque rigâſti, neque culturâ ullâ affeciſti; quæ vix nata, vivere & virere deſijt; Ete-go radicitus evellam, evertámque Niniven, urbem longè populoſiſſimam, & ad iram meam avertendam, voluntarijs ſupplicijs deditiſſimam; in qua licèt reorum magna ſit multitudo; innocentes tamen nulliúsque ſceleris labe contaminatæ, plus quàm centies vicies mille numerantur animæ, quibus ob ætatis infirmitatem nullum lævi dextrique, nullum recti pravíque ſit diſcrimen. Et tu nimirum cauſſam habes excandeſcendi ob dejectionem umbratilis folij; ego fons & origo clementiæ, nullo ſenſu tangar everſionis & excidij tot millium mortalium? Hæc Deus Ionæ; qua permotione audientis, ſacris litteris haud proditur; veroſimillimum eſt, Vatem, ea rerum longiſſimè imparium comparatione in ruborem datum, conceptam indignationem in ſemetipſum vertiſſe, séque, judicíumque ſuum divino, obſequentiùs deinceps attemperâſſe.

Avertit igitur Ninive, tunc quidem, impendentem calamitatem: quam tamen, ad ingenium ex inolita flagitiorum conſuetudine reverſa, non effugit. Annô quippe à minaci Ionæ præconio, decimô ſeptimô, *Sardanapalus*, mortalium omnium effeminatiſſimus, dignum vitâ propudioſiſſimâ exitum habuit. Cum feminis muliebri vivebat ritu, re-

trice quavis corruptior ; parietibus ac tectis nequitiam occultabat ; quasi quicquam tam tectum esse possit, quod non dies proferat in lucem. Hunc igitur *Arbaces* Medorum præfectus, purpuram in puellarum choro nentem conspicatus, populo persuadet, ut fœminæ, sibi non ferendum imperium putent. Arma contra regem capit, minimè paratum ad resistendum, jàmque luxuriâ victum suâ. *Belesò* quoque Babyloniæ Præfectô, aliisque Ducibus rebellantibus, biennio Nini obsessus, tandem inundatione *Tigris* fluminis, muro labem passo, sibi desperans, gazas & opes, mulierum greges & eunuchorum, luxuriæ regiæ instrumenta, ac seipsum conjicit in rogum, idoneô sanè libidinis supplicio quæsitô. Urbs Ninive ab hostibus, ruinis & incendijs fœdè deformata, tantúmque non solo æquata [quod postmodùm per Nabuchodonosorem factum] triste exemplum extitit, quàm pervicaci provocatione inveterata libidinum turpitudo cum DEI Justitia depugnet; nec desistat antè, quàm misericordiam consumpserit omnem. Pudet verò, annis viginti, monstrum illud hominis, Sardanapalum Assyriorum Imperium tenuisse. Quod deinde Duces divisêre ; *Arbaci* Medo magna pars obtigit; *Belesò Babyloniæ* cessit ; *Phul* [alio nomine Belóchus] sibi *Nimum* seu *Niniven* sepositit. In quo & successoribus aliquot regnum Assyrium, licet graviter imminutum, stetit adhuc per annos centum; donec ad Babylonios, eversâ planè Ninô, translatum est. Æterno posteris documento, fortissima quæque à funesta carnis libidine exarmari.

NAR-

NARRATIO LXXXVIII.

OZIAS SEV AZARIAS.

Duodecimus Rex Judæ, leprosus.

EJUS SUCCESSOR, ET FILIUS JOATHAN.

4. Reg. 15. & lib. 2. Paral. 26. & 27. Ab anno M. 3226. ante Ch. 827. ad annum Mundi 3277. ante Ch. 776.

QUisquis aliena sibi temerè arrogat, suis plerumque excidit. Occisô Amasiâ, remisit se populi furor, & atroces etiam animos cœpit funestæ Domûs miseratio. *Oziam*, infelicis illius filium, mira conspiratione in thronum Davidis evehunt. Erat is adolescens annorum sedecim, ætate & ingenio gratus. Prima illi felicitas fuit, quòd *Zachariam, Videntem, Hominem DEI* [nempe Prophetam] Ioiadæ Pontificis nepotem, patri suo, quem suprà à Ioa interfectum diximus, cognominem & posthumum, in consilij principem allegit. Fuit hic regni spiritus, quem tot millia traxêre, à quo lacerati imperij reliquiæ paullatim compositæ, & pristini statûs fuligo detersa. Ac statim Rex, cùm Hierosolymam, urbem regiam, videret patere prædantium incursibus, munire eam aggressus, turres multas struxit. In turribus collocavit machinas diversi generis, quæ sagittas & saxa jacerent; constituit exercitum trecentorum septem millium, & quingentorum; quem omni armorum genere instru-

truxit. Arcem *Ailam* in finibus Idumæorum ædificavit, qua prædones vagos, & manu promptos sisteret. Subactis sæpe in acie Philisthæis, muros *Azoti, Gethæ, Iabniæ*, seu *Iamniæ*, Solymis infensos, deruxit. Ibidem sibi oppida munita, à fundamentis erexit; Arabas & Ammonitas debellavit; finitimas regiones partim nominis sui terrore, partim reverentia composuit. Et postquam alta pax rebus fuit, agriculturam, in qua fundantur regna, mirificè coluit. Vinitores in Carmelo monte, & alibi constituit; pro pecorum stabulationibus & pascuis turres excitavit; quæ futuræ, rei armentariæ ac pecuariæ curatoribus, non commoda tantùm diverticula & receptacula; sed frugum quoque conditoria: cisternas fodit, greges aluit, nihilque eorum omisit, quæ ad industrium patrem familias pertinerent. Fuit omnino bellicosus foris, domi sedulus; in providendo sagax, in gerendo navus, acer in exequendo, pompæ modicus, parcus verborum, utilium operum assertor, religionis avitæ tenax, & antiquæ probitatis amans.

Sed infinita propè decora magni Principis, miserabilis nævus infuscavit, quòd manum thuribulo sacerdotum admovit; autoritate namque prævalida, & longo rerum successu tumens, transilire positos à DEO limites statuit, & Saulis exemplum, qui illud sub Samuele attrectavit, renovare. Igitur regio non contentus diademate, Sacerdotum insuper ac Pontificum involare tentat munus & infulas, ingreditur templum, thuribulum præter morem arripit, thura super altare thymiamatis incensurus. Obstitit *Azarias* Pontifex, octoginta Sacerdotum globo cin-

cinctus; dehortatur à temerario cœpto: nefas esse manus profanas sacris admovere ministerijs; luculentis proditum exemplis, quantas pœnas dederint, qui ad Aras non consecrati accessissent. At Rex in iras efferveſcere, & mortis intentare minas, si odioſi esse pergerent. Irrumpentem in aras, illi nihilominus repellere; cúmque summa vi reluctaretur, & ad destinatum opus tenderet; desuper major vis cohibuit; extenta de cœlo DEI manus, audentem sacrilega, percutit leprâ, quæ fœdè in frontem sparsa, horrorem movit spectantibus. Rex prodigijs attonitus [nam eodem tempore Solymam horrendo terræ motu concussam esse, cum Hebræis tradunt S. Hieronymus & S. Cyrillus] de templo festinanter egreditur, impellentibus etiam Sacerdotibus, ut in solitudine positus lugeret, quæ in tanto hominum cœtu præceps admiserat. Itaque publica tractatione rerum abdicata, pulsis arâ, templô, soliô, privatis in ædibus, suimet exul regni, medijs non tantùm Ierosolymis, velut *in insulam deportatus*, extabescit. Finem vivendi fecit annò ætatis octavo supra sexagesimum, regni quinquagesimo secundo, si triennium ultimum computes, quô privatus vixit. Cadaver quoque horrori fuit sepultis Regum ossibus, extra quorum Mausolæum tumulatur.

Qui verô paterni regni primùm administrator, & collega; postea verò, morte patris, hæres quoque factus est *Ioathanes*: alienô doctus malô, sui genitoris infelicem *superbiam*, suæ *modestiæ* [per omnia felicis] habuit *magistram*: regnique sui decem & sex annis, sæculorum omnium promeritus est laudem, atque com-

men-

mendationem. Unum ad consummatam virtutem prætermisit, cùm, æquô timidior, *lucos* unà cum excelsis, arisque suis, dimisit inexcisos. In laudibus ejus numeratur, quòd regnũ componere studuit magis, quàm augere. Bellum unicum in Ammonitas gessit, non cupiditate prædæ, non amore gloriæ, sed securitatis affectu. Victos hostes tributis subegit, ac pressit, non ut insultaret, sed ut rebellandi occasionem submoveret. Ædificavit urbes, castella, turres, Templum illustri porta decoravit; totus in divinis, totus in rebus civilibus fuit. Sed in eo præcipuè commendandus, quòd patrem defertum ab omnibus, suo excepit sinu, nec languentis morbus illum sua fœditate deterruit, nec longa ætas fatigavit. Regnum, dum pater viveret, ut alienum consideravit, ut suum administravit, sine tædio filius, sine ambitione Rex, sine fastu Auricus, sine arrogantia Pater, sobolem magis timuit, quàm concupivit. Annô ætatis quadragesimô primô rebus humanis exemptus est, maturè quidem, ne sentiret acerbitatem fortunæ jam tum regno tempestatem minantis, quæ mox in filium *Achazem* erupit, Syrîs & Israëlitîs ultricia scelerum arma Iudaico populo inferentibus.

NARRATIO LXXXIX.

ACHAZ, REGUM JUDÆ SCELERATISSIMUS

4. Reg. 16. 2. Paralip. 28.

Ab anno M. 3294. ante Ch. 759. ad ann. M. 3309. ante Ch. 744.

IOA-

IOATHANI succeſſit filius, viginti annorum adoleſcens, *Achaz* nomine, patri, avóque longè diſſimillimus. Præceps ruit in idola, & infandos gentilium cultus, impietatis portentum ultimum. Hic primus omnium Iudæ Regum, adeò DEUM penitus ejuravit, ut, quod nec Salomon, nec Roboamus, & Abias, Ioramus, Ochozias, Athalia fecerant; ipſe nec alijs, Majorum Sacra permitteret, & ſaniora ſequentes, inſuper pœnis inſectaretur. *Baalis*, cæterorúmque Deorum ac Dearum fictilium ſtatuis & aris, urbes Iudæ cunctas, & Urbis principis Ieroſolymorum angulos omnes, per ſummam impietatem implevit. In *Tophet*, [vallis eſt Hieroſolymæ proxima, quæ à nomine, ejus poſſeſſoris *Ennon*, *Behennon*, aut Gehinnon, ſeu Gehenna dicta; ubi execrandæ & barbaræ ſuperſtitionis Antiſtites aram excitârunt, eámque idolo Molocho conſecrârunt] natum ex ſe puerum in brachijs ſtatuæ Molochéæ cremavit; filiorum cæteros per eandem traductos flammam, ritu barbarico luſtravit.

Hæſit nefandis ſupplicium peccatis. Primus, *Raſin*, Rex Syriæ, in eum fecit impetum, maximíſque calamitatibus affecit, vaſtata latè regione, & opimis ſpoliis, unà cum Rege, Damaſcum aſportatis. E captivitate reducem, & *Aila*, urbe nobiliſſima mulctatum, *Phacée* Rex Iſraëlitarum invadit, centum viginti millibus bellatorum interfectis: ex immenſa belli multitudine ducentis millibus, cum immenſa præda in *Samariam* abductîs. Quo tempore, Propheta quidam, *Oded* nomine, ſpiritus Iſraëlitarum inſig-

insolentes, & truces, gravi oratione repressit, percitque, ut captivos non solùm intactos & in colures, sed etiam cibo refectos, vestitósque ad civitatem usque Ierichuntinam, quæ non procul aberat Hierosolymis, deducerent.

Atque ut in bello primi successus hostilitatem, & spem majoris prædæ acriùs exstimulant; fit conspiratio inter Reges, memoratos: junguntur copiæ; omnibus viribus Hierosolyma obsidetur. Achaz, olim à DEO, tot nominibus à se abalienato, auxilium nec petere, nec sperare sustineret, animum adjecit ad Assyriorum manum advocandam. Consilium *Isaiæ* Propheta discussurus, Regem accedit, graviter eum à malè concepto proposito dehortatur, jubet spes suas potentiore in manu, DEI scilicet, reponere, & opem ab ea longè præsentiorem exspectare. Quod si vaticinijs & promissis suis minus fidei habendum putaret, paratum se ad ea signis prodigiosis, juxta Regis optionem, confirmanda. Sed nihil potuit apud animum malè conscium, Vatis adhortatio; quid enim [secum impius reputabat] mihi adjumenti è cœlo fingam? neque enim vel mea de Numine merita, vel illius erga me beneficia, sunt ita comparata, ut me in spes tam grandes inducere queant. Haud equidem otiosis victoria ab æthere in sinum devolat; pari robore opus est ad vim hostilem repellendam; fortunam quisque suam non in linguis vatidicis, sed in armata gerit manu. Itaque spretô Isaiæ consiliô, mittit legatos ad *Theglathphalasarem* Assyriorum Regem, suppetias ab eo postulaturos; non sine gravissima Numinis offensa, cujus auxiliarem manum aspernatus, ad hominis

impij præsidium, impius se convertit, cum privatâ, publicâque ruina.

Rex igitur Assyrius cùm demissis Achazis Regis precibus, tum magnis promissis illectus, sese cum ingenti exercitu infundit Syriæ. Qua re intellecta *Rasin*, Syrorum Rex, soluta obsidione Solymorum, cum infestis signis occurrit; conseritur prœlium; vincit Assyrius, Urbs *Damascus*, regni caput, occupatur & diripitur; Rex ipse cæditur; habitatores captivi in *Mediam* transportantur; Cúmque populabundæ Assyriorum copiæ *Samariam* quoque infestarent, *Phacée*, Rex Israëlita, relictâ Hierosolymâ, ad Regni sui defensionem accurrit, brevíque pòst per insidias interficitur. Ex eventu tâ prospero cur non consilia sua metiretur Achazes? Bonam cum extero Rege fortunam in regnum suum invitâsse, credi poterat, communi mortalium vitio, qui præsentibus intenti, futura non perpendunt. Sed Achazes magno perfunctus discrimine, in majus etiam incurrit. Nam seu gratiam captaturus, seu gratis acturus, in Regis Assyrij occursum, Damascum usque, ubi is cum exercitu victore resederat, contendit, Conservatorem suum Hierosolymam, triumphantis in morem inducturus. Auspicium benevolentiæ, munera fuerunt, ex auro & argento sacro, prophanóque corrasa. Quibus tamen irritavit magìs, quàm saturavit barbaram cupiditatem, hirudinis instar, non missuræ cutem, quàm sanguinem omnem exsuxisset. quod mox memorabimus; si priùs exposuerimus, quid in urbe *Damasco* Achazes rerum egerit. Hîc eò dementiæ venit, ut non Regem modò adulandum, sed Damascenos quoque

Deos

Deos sibi adorandos censeret. Ingressus idolorum templum, & aram contemplatus, non vulgari artificio confectam, cœpit ejus formâ capi, jam antè nefaria superstitione occupatus; ideam aræ mittit Hierosolymam *Uriæ* Pontifici, ad ejus exemplum imitandum. Pudenda res! paret Pontifex: altare curat exstrui, quod diruere debebat, siquis alius excitâsset. Redit post menses aliquot Ierosolymam Achazes, unà cum Rege Assyrio, quem summâ, quâ potuit, magnificentiâ deducit, & in urbe regia excipit; primus ipse, in ara detestabili, Rex simul ac Sacerdos Dijs Syriacis immolat, non tantùm nihil Uriâ, & Sacerdotibus, contrà nitentibus; sed insuper aram profanam ad Sacrificia Hebræa adhibentibus.

Cæterùm barbarus se Hierosolymis gessit, non ut socium & amicum, sed ut hostem & prædonem; pecunijs & opibus exhaurit templum & urbem; tributum grave imponit Regi ac regno. Achazes furore animi agitatus, indignationem, quàm in Theglathphalasarem non potuit; in DEUM ipsum per summam insaniem effundit. Templum Salomonicum quater direptum, tandem & profanatum, confractis vasis sacris, altari dejecto, obstructis valvis claudit, ut nec ipse cœleste Numen coleret, nec illud à quoquam alio coleretur. In foribus pœna fuit.

Vix enim Assyrij, ingenti præda onusti domum abjerunt, in Orientem; cùm Idumæi & Philisthæi ab Occidente prorumpunt, terrisque Iudæis ferro ac flammâ vastatîs, præter urbes aliquot captas, recuperant etiam *Getham*, *Azotum*, *Gazam*, *Ascalonem*,

Accaronem, nobilem Palæstinæ tractum, Achaze nihil neque contra movere ausō, neque valente. Is igitur tam animi, quàm pietatis inops, & insuper tributorum oneribus oppressus, post multiplices injurias DEO illatas, etiam in homines injurius esse cœpit; ad extremas enim fortunarum suarum incitas redactus, leges instituit iniquissimas condere pauperes, viduas, pupillos diris exactionibus vexare. Denique sceleribus suis immoritur, cùm trigesimum sextum ætatis annum ageret; [nam juxta Salomonem Prov. 10. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur*] cujus memoria non solùm infamis, sed etiam execrabilis præ omnibus Regibus Judæ, qui eum antecesserunt, utpote hominis, qui toto regni sui tempore impius fuit, & in eadem impietate diem clausit extremum; ejúsque magnitudine actus in rabiem, ferrum quodammodo distrinxit in ipsum DEUM, cujus aram, quod diximus, evertit, templum expilavit, sacra contemeravit, indignus Regum sepulchris: dignus gehennâ, quam infandis ignibus accendit. Successit Ezechias filius, annō ætatis vigesimō quintō, sanctissimus & religiosissimus Princeps: DEO providente, ut delicta patris Natus emendaret. Mirum, ex corruptissimo trunco, prodijsse ramum incorruptum.

NAR-

NARRATIO XC.

EZECHIÆ, REGIS JUDÆ, RELIGIOSISSIMA PIETAS.

4. Reg. 18. 2. Paralip. c. 29. 30. 31.
Ab an. Mundi 3309. ante Christ. 744. ad ann. Mundi 3337. ante Christum 716.

RArò tempestas sævit, quam non illicò mitior solis radius mitigat. Execranda parentis Achazis facta, successor filius *Ezechias*, Princeps longè optimus, quoad potuit, rectè factis emendavit. Principiô statim regni, quam ad res divinas mentem, sensibus insitam habuit & apportavit: eam omni populo suo, nullius obicis habita ratione, posuit in aperto. Nihil ei fuit antiquius, nihil in votis magis, quàm ut collapsam religionem restitueret, &, quæ superiorum Regum, & parentis proximè concussit impietas, instauraret, solidarétque. Quare quidquid fovere poterat superstitionem, & ad impium cultum incautos & ignaros allicere, illud undecunque locorum removendum & perdendum curavit. Impij patris vix dum infosso cadavere [quod ipse quoque vetuit, meliorum Regum sepulchris inferri, miscerive] primo gubernationis anno mensèque, Calendis Martijs, occlusum ab Achaze templum recluſit, apertis, reparatisque, quas pater deformârat, valvis. Altare reposuit, quod à parente remotum, locum fecerat Damasceno, nefarijs Sacris dedicato. Idola, simu-

lacrorum aras & lucos ac delubra locis omnibus, non Iudææ solùm, sed paullatim & *Samaritici* regni destruxit, contrivit, exussit : cineribus ac bustorum sordibus cæteris, in *Cedronem* rivum, aliósque profluentes alibi, sparsis & abjectis. In his & *serpentem* illum confregit æneum ; à Mose quondam benè, Numinis imperiô, propositum, & è sublimi monstratum ; sed processu sæculorum, malitiâ Hebræorum, versum, in superstitiosum, sacrilegúmque cultum. Quippe non thus duntaxat adolebant ei, ceu morborum depulsori DEO ; sed illius etiam, aliásque similes, aut dispares, incisas saxo figuras & imagines, in spiræ, vel aliam quamcunque formam ductas, abscindebant, abradebántque : collóque suspensas, adversùs valetudinum omne genus, circumferebant ; tanquam post ista, DEO, precibúsque morbos avertentibus jam non indigerent : utpote, nec ulli deinceps necessitati, nec usui futurîs. Sustulit igitur Ezechias, Colubri priscum illud simulacrum. Pari quoque sollicitudine [siquaf-des est Eusebio & Anastasio Nizæno] scrutatus est Rex ; siquid in libris esset Salomonicis, super plantarum, omnísque generis animantium naturâ, morborúmque remedijs ; quod in superstitionem pronis Judæis, irritamentum esse posset ad magica conse-ctanda Sacra. Quidquid autem generis ejus reperit : totum illud & edicto sustulit ; &, quà potuit, factis abolevit.

Non contentus tamen, noxia submovere ; super hæc, etiam universa, quæ valerent ad Religionem DEI priscam, tum reducendam, tum etiam amplificandam, excogitavit ac perfecit. Ipse dimissis in

mor-

omnem Chananitidem, & tabellarijs, & præconibus; ad Paschæ, vetustate pœne jam collapsi, quàm exactissimè peragendam solemnitatem, Israëliticum omne nomen invitavit. Ipse, suismet ut plurimùm impensis, illius ejusdem festi cæremonias, omni cum populo, non octo solis [sicut veteri receptum more fuerat] sed quatuordecim ipsis diebus, obivit alacriter. Idem, evocatos ex Iudæ: Benjaminíque, quin & Ephraimi, Manassísque tribubus mortales; eádem Paschæ celebritate, largis epulis excepit: ac religione summâ divinis operatos, denique domum quemque suam remisit; fictilium Deorum, & omnis impietatis odiô conjuratô plenos & ardentes. Ipse restituto, sicut olim sub Davide, ministeriorum Leviticorum ordine; nequid ad Antiquæ Religionis ornamenta deesset, instrumenta concinnavit musica, quæ statis in templo temporibus resonarent. Ipse restituit *Iuge sacrificium*, cæteráque suo cum apparatu, Sacra. Quóque Divinis alacriùs omnes, & ex animo, vacarent, dispensatores constituit; qui suâ, principúmque, totiúsque populi liberalitate, sacris ærarijs illata munera, largitionésque, Sacerdotibus ac Levitis, cum fide dispertirent: & ad diem, annonam sacram admetirentur. Fecit denique, quidquid ad DEI veri gloriam ampliorem, crederet esse conducturum; Ad cujus voluntatem rationes omnes suas & consilia referebat: in cujus leges & honorem unicè intuebatur, longè posthabitîs iis, quæ captat vulgarium animorum aut infrenata cupiditas, aut præceps ambitio.

Pro quibus meritis, quantùm Ezechiam invicem & DEUS extulerit: argumento, tum alia complura, tum victoria, prodigiáque circa Regis incolumitatem esse possunt; quæ cuncta, non de vulgo fuere, Numinis in eum beneficia; à nobis, sequentibus narrationibus referenda. Cæterùm tantus in divinis cùm esset, non fuit tamen civilibus curis impar; circa ærarium sedulus, infinitas congessit opes, quas nulla vis extorsit, sed partim industria peperit, partim effusus civium amor obtulit. Urbes alias munivit, alias à fundamentis extruxit, annonæ, & fontibus, cæterisque populorum commodis solertissimè ab eo provisum; nec pauperes neglecti, quos acerba tempora penitus exhauserant. Militiam quoque instruxit, bello paratus magis, quàm intentus. Primus omnium divinis innixus opibus, Assyrium rupit & fœdus, & jugum; quod tanti pater ejus Achazes, formidine servili fecerat: ut illud omni tum sacro, tum prophano thesauro, turpiter egesto, redimendum sibi persuaderet. Cum gente deinde Philisthæa, semper adversùs DEI populum insolente, & pro mobilitate ingenii, adversis æquè ac prosperis Iudæ casibus, inquietâ, prœlio congressus, eam fudit, profligavit: eruitámq; castris, & prœda grandi; maritimis urbibus atque castellis, omníque circumcirca ditione, victor nudavit; victam stipendio, servitutéque multavit.

Cùm autem post hæc Assyriorum imperator *Sennacheribus*, ruptum ab Ezechia fœdus, negatúmque stipendium, bellô vindicaturus, in Iudæam irrupisset: ac non solùm copijs peditum, equitúmque longè maximis, sed maledicis insuper in DI UM re-

gém-

gémque verbis, Ieroſolymitas in terrorem ultimum conjeciſſet: DEUS Regis, & Iſaiæ vatis precibus, Davidísque præterea grata recordatione provocatus, Angelum cœlo demiſit: qui noctu barbarorum aggreſtus caſtra, centum & octoginta quinque millia fortiſſimorum militum interemit; ac Sennacheribum, cum decem haud ampliùs comitibus ſuperſtitem relictum, turpem in fugam avertit; æquam Regis cauſſam, quam tyrannis impugnârat defendente cœlo; id quod fuſiùs jamjam proſequemur.

NARRATIO XCI.

EZECHIAS ÆGROTANS, ET PRODIGIOSE CONVALESCENS.

4. Reg. cap. 20. Iſaiæ 38.

Anno Mundi 3322. ante Chriſtum 731.

SCeleri tributum ſolvere libera virtus detrectat. PoſtSardanapalum cum omnibus luxuriæ inſtrumentis, in rogo deflagrantem, Aſſyrium imperium Duces diviſerunt, uti narravimus in Iona. *Arbaci* Media & Perſia, Beleſo Babylonia, Phuli Ninus ſeu Ninive ceſſit, in quo & Succeſſoribus ſpecies quædam imperij Aſſyriaci manſit per annos centum, donec id ad Babylonios, eversâ planè Ninive, translatum eſt. *Phuli* ſucceſſit *Theglathphalaſar* filius, qui luctuoſa cæde Iſraëlitas affecit, vaſtata penitus regione, captivísque abductis ingenti numero. Eodem genitus, *Salmanaſar*, recuſante tributum pendere Iſraëlitico ſeu Samaritico Rege *Oſea*,

Samariam regni sedem obsedit, expugnavit, Israëlitas omnes, in quibus Tobiam cum familia, Ninum in captivitatem deduxit. Salmanasari vitâ functo, subrogatus *Sennacheribus*, cognomento *Sargon*, tributariam, in Iudæos quoque Reges, tyrannidem, quantò patre ferocior ac tumidior, tantò constantiùs & imperiosiùs exercere perseveravit.

Quæ principiò quidem ab Ezechia, Solymæo Rege, tacito cum dolore tolerabantur; ubi verò rerum indignitas & insolentia crevit, excutiendum suis à cervicibus Assyriacum sibi jugum existimavit. Igitur consueti tributi stipendia Sennacheribo solvere detrectat, divina sibi, humanáque ad bellum sustinendum præsidia multò antè præparat, Ierosolymam præcipuâ diligentiâ firmat, ac communit operibus, milite, commeatu, & introductis in urbem subterraneis aquarum canalibus. Sennacheribus ob negata tributa immensum diversis ex gentibus exercitum in terram Chananitidem ducit, complures urbes capit, evastátque, infestus non hominibus modò, sed DEO quoque. Fastú ejus inflabant victoriæ varijs in provincijs per Duces relatæ, tanto omnium terrore, ut Ezechias quoque argenti talenta trecenta, & auri triginta [faciunt duos milliones, trecenta, sexaginta duo millia librarum, seu florenorum Gallicorum, singulos, viginti sestertijs computando] exactionis nomine penderet; collectîs in eum finem undique thesaurîs; valvîs quoque & laminis aureis, ita necessitate cogente, Templo detractîs.

Eâ pecuniâ receptâ, non stetit pactis barbarus. Mittit è Ducibus legatos Ierosolymam cum militari manu,

manu, qui deditionem suaderent ; Legatorum cæteris ferocior *Rábsaces*, per internuntios Regem Ezechiam, [ad colloquium enim venire, vel hostes in urbem intromittere, detrectabat] & ipsum etiam Hebræorum DEUM superbè, sacrilegéque insectatur. Ezechias interea DEO per preces & hostias placando intentus, ab *Isaia* Propheta, Numinis interprete, spe successûs optimi completur, promissa Ierosolymorum securitate, & Assyriorum contrà interitu. Rábsaces cum legationis socijs, postulatorum irritus, ad Regem suum redit. Qui cognitâ Ezechiæ in abnuenda deditione constantiâ, totis exercitûs sui viribus ad oppugnandam Ierosolymam accingitur. Sed retrahit ab eo proposito nuntius, de *Tharaca* Rege Æthiopum, adversùs Assyrios exercitum ducente. Contra quem maximis & ipse cum copijs festinat : missîs priùs ad Ezechiam iteratò mandatîs, de Solymorum deditione : litterisque in DEum blasphemis, & in Ezechiam arrogantibus ; quas ipse litteras, & causſam suam in Templo, cognoscendam DEO committit, fervidîs in cœlum supplicationibus effusîs.

Inter hæc, dum Sennacheribus apud Ægyptios & Æthiopas sursum omnia deorsúmque versat, Ezechias implicatur morbo gravissimo, ulceris intestini, lethiferóque pure collecti ; quod humanis artibus immedicabile, non per homines tantùm medicinæ peritos, sed per oraculum quoque divinum, Isaia denuntiante, declaratum. Ei morbo causſam suppeditâsse creditur turbatus ab Assyriorum armis ac vastatione, Iudææ status ; & , qui Ierosolymam nuper, imprimísque Regem ejus, à Sennacheribi minis

minis circumvallavit, terror; in corporis, uti fit incommoda, peſtémque ſe diffundente trepidantis animi ſolicitudine. Nec parùm ægritudinem promovebant, contumeliæ Divinæ Majeſtati per barbaros illatæ; quibus acceſſit occultior providentiæ cœleſtis ratio, clientis ſui virtutem, infirmitate tam experientis, quàm illuſtrantis. Divus Hieronymus exiſtimat immiſſum Ezechiæ à DEO morbum, ne de victoria, adverſus Aſſyrios triennió poſt obtinendâ, inſoleſceret. Hæc ut ut ſe habeant, gravis & periculoſa invaletudo attinebat Regem. Ad decumbentem inviſit Iſaias, DEIque, ſummi Dictatoris nomine, jubet ad abitum ſe parare ægrotantem. Indicta ſupremæ neceſſitas horæ, largas Regi lacrimas, preces, obteſtationes expreſſit; altùm ingemiſcenti, telam ſibi vitæ in ipſo ætatis vigore [quintum & trigeſimum agebat annum] præcidi; moriendum ſine liberis, ſine hærede [*Manaſſes* enim nondum erat natus] qui promiſſum Davidis ſolium occuparet, qui genus ad venturum Meſſiam extenderet. Pondus habuêre gemitus. Redit juſſu Numinis Vates, pollicetur non liberationem tantùm ab hoſtibus, ſed integram quoque valetudinis reſtitutionem, intra tridui ſpatium; In confirmationem adjecta prodigij, ceu pignoris, ſponſio.

Placuit ſiderum & aſtronomicæ diſciplinæ perito, ſignum è cœlo petere; quódque petijt, DEUS indulſit: Ut, quot in *Achazis* horologio [id ab eo ſacrilegè ex altari templi æneo conflatum, tradunt aliqui] gradibus, umbra radij ferrei regrederetur; totidem etiam diei partibus in cœlo ſol retrocederet; quare, cùm per decem umbra lineas ſub ipſum meri-

meridiem retroageretur in solario, seu horologio Sciatherico, sole quoque pari se intervallo, cum orbibus cœlestibus, aut certè orbium sideribus regrante, accesserunt ad consuetas diei horas quinæ, fidémque fecerunt ægroto recuperandæ valetudinis; quam etiam mox reduxit cataplasma ficuum, ulceri superimpositum; salute, quindecim insuper vitæ subsequentis annis accumulatâ. quanquam inficiandum non est, plus divinæ virtutis in illa medicina, quàm naturalis efficaciæ fuisse. Eô DEus ostentô palàm fecit, & terris se dominari, & astris; tantique à se unum probum fieri hominem, ut non dubitet ejus in gratiam naturæ leges immutare. Ezechias ex integro consanatus, nihil habuit priùs, quàm Soteria Numini in templo persolvere, ejúsque beneficij memoriam compositô à se carmine eucharistico posteritati consecrare.

NARRATIO XCII.

SENNACHERIBI, REGIS ASSYRIORUM STRAGES.

4. Reg. 19. Isaiæ 37.

Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.

AD propriam ruinam festinatò pervenit, qui impotenter graditur ad alienam; documento est *Sennacheribus*. Qui, ubi superbi victoris partes, variæ crudelitatis exemplis apud Ægyptios

tios & Æthiopas implevit; jámque nullius nomen, gentibus illis terribilius esset, quàm Assyrij Regis, & exercitûs ejus, repetita adversùs Iudæos expeditione, Palæstinæ sese, cum equis, viris, armis, quadrigarúmque bellicarum multitudine infudit. Quacunque ferebatur, fœda locorum ubique miserandáque facies. Qui suas ubi copias propiùs Ierosolymam admovit, tum verò pars populi major ac deterior, non lacrymas, non questus, non lamenta continere; adversùs Regem *Ezechiam*, ejúsque Vatem *Isaiam* quiritari, deditionem urgere, urbem cotitionibus & turbis miscere. Rex contrà cum Proceribus, & meliore parte civium, cilicino pœnitentium habitu, DEO supplicare votis ardentissimis, cinere capita perspergere, in pavimentum corpore, vultúque se abijcere; turbidos, & turbatores, quà verbis ad tempus accommodatis, quà minis iræ divinæ propositis castigare. Cúm interim Assyrij epulis ac vino, profundissimum in somnum provoluti, totis passim campis collibúsque sparsi, sub tentorijs & dio sterterent.

Jámque nox adultior cœlum & terram obtexerat, cùm missu Numinis Angelus, spississimas inter tenebras, in Assyria descendens castra: momentô temporis, solô cum paucis exceptô Sennacheribô, barbarorum universum circa Ierosolymam delevit exercitum. Ferebantur deletarum tot simul animarum millia [nam centum octoginta quinque millia ceciderunt] in profunda Tartarorum: adhuc ignorantium quomodo, vel quonam funeris auctore occidissent.

Modus

Modus porrò tam atrocis interfectionis à Scripto-re Sacro non traditur; potuit Genius Percussor singulorum cervices, & maximè somnô stratorum, unico statim ictu resectas, in mortem absolvere; potuit cum violentia repentè vel spiritum inrercludere: vel compressione corda elidere; potuit suscitatis & immissis incendijs intestinis [quod non paucis videtur factum] unico temporis puncto sigillatim ac viritim, Assyrios in cineres ac favillas redigere, salvis per prodigium armis, atque vestimentis: cadaveribus autem simulacra & facies hominum animâ carentium foris retinentibus. Clades hæc non antè patuit, quàm omni demum nocturna depulsa caligine, sol reductus diem, & dies rerum omnium faciem aperiret. Sennacheribus manè postero experrectus, frustra suos ad ministeria solita præstolatur, inclamat, quærit. Oculis tandem suismet credere coactus, videt exercitum suum altiore quadam vi, internecione deletum. Idem pauculi nonnulli adhuc superstites [non plures erant densi] ab Angelo relicti, Regi nuntiant; & ad fugam incitant. Quibus accquiescens, eorum in comitatu, relictis omnibus, celeriter & ignominiosè suam repetit Assyriam. Quorum strage & fuga per exploratores compertâ, Solymæi catervatim urbe egressi, prædam inveniunt longè maximam, diripiunt, asportant, avehunt. Eáque tam se ipsum quisque, quàm Regem Ezechiam, præ cæteris ditant, DEOque prodigiosæ victoriæ datori meritas grates persolvunt. Sennacheribus Niniven reversus, omnium in se odijs jam antè concitatis, tumultuantium seditione exterritus, ad delubrum con-

confugit, dúmque idolo suo *Nesrocho*, de filijs suis duos, natu majores, *Adramelechum* & *Sarasarem* victimam humanam, votô promittit; ab ijs, consiliô patris cognitô, ad ipsam aram trucidatur. Parricidæ in Armeniam profugi, *Assaraddoni* natu minimo, regnum reliquerunt; quô deinde victo cæsôque à *Merodacho* Babyloniornm Prætore, Imperium Assyriacum penitus est eversum, vastata Ninus, & *Merodachus* [seu *Berodachus*, & nomine regio *Nabuasor*, privatô *Baladan*] Babyloniorum, totiúsque Orientis Dominus evasit. Ita tyrannus tyrannum subjugat, & potentia scelere parta per aliud scelus opprimitur. Vaticinium Isaiæ fuit cap. 33. *Væ tibi, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse spernêris?*

NARRATIO XCIII.

EZECHIAE OSTENTATIO A DEO PUNITA.

4. Reg. 20. 2. Par. 32. Isa. 39.

Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.

NOn rarò laus, quæ in rebus adversis efflorescit, in secundis corrumpitur; & qui feroncientem repulit hostem; blandientem non cavit. id Ezechiæ evenisse, narratio hæc ostendet. Rebus Assyriacis immensa clade prostratis, *Merodachus*, hactenus Sennacheribi, in Babylonia Prorex, aut certè vectigalis, vicariam potestatem convertit in absolutum dominatum, liberúmque sibi regnum, contractâ cum alijs regibus amicitiâ, stabilin

cæpit. Unde factum, ut etiam ad Ezechiam legationem expediret, partim ut Regi gratularetur valetudinem recuperatam, regníque tranquillitatem; partim ut exploraret ostenti cœlestis causas; nam ima prodigij, solis scilicet viam retrò legentis [quod toti mundo commune factum] apud Babylonios imprimis inclaruit; partim, ut Regem ad mutui fœderis nexum invitaret; non sine splendido munerum additamento. Delectatus est adventu Legatorum Ezechias, quippe à magno se Principe honorari sentiebat, videbátque delatam ultro amicitiam, magno sibi præsidio fore adversùs quamvis hostilitatem. Ut verò ipse quoque majestatis aliquod regiæ specimen Babylonijs exhiberet, non temperavit sibi, lætitiæque suæ, Rex alioquin modestissimus, quò minùs opes regias universas, quas ex præda Assyria mirum quantum instruxerat, auxeratque: & se ipsum insuper barbaris ac profanis illis aperiret, improvida simplicitate. Aurum, argentúmque copiosum; unionum ac gemmarum, & aromatum peregrini pretij thesaurus ingens. Abacorum vasa plurima, magnóque constantia: refertissimum castrensibus instrumentis armamentarium: olei, vini, frumenti divites apothecæ. Pecoris, ac jumentorum & gregum vis innumerabilis: urbes regni validiores, aut ex integro recentes conditæ: aut muris, turribúsque, si quà concidissent, instauratis repositæ. Lethales sanè divitiæ, quas nec celare tutum, nec proferre. Hoc facinus [ut sanè facillimus est ab ostendente transitus ad ostentantem] jactantiæ non omnem speciem evitavit. ac tametsi veniâ dignum; DEI tamen incurrit re-

prehenſionem, & Iſaiæ Vatis in ſeros poſteros præ-
ſagas minas; futurum quippe, ut, quos erat genitu-
rus liberos; & theſauros, quibus intumeſceret,
Babylonij in terras ſuas prædando deportarent. A-
deò DEUS ſuos, quantò majores efficit, tantò cu-
pit in ſeipſis contractiores. Elucet hinc divinorum
ſeveritas judiciorum, quæ, cùm ad graviſſima im-
piorum ſcelera, non rarò conniveat; minoribus
proborum delictis acre ſupplicium conſtituit. Hos
enim, ut Auguſtinus loquitur, hîc urit, hîc ſecat,
ut ibi parcat; Illis hîc parcit, ut æternùm cruciet.
Severo Numinis decreto, mira ſe demiſſione Rex
pientiſſimus ſubjecit, id unum obteſtans, vindicem
vellet DEUS manum ſuſpendere, vitæ tempore, ab
ejus ſibi clementia conceſſæ. Obtinuit, quod ro-
gavit; poſt exactos quindecim indulgentiæ cœle-
ſtis annos, in alta regni optimè conſtituti pace, ex-
tremum, diúque prævisum clauſit diem, apparatè
ductis exequijs, Majorum conditorijs illatus; Æ-
tatis anno quinquageſimo quarto, regni vigeſimo
nono; Mundi trigeſimo ſeptimo ſupra ter millen-
mum, trecenteſimum; ante Chriſtum, ſeptingen-
teſimo, decimo ſexto. Fuit peſſimi patris natus
Sanctiſſimus; & peſſimi nati pater Sanctiſſimus; nam
Manaſſen genuit, quô pejorem, ſi finem demas,
nulla vidit ætas. Perquàm ſanè mirabilis vicissitu-
do rerum, ex ſpinis roſam, è roſa ſpinam,
lucem ex tenebris, tenebras ex luce
ortam eſſe.

NAR

NARRATIO XCIV.

UTRIUSQUE TOBIÆ MULTIFARIA VIRTUS, ET FORTUNA.

Ex libro Tobiæ.

Potissima contigerunt ab Anno Mundi 3315. ante Christum 738, ad ann. Mundi 3335. ante Christum 718.

RECTÈ cecinit Venusinus Vates, justum & tenacem propositi virum nil unquam mente quatit solidâ. Tobias Senior, patriâ Galilæus, tribu Nephthalæa, familia non ignobili ortus, castæ religionis à puero cultor, maturitate morum annos supergressus, procul habuit animum ab ijs rebus, quibus puerilis ætas delectari solet; impietatis præsertim osor acerrimus, execrabatur nefariam superstitionem *aurei Vituli*, quâ plerique Israëlitæ, in quibus ipse fuit, insanissimè tenebantur; & ne quid contagij sibi, suisve afflaretur; ab hominum improborum consuetudine non secus, quàm à veneno abhorrebat. Ardua res inter malos bonum esse, & in media pestilitate, nihil luis contrahere. Etiamnum puer, orbatus utroque parente, sub aviæ *Deboræ* sanctissima disciplina adolevit, & contribulium plerisque idolorum delubra frequentantibus, ipse Ierosolymam se ad Religionis arcem conferre solebat, avitis ibi, statisque Sacris adstiturus, & frugum primitias, decimásque pensurus.

Cæterùm ea tempestate, quæ totam Israëlitidem oppressit, Tobias quoque involutus est. Cùm enim *Oseas*, Israëlitarum seu Samaritarum Rex, [quod suprà quoque meminimus] vectigal anniversarium *Salmanasari*, Assyriorum Regi, exolvere renuisset; hic cum validissima peditum, equitúmque manu, regnum omne Samariticum pervagatus, obsistente nemine, prædas, incendia, quæque cætera belli licentia secum affert, exercebat. *Vitulum* item *aureum*, qui *Bethele* jam solus restabat, dejectâ columnâ, cum cæteris sacris, profanisque spolijs asportavit: Ut adeò miserrimis Israëlitis Numen superesset nullum; quippe qui DEUM verum jam à se proscripsissent: & nunc Deos, etiam falsos amisissent. Pervastatô verò, magna celeritate, nec minore passim clade, regnô *Salmanasar* eodem adhuc anno, qui fuit *Oseæ* septimus, & *Ezechiæ* Iudææ Regis quartus, belli vim omnem in regni caput *Samariam* [Ægyptio Rege *Suâ* suppetias pactas altùm dissimulante, contra spem Oseæ] convertit. Hanc omnibus copijs circumsessam; postquam armis, viris, machinis, ac ballistis, fame denique quibusvis tormentis bellicis potentiore, diutissimè, sed frustra fatigâsset tanta murorum firmitas erat, & oppidanorum intus obstinatio] post triennium tandem expugnavit; Oséam vivum cœpit; captum in catenas & carceres, ut plebejum ac servile caput, compegit: urbem diripuit: incolis arma detraxit, ac libertatem. Omnibus denique, quorum caussâ venerat, in regno Samaritico compositis, ac sub arbitrium suum redactis; Regnum ipsum Samariticum, quod sub Israëlitici nomine, uti suprà indicavimus, ducentis annis

annis & quinquaginta steterat, funditus evertit: Regémque, compedibus, ferreisque manicis onerátum, custodiâ quidem eduxit; sed in arctiorem aliam, secum trahens in Assyriam, conijciendum dedit. Quibus in vinculis Oséas, non ut Rex, sed ut exempla novissima meritus *flagrio* consenuit, atque consumptus est. Ne verò supererent in posterum, qui more suo Reges, ubi non invenirent, è corpore suo, per factiones suscitarent; indéque nunquam finis & modus fieret adversùm Assyrios, in populo seditionum amantissimo rebellandi: *Salmanasar*, quidquid electioris aliquantò populi superfuit, quod non aut in Iudæam, aut trans Iordanem, ad Moabitas & Arabas, aut in speluncas denique profundásque silvas, fugâ se recepisset; in Assyriam primò secum transportavit. In *Medorum* deinde regiones, urbésque; nominatim autem, *Halam* & *Háborem*, aliásque flumen *Gozanem* [seu *Araxem*] adjacentes, eos trajecit. Qui deinde fabulosi pulveris aut palearum instar, è vaticinio Mosis ad *quatuor cœli cardines*, *& Ventos* difflati. Vicissim in regnum Samariticum coloniæ deductæ, improbæ, sacrilegæque nationes; progeniem Israëliticam, quæ Salmanasaris manum effugerat, colluvione sua, mixturáque corrumpebant. Edocti postea legem, cæremoniásque Mosaicas coloni illi: in impietate tamen sua nihilo segniùs pergebant: singulæ gentes, singula sub simulacris suis dæmonia barbarica venerantes; ut tandem nomen esset infamiæ, *Samaritam*, hoc est, partim *Mosicolam*, partim *Cacodæmonum* cultorem esse.

Sed ad *Tobiam* redeamus; qui inter alios, quos dixi Captivos, unà cum *Anna* uxore, & *Tobia* filio anniculo, *Ninum*, in urbem regiam, abductus est. Atque ut virtus in hoste quoque probatur, & barbaros etiam oculos ferit probitas; Tobias brevi apud Salmanasarem, eum gratiæ locum invenit, ut ob perspectâ fidem & industriam rei præficeretur Oeconomicæ, quod ille munus non minore integritate gessit, quàm beneficentiâ, in miserorum & exulum commoda convertit. Postea verò quàm *Salmanasaris* successor *Sennacheribus*, barbara crudelitate in Israëlitas, maximè post acceptam ab Angelo Percussore cladem, sæviebat, passimque interfectorum cadavera in sterquilinia, viásque publicas abjecta, miserandum oculis spectacnlum præbebant. Ibi tum Tobiæ se pietas præclarè exeruit, in conquirendis occisorum reliquijs, & corporibus terræ mandandis. Quo nomine Regi delatus, ad cædem ipse quoque deposcitur. Non repertum verò [quoniam virum hunc propter mores sanctos, tam suis, quàm exteris amabilem, ipsi quoque *Ninivitæ*, cum uxore, filióque parvo celabant] tyrannus domò, fortunis, ac proscriptione multat. nec erat alius pœnæ titulus, quàm quòd improbissimo sub Rege, pæne solus ipse, probitate contenderet super omnes eminere. Dies porrò novemdecim hæ Tobiæ latebræ tenuêre, cùm inter hæc Ninivitarum adversus Regem suum orto jam pridem murmure; postea-que paullatim, ex ejus in captivos innoxios crudelitate, magis ac magis increbrescente: res ad seditionem tandem, &, è multorum conjuratione privata, publicas ad turbas spectare cœpit; eóque demum

eruperunt odia, ut ſuismet à filijs homo crudelis jugularetur. Redijt ad domum, & priſtinas fortunas, ac officia charitatis Tobias, egentium & afflictorum portus, & commune perfugium: interemptorum verò nobilis veſpillo; quorum ipſe cadavera, furtiva pietate rapiens, quæ interdiu ſuis in ædibus texerat, medijs de noctibus ſepeliebat, non ſine amicorum acri reprehenſione, quòd plus curæ ſuſciperet in componendis mortuis, quàm in ſervandis vivis; Tobiam tamen nullæ vel inſectationes, vel pericula à funebri officio dimovere potuerunt.

Fortè accidit, ut eo humandi labore fatigatus, reveniret domum, ſéque ad quietem componeret, oculis, animóque, in cœlum priùs intentis. cùm ex hirundinum nido delapſæ ſordes, utriusque luminis uſum abſtulerunt. Orbitas illa oculorum, cujus ipſe tam patiens erat, quàm ſtudioſus ſepulturæ, adeò rem turbavit familiarem, ut ei utcunque ſuſtentandæ noñ aliud eſſet fulcrum, quàm textrices uxoris manus; cujus propterea, amicorúmque exprobrationibus aures viri patientiſſimi non leviter vapulârunt. Ille tamen immotus, felicitatem ſuam, tolerantiæ legibus metiebatur, Annum jam quartum cum cæcitate, paupertate, ac propinquorum cavillis, improperiísque luctabatur, ætate [ſexageſimum agebat annum] & multis ærumnis confectus. Inſtitit igitur, à DEO finem vivendi petere, ea voluntatis in divinam transcriptione, totus ut ab illius pendéret arbitrio, cujus devinctum obſequijs ſpiritum à prima pueritia ducebat. Inter ſuprema, ut credebat, hortamenta, & præceptiones pietate pleniſſimas, filium *Tobiam* commonuit de

pecunia [decem erant argenti talenta, noſtrate moneta, floreni Rhenani octies mille] apud *Gabelum*, contribulem, *Ragibus*, civitate *Medorum* habitantem, depoſitâ, & juxta cautionem Syngraphæ, recipiendâ; iret igitur, & itineris adjunctô ſibi Sociô, fidóque duce, pergeret in *Mediam* cum chirographô, & reveheret argentum concreditum. Morigerus ad omnia filius, promptus obtemperat mandatis; nullâ interpoſitâ morâ in forum provolat, quærit viæ comitem ac ductorem; citò offendit in juvenem facie perquam liberali, accinctum itineri, perſonatum Angelum, qui ſe *Azariam* appellabat, cùm in cœlo audiret *Raphaël*. Adducitur is ad Tobiam patrem: de nomine, gente, domo, viarum notitia rogatur; cúmque ſe per omnia probâſſet ſeni, ſpémque feciſſet brevi recuperandi viſûs, filiique ſalvi & incolumis reducendi; ſuſcipitur profectio, dicitur vale parentibus, haud mediocriter ex filij diſceſſu mœſtis, matre præſertim, unicum ſenectutis ſuæ ſolatium ægrè à ſe dimittente, & fauſta omnia cum marito diſcedentibus precante.

Prima profectionis die *ad Tigrim*, fluvium delati, ubi diverſorio ſucceſſerunt, Tobias ſimul fatigationem, ſimul pedum pulverem abſterſurus, egreditur ad amnem. Hîc ſubitò aquatica bellua caput undis effert viſû terribilis, ſerratis dentibus, oculis in ſummo vertice fixis, ore inter oculos hiante, *Calionymus* ſeu *Vranoſcopus* piſcis fuiſſe creditur. Qui dum fauces immanè diducit, jam jam invaſurus juvenem, & in alvum abſconſurus, Tobias inſolito partim belluæ aſpectu, partim periculo imminenti territus, anxius opem comitis implorat. is conſterna-

natum animat ad audendum, jubet balænam branchijs fortiter apprehensam ad ripam extrahere, sepositóque in medicinam *corde*, *felle*, *jecinore*; quod reliquum esset piscis, assare, saléque conditum in commeatum accipere. Strenuè jussa peragit Tobias, capit piscem, eviscerat, & in usus præscriptos servat, mirâ Numinis providentiâ, remedium diversis malis, ex fluviali præda parantis.

Hunc in modum cibarijs instructi, cœptum prosequuntur iter, mutuis illud sermonibus levantes; argumentum præbebat virtus variè salutaris viscerum dissecti ceti. Inter ea colloquia deveniunt *Ecbatana*, metropolin *Mediæ*; divertunt apud *Raguelem* quendam, inter alios ex Chananitide in ea loca transportatum. Excipiuntur multa humanitate, docet enim miseria succurrere miseris,& Mosis lex, peregrinis benigna; fit scisitatio de patria, de familia, de parentibus; agnoscitur filius *Tobiæ*, non Tribu tantùm, sed sanguine quoque conjunctissimi. Itur in gratulationes, in complexus, in oscula, in lacrimas, quas *Annæ* comprimis Raguelis uxori, & *Saræ* filiæ dulces elicuit cognati, primáque specie rapientis oculos forma juvenis. Igitur properantur officia, parantur epulæ, accurantur cætera, quæ in adventu chariſſimorum fieri solent. Antequam discumberetur, Tobias cupidior, sponsæ, quàm cibi, quippe à comite sibi laudatæ, promissæque petit de Angeli consilio, matrimoniô sibi copulari *Saram*, unicam *Raguelis*, & *Annæ* filiam. Cohorruit ad eam petitionem parens, qui sciret, quô fatô septem mariti, Saræ deinceps conjuncti, tumulũ in thalamo reperissent, occulta spiritûs stygij manu suf-

focati ; quare veritus, ne idem cognato sanguini, primô flore juventæ vernanti, contingeret, distulit annuere, tacito plura gemitu, quàm voce locutus. Hîc Angelus, nuptiarum conciliator, jubet timorem ponere, connubiali vinculo Tobiam & Saram securè colligare ; quorum pietas & pudicitia innoxium esset redditura thalamum, hominum intemperanti libidine flagrantium interitu funestatum. Quid multis ? Tanta vis orationis erat Angelicæ, ut Raguel morâ, metúque abjecto, Tobiæ filiæque manus & connubium jungeret, solennique formula sponsis cœlestes favores apprecaretur. Scribuntur connubiales tabulæ, dos despondetur, sponsalia dantur, nuptiæ geniali convivio celebrantur,

A sponsis in thalamum ubi secessum est, Tobias memor moniti, quod ab itineris comite acceperat, partem jecoris de pisce exenterato prunis imponit ; &, quod mirum, fumo, nidoréque, utique arcaniorem è cœlo vim trahente, libidinum incentorem cacodæmonem, *Asmodæum* nomine, fugatum in Ægypti deserta aspellit, ubi religatus à Raphaële, tenetur, necubi fædæ scintillas flammæ difflare queat. Novi verò conjuges precibus ac votis intenti, auspiciô jugalis consortij à pietate ductô, trinoctiô abstinent usu genialis thori ; multùm inter hæc sollicitô socerô, metúmque jam positum revocante curâ, nequid triftius accidat genero. Effossum igitur sepulchrum, & libitinarij parati. Sed periculum stetit intra sollicitudinem ; noctis innocentiam diluculum ostendit ; nihil potuit Orcus in tam castè amantes. Quare geminantur gratulationes inter pa-

parentes, amicos & vicinos, epularúmque hilaritates in plures dies sequentes producuntur.

Quæ dum fiunt, Raphël rogatu Tobiæ, pergit iter ad *Gabelum*, Ragibus Medorum, ut diximus, habitantem. Ab eo recipit creditam pecuniam, ipsúmque Gabélum ad nuptialem celebritatem summa omnium cum lætitia adducit. Diebus peractis genialibus, instítit Tobias discessum à socero exorare; qui traditâ genero filiâ, pijs monitis sapienter institutâ, ambos denique cum dimidia fortunarum parte (altera dimidia hæredes post fata parentum manebat) faustáque cum prece, & multa familiâ, impedimentísque dimittit.

Parentes interea Tobiæ, absentia filij, moras peregrè trahentis gravi sollicitudine, mœrore, luctu afficiebat; matrem præcipuè, quæ multis infusa lacrimis, dies computabat & horas, redituro filio præstitutas; quæ cùm fefelliſſent, mors videbatur, quidquid temporis sine Tobia suo viveret: Ille verò cum amplo comitatu jam pervenerat ad urbem *Charan*, medio spatio inter *Ecbatana* & *Niniven* interjectam. Ibi cœlestis genius auctor est Tobiæ, iter ut ipsi duo accelerent; lentiore dum pede, familia sequatur. Intra triduum deferuntur Niniven, præcurrente & caudam blandè agitante cane, quod divinus Scriptor non omisit meminisse. Adventantes conspicata de supercilio montis [unde quotidie speculari solebat] grandæva genitrix, nihil habuit priùs, quàm ut gressus properaret aniles, ad maritum lætô nuntiô exhilarandum. qui & ipse, ducente puero, quà poterat festinatione, tardos impellere pedes, obviàm cum uxore se ferre filio, venientis

tis collum brachijs invadere, diſſuaviari, gaudiorum lacrimis rigare. Mox laudes DEO, & gratias dicere; felicémque animæ ſuæ dimidio, reditum magis affectibus, quàm verbis gratulari. Expletis primæ ſalutationis officijs, conſidetur; & quia ſalus parentis, ante omnia curæ & cordi erat juniori Tobiæ, omiſsîs alijs, promit è pera collyrium, fel piſci exemptum, eóque linit patrios oculos. Et ecce! dimidiæ pòſt horæ ſpatiô, albugo ſuperfuſa, in modum membranulæ abſtergi, caligo diſcuti, dies cæco reduci, viſus integer reſtitui, incredibile dictu, quanta omnium cum lætitia & congratulatione. Septiduô pòſt acceſſit in gaudij cumulum adventus Saræ, cum lauto utriusque ſexus famulitio, magnáque auri, argenti, ſupellectilis, jumentorum, pecorúmque copia. Inde Tobias uterque ad curas remunerandi viæ ducis converſi, deliberant, de præmio tantæ fidei rependendo. placuit dimidiam offerre partem omnium, quæ advecta erant ex Media. At ille gratias DEO comprimis, cunctorum Largitori bonorum habendas docet; tum memorat, quô locô ſint apud Superos rectè factorum promerita, à Tobia frequentata, cœlíque ærario, ſua manu illata: commendat *jejunij* & *eleemoſynæ*, cum *oratione* conjunctionem: addit de neceſſitate virtutis per ardua & difficilia periclitandæ, cujus illuſtriſſima documenta ipſe cæcus dediſſet; denique nomen ſuum ediſſerit, & dignitatem inter ſeptem Angelorum proceres. Quæ narrationis tam inſperatæ novitas cùm piam oppidò turbâſſet familiam, procumbunt in faciem tremebundi omnes; quos Genius comiter erigens, iteratò monet, de gratijs, lau-

laudibúsque Numini persolvendis, ejúsque mirandis operibus evulgandis; simúlque se in astra, unde venerat, recepit. Illi tres ipsas horas humi strati, DEUM præconijs amplissimis efferunt, agendisque gratijs concelebrant. In pedes ubi se retulerunt, divinorum famam & memoriam beneficiorum passim spargunt, eámque ad posteris etiam seculis propagandam, litterarum monumentis consignant. Ætas porrò, ne quid ad felicitatem deesset, in multos annos, cum constanti pietate, prolongata, seniorem Tobiam, ad annum centesimum secundum; Juniorem ad nonagesimum nonum, & generationem quintam vivendo, perduxit. Nimirum virtutis præmium, prolixior vita. Salomonis dictum est, Prov. 10. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur.* De Tobia filio Sacra historia, Tob. 14. *completis annis nonaginta novem in Timore Domini*, abijt ad piorum sedes; ubi jam ante genitor in sinu Abrahæ quiescebat. Fuit belluæ marinæ domitor, cacodæmonis profligator, Angeli discipulus, socius, herus; patris medicus, paternæ virtutis hæres, exemplum, in longa secula proseminator. Parens verò inter impios pius, inter hostes amicus, inter aulicos modestus, inter funera officiosus, suæ vitæ contemptor, alienæ mortis honorator, inter pericula intrepidus, inter insectationes placidus, inter ærumnas constans, in adversis felix, in paupertate dives, in cæcitate perspicax, in varia fortuna immutabilis, omnia bona reliquit filio, dum ei prius factis, deinde verbis, *Timoris DEI* præcepta, & Angelum præceptorem dedit.

NAR-

NARRATIO XCV.

MANASSES RESIPISCENS AMON EJUS FILIUS, MALE PERIENS.

4. Reg. 21. lib. 2. Paral. 33.

Ab anno Mundi 3338. ante Christum 715. ad annum Mundi 3393. ante Christum 660.

A *Chazis* in *Manasse* sanguis, qui per *Ezechiam* fuerat defœcatus, in eo rursus se per fæces agere, & ebullire supra modum, visus est. Successit in regno Iudæ laudatissimo Principi, sceeratissimus filius; cujus vita quid aliud erat, quàm lvitia? Fuit is (ut in compendium scelera contraham) simulacrorum instaurator, Deorum fictilium adorator; religionis publicæ corruptor; prophetarum interfector; somniorum observator; auguriorum sectator; maleficarum artium discipulus simul ac magister, tyrannus & homicida, si quis alius usquam gentium ac terrarum, cujus gladius Jerosolymam cæsorum innocentium cruore replevit. Denique quæ cæteri regum ad id usque temporis singuli deliquerunt, hæc omnia *Manasses* patravit, genitoris per omnia antithesis, hôc unô patris speculum, quòd ejus imaginem reddidit è contrario. Nam *Ezechias* initio statim regni sui, quidquid in cultu divino violatum erat, summa religione reparavit; *Manasses*, quæ parens circa pietatem stabilierat, contumelioſé pessundedit. Ille errorum tenebris involutos ad veram religionis lucem perdu-

xit;

rit; iſte pietatis avitæ cultores ad impietatem pertraxit. Ille nefanda ſimulacra è Templo ſuſtulit, iſte in Templum intulit. Ille lucos ſacrilegos exciddit; iſte inſtauravit, & reſtituit. Ille DEI Sacerdotes & Levitas accivit in miniſteria Templi; iſte proſcripſit, eorúmque locô idolorum ſacrificulos ſubrogavit. Ille ariolos & magos regno eliminavit; iſte ſibi eos inter familiares & domeſticos aſcivit. Ille DEI prophetam *Iſaiam*, reliquósque Vates, tanquam Numinis interpretes & arcanorum conſcios, ac prodigiorũ effectores maxima veneratione proſecutus eſt; hic, inter alios viros DEO ſacratos, *Iſaiam*, multa canitie venerandum, ſanguine proximum, trium inſtitutorem regum, ſapientia, ſanctitate, eloquio, ſupra humanum omne conſtitutum, plagis antè malè mulctatum, deinde acerbiſſimo cruciatûs genere necavit, medium crudeli ſerra diſſectum. Ille prolem maſculam calentibus á DEO precibus & lacrimis impetravit; hic filium execrabili ritu, luſtratum igne, malis dæmonibus conſecravit. Ille DEUM per Prophetas, Sacerdotésque conſuluit; iſte ſpiritus orcinos incantationibus, & maleficis artibus ſollicitavit. Ille famulantem ſibi habuit ſolem, & cum ſole ſidera univerſa, omnium Creatore DEO, deſiderijs ipſius obſecundante: iſte in contumeliam Conditoris ſolem & lunam, cæteráque ſidera (quæ Sacra Pagina *cœli militiam* vocat) honore divinitatis affecit. Ille nocentibus, & ſcelerum reis, DEUM ſupplicationibus conciliavit; iſte innocentum ſanguine Solymæam urbem inundavit. Ille divinitus de hoſte potentiſſimo victoriam, ſine ſanguine & ſudore

dore obtinuit; iſte ulciſcente Numine, in hoſtium poteſtatem redactus, catenis ſervilem in modum vinctus, in carcerem Babylonicum abreptus eſt. Adeò caput impium priùs patrem; deinde hominem exuit, & ſuis ut libidinibus terrorem ſociaret, proborum omnium hoſtis in DEUM ipſum, omnibus ſcelerum machinis pugnavit.

Duodecim erat annorum, cùm regnum adijt, mox aulicorum falſis obſequijs in fraudem inductus, idolomaniæ habenas permiſit infelix puer. Cauſſa corruptionis, orbitas; aberat paterni jus imperij: aderat ſumma agendorum licentia, & actorum impunitas. Acceſſit juvenum leve, & ſolutis moribus contubernium. Illi fuere venti, qui tam ſævum mare continuis flatibus concivêre. Repreſſa caſtis Ezechiæ cenſuris, audacia erupit; nihil ille detrectare, nulli flagitio parcere. Non defuêre grandes, & vitæ contemptores animi, qui furenti obſiſterent, ſed omnes, quos potuit, inauditâ ſævitiâ trucidavit.

Iratum tot ſceleribus Numen, vindex adſtitit pede non lento. Nam vix ſeptennium exegerat in regno, cùm *Babylonij*, apertâ jam per Achazem januâ crebris in Palæſtinam excurſionibus volitantes, Manaſſem ſanguini & ſaginæ immerſum, abjectis regni curis improvidum, & ſocordem cepêre. Direptô regnô, vinctum catenis atque compedibus, cum flore nobilitatis Regem ipſum Babylonem aportant, & carceri mancipant, ſceleribus jam antè conſtrictum. Felix ei fuit calamitas. Ubi libertatem amiſit, mentem recepit: inter cuſtodiæ tenebras, lux ei divinorum oborta, vidit, quæ patra-

vit;

vit; acerrimo dolore cordis infractus ingemuit, preces & suspiria ad Dominatorem Regum converit, detersit squalore peccatorum sordes, lavit flenu crimina, abluit manus tot innocentum cæde cruentatas; exosculatur vincula, scelerum suorum pœnas; perdius & pernox tundit pectora, rumpit suspiria, se detestabilem æterno Vindici accusat, lamentabili voce misericordiam cæli inclamat.

O inexplicabilem Numinis clementiam! Is, qui flagitiorum teterrimorum enormitate diras omnes in caput provocârat, qui mille fulminum jactibus obnoxium se reddiderat, auditur à DEO. immittitur *Merodacho*, (seu Nabuchodonosori) qui miserum habebat in vinculis, cogitatio de fortuna Regum, & rerum humanarum vicissitudine; jubet exsolvi captivum, & exceptum comiter ac magnificè, remittit in patriam, eo ipso tempore, quô Ducem suum *Holofernem* immenso cum exercitu universis immisit gentibus, terrarum orbem imperio suo subjugaturum, non advertens, Manassen, si regno suo fuerit restitutus, consilijs suis in Iudæa remoram injecturum. Sed nimirum haud temere humana volvuntur negotia, DEO barbari Regis animum ad destinatos à se fines vertente. Manasses in libertatem asseritur, in solio suo reponitur, novis felicitatibus mactatur; adeò vincebant scelerum atrocitatem pœnitentes lacrimæ. Cæso, cum exercitu, Holoferne, refloresçit res Judaica; Manasses alius à se ipso, pristinæ fortunæ redditur, particeps fit triumphalium patriæ plausuum. Ad victoriæ plenitudinem ne quid deesset, seipsum debellare aggressus, ædificat, quæ nuper destruxerat; destruit,

quæ nuper ædificarât, lucos exscindit, idola exterminat, aras nefarias evertit, DEI cultum instaurat, sacrificia frequentat, malè facta benè factis emendat; verbo; de impio se pium, de sanguinario mitem, de sacrilego sanctum præstat; &, qui nuper impietatis vexillum publicè sustulerat, nunc omnes antesignanus ad virtutis exempla præcedit. Itaque recuperatô regnô, felix, pius, potens, ætate provectus, [nam annum agebat septimum supra sexagesimum] denique decessit vitâ, reductus in spem felicitatis æternæ, qui tam multis, & verbis, & exemplis aditum ad perpetuas calamitates patefecit. Accessit honor sepulchri; nam in mausolæo, ab ipsomet magnificè excitato, conditus est. Neque tamen post factam culpæ gratiam, vindex DEI manus pœnam removit, quam à Manassis posteris per Nabuchodonosorem exigere perseveravit. Quæ postea namque Judæam pessum dedêre mala, Manassis omnia sceleribus (etsi ab auctore suo defletis) originem debuêre suam, implacabilem se præbente posterorum fortunis DEO, propter inextinctam in illius memoria Regis unius, plùs quàm carnificis, immanitatem.

Post eum *Amon* filius, annorum imperij paterni [quinquaginta quinque] flagitia cuncta, per compendium pravitatis, in unicum biennij sui, quô regnavit, curriculum ita congessit: ut nequitiâ non modò par, sed plane superior evadens; *consummatus in brevi* [nec enim ultra vicesimum quartum progressus est annum] *explêrit* improbitatis multa tempora: pœnitentiæ verò, nec horam, aut momentum. Ita non refert, nec ad bonitatis, nec ad malitiæ

litiæ summam ; quamdiu malè quis, sed quantùm, quàmque vehementer agat. Oppressus est autem a suis domestico scelere, DEO celeriter ejus sceleribus finem, & aditum secuturi Regis pietati faciente. In interfectores animadvertit populus ; ipsum in paternum monumentum intulit, & regnum ejus filio *Iosiæ* tradidit, octo tum annorum puero. Posset Improbitas sibi ex Manassis salute felicitatem promittere, nisi in Amone filio documentum acciperet, unius gratiâ, multorum spes in ruinam trahi.

NARRATIO XCVI.

ISAIAS PROPHETA EVANGELICUS, ET MARTYR.

4. Reg 19. 20. ex Prophetia. Isa. & Martyrol.

Ab anno Mundi 3277. ante Christum 776. ad annum Mundi 3340. ante Christum. 711. quô occisus est.

TAntùm lucere vanum est ; tantùm ardere parùm; ardere autem & lucere perfectum : illustre effatum est Clarevallensis Doctoris. Ejusmodi lucerna diu arsit, & luxit, Isaias Sanctissimus, cujus lucem Iudææ tenebræ non antè comprehenderant, quàm ab ingratissima fuerat extincta. Erat iste in cæteris Manasseæ crudelitatis em-

emplis non ultimum ; Vir si quisquam alius, cœlo charus & vaticiniorum celebritate eminens. *Amosus* ei parens, regio natus stemmate, quippe *Amasiæ* Regis Iudæ frater & Manassis, uti S. Hieronymus tradit, prósocer. Numinis acturus interpretem, ante omnia linguam ad id officij attulit, *Seraphico* quodam ardore succensam. Nam ex eo Cœlestium Geniorum Ordine quispiam advolavit, & calculum, seu carbunculum flammeum manu præferens, eiúsque tangens labia, Prophetam ipsum consecravit. Eâ flammâ non lingua modò, sed pectus quoque exarsit adeô, postularet ut à DEO, munus sanè arduum, & plenum discrimine, Præconis Oraculorum divinorum ad Judæos agendi; utique postquam per extasin extra se positus, conspexit DEUM ipsum in solio præfulgido Majestatis suæ, speciem exhibentem, audivítque à cœli choraulis cantari trisagion illud: *SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS*; non sine horrore sacro, nec Templi magis, quod oculis obijciebatur, quàm mentis concussione; & utrique superfusa caligine; quæ tamen mox tanta luce Vatis collustravit animum, ut de Christi venturi mysterijs edoctus, videretur de præteritis potiùs historiam texere, quàm de futuris vaticinari; unde factum, Vatis ut Evangelici meritô encomio condecoretur.

Nec à vaticinio vita abluit; verbis accesserunt facta, eáque prodigiosa. Constat Angelum illum, centum octoginta quinque millium Exercitûs Assyrij interfectorem, ejus potissimùm precibus è cœlo devocatum: Solem retractum: annos Ezechiæ jam conclamati, in tria lustra productos. Ad Chri-

stum

ſtum, præconijs, non tantùm fatidicis, ſed ærumnis quoque exantlatis, & rebus cum eximiæ virtutis fama geſtis, acceſſit quàm proximè. Emicuit in eo ſui contemptus inſignis, cum rara ſanctimonia conjunctus. Nam quid deſpicabilius, quàm virum canitie venerandum, regio ortum genere, auctoritatis ſummæ, Hieroſolymis, in urbe patria, publicáque luce, plateas obire, tribus omnino diebus, ſine calceis, ſine pallio, ſine toga, brevi ſuccinctum lacerna, lymphatici inſtar, cum riſu multorum & ludibrio, eum pro fanatico habentium; cum aliorum verò, quibus viri ſapientia magis perſpecta, admiratione attonita, & triſti rerum eventurarum exſpectatione. Ejus rei imperium accepit à DEO; triduana Vatis obambulatione, triennalem Ægypti, Æthiopiæque ſub Aſſyrio jugo calamitatem præſignante. Jam quanto miſerationis affectu ſuos in cives ferebatur; quæ pietas in conſolandis afflictis; quæ teneritas animi in alienis miſerijs ſublevandis; *Conſolatus eſt*, inquit Siracides c. 48. *lugentes in Sion*; illo præcipuè tempore, quo *Sennacheribus* ultima quæque Solymæ intentabat; & quia non barbarorum modò hoſtium, ſed *Manaſſis* quoque tyrannis in optimum quemque crudeliter deſæviebat, haud deſtitit Iſaias animos fractos erigere, & ærumnoſis ſpem addere, ab adventu Meſſiæ promiſſi. Nec minor in eo fortitudo, conſtantia, libertásque reprehendendi Regũ ac Principum vitia, imperterritáque vis in comminandis, prædicendísque pœnis, à DEO infligendis; cùm haudquaquam ignoraret, quanta ſibi, ſuæque familiæ ob eam cauſſam eſſent odia ſubeunda. Tanta laudatorem

torem virtus meritò Paulum habet, qui ad Rom. 10. *Isaias* (inquit) *audet, & dicit.* id est, ardenter, liberéque hortatur, arguit, denuntiat Summis Infimísque, quæ de mandato Numinis erant edicenda.

Sed hæc obsequia, quantum gratiæ apud DEum, tantum invidiæ apud homines collegerunt. Rasit auriculas Veritas, exulceravit animos; salubérrimis monitis, extremam carnificinam reposuit furor. Caussa necis & Martyrij præcipua, [quod graves auctores scribunt] quòd Propheta non dubitaverit, impios idolorum & flagitiorum omnium cultores, appellare *Principes Sodomorum, & Populum Gomorrhæ; gentem peccatricem, populum gravi iniquitate, semen nequam, filios sceleratos.* Isa. c. 1. quos proinde DEUS sit *reprobaturus, & pro eis gentes vocaturus.* Quidquid horum sit, Manasses certè, Manassísque purpurati proceres, cùm invisum Monitorem aliter reprimere non possent, capitis ei supplicium intulerunt, longè immaniſſimum; à summo quippe ad imum ligneâ serrâ dissectus est; hòc acerbiore cruciatu, quò lentiore. Ut inde non mireris, alias quoque cædes, flagitia, magiam, parricidia, & quæ audet in potestate summa improbitas, erupisse. Honos à populo habitus est funeri; dississum corpus, humatum sub quercu, cui à vicino fonte, *Rogelis* appellatio. Filium reliquit *Iasubem* nomine; vir omni laude major, Prophetarum clarissimus, in media lege Mosaica, quod Salianus asserit, Christianus; integrum pænè sæculum, vivendo exegit, virtutum omnium coronide, fusíque pro DEO sanguinis laurea nobilitatus. Ejus meritis debetur

Mana-

Manassis in vinculis pœnitudo, revocantis in mentem, verissimi Vatis præsagia, & intonatas scelerum pœnas. Hanc vindictam expetit Innocentia.

NARRATIO XCVII.

IOSIAS, ABSOLUTA BONI REGIS IMAGO.

4. Reg. 22. 23. lib. 2. Paral. 34. 35.

Ab anno M. 3395. ante Christum. 658. ad annum Mundi 3427. ante Christum 628.

PRincipes multa tempora non diu sed bene gubernando explent. *Amone*, quod narravimus, sceleratissimo bipedum, post alterum regni annum per domesticam proditionem interemptô, filius ejus *Iosias*, puer octennis, Judæorum regno inauguratus est. Cædis paternæ auctores, meritis statim supplicijs affecti. Novi regis nomen auspicatissimum, jam anos ante trecentos & quinquaginta (juxta computationem Saliani) divinitus fuerat editum. Quo tempore Prophetes quidam, Judaicæ tribûs, *Ieroboamo* prædixit, Israëlitarum regi: nasciturum è domo Davidica, qui idola, eorúmque cultores extirpaturus, religionem instauraturus, & populares, ad avitam pietatem revocaturus esset, adjecto quoque JOSIÆ, quod ortu suo puer ille sortiturus esset, expressissimô vocabulô. id verò significat D E I vel *munus*, vel *ignem*, ob Zelum videlicet regis optimi, & ignita sacrificia. Is post nequissimi parentis brevem, turpissimúmque dominatum ita successit in

regno, ut in Iudæ regibus nemo fuerit illo melior. Vivendi modũ eum instituit, DEum ut ubique locorum præsentem haberet, & ad ea unicè animum intenderet, quæ existimabat illi placitura. Quare ut ei nihil antiquius aut potius fuit, quam ut divinus honor magis in dies singulos ac magis augeretur, quæque ad illius spectant cultum, magnificè semper ac legitimè fierent; sic eò primum appulit animum, ut, quæ ad religionem pertinent, eo essent ordine ac loco, ut neque indecorè peragerentur, neque unquam intermissa deficerent; aut in illis obeundis Sacerdotum, aut Sacratorum hominum studia languerent.

Neque hic pietatis ardor Hierosolymis sese, aut intra fines duarum tribuum *Iudæ* & *Benjamin* continuit; ultrà progressus, Idolorum, & omnis sacrilegi cultûs excidium, in terras etiam tribuum *Simeonis*, *Ephraimi*, *Manassis*, ac *Nephtalæorum* extendit & circumtulit. *Bethele* potissimùm, Ephraimitarum oppidô præcipuô, jam antiquitus, ob *aurei Vituli* sacrilegam adorationem infamî, non solùm altaria destruxit, & cum simulacris impijs, *lucos* & *Excelsa* vastavit, delubra diruit; quidquid vasorum in Templo Solymæo repertum idolorum sacrificijs dicatum, combussit, cinerémque dispersit; cæteraque idololatriæ sive instrumenta; sive monumenta [quæ jam antè per *Manassem* disturbata, ab *Amone*, omnium scelerum turpitudine corruptissimo, fuerant reparata & reposita] evertit, confregit, combussit, sustulit. In ijs fuêre prostibula & lupanaria, in quibus intra ipsos Sacratissimi Templi parietes promiscuæ libidini operabantur: Currus etiam *Solis*, & equi;

equi: vel artificiosè elaborati, vel vivi; ei Planetæ, Gentilium more, mactandi & sacrificandi. Pythones insuper, ariolos, augures, divinos, & quidquid id generis impietatis & spurcitiæ erat, exterminavit. Hebræos sacerdotes, impuris Sacris contaminatos, ab aris castis removit; & passim, per oppida *Samaritarum*, quos vivos reperit, Deorum sacrificulos; eos super suasmet aras interemptos, fecit victimas: & quos invenit jam olim sepultos; eorum super eadem altaria reliquias, ossaque concremavit. Béthele cùm esset, & ejus urbis loca omnia circumspiceret, in sepulchrum incidit illius ipsius Vatis, qui tribus ampliùs antè sæculis, Nomen *Iosiæ* virtutémque prædixerat; agnitum è signis illi monimento impressis [quale *Iehovæ* nomen esse potuit]; pepercit tumulo, & honorem cineribus habuit; Sacrificulorum autem omnia cum ossibus atque bustis, monumenta profanavit, & evertit.

Parùm fuit malorum omnium omnem occasionem subtrahere; totum se bonis impendit. Templum toties deformatum, nec satis unquam post deprædationes restitutum, summo vigore ad pristinum splendorem & ornamenta reduxit. Reparatum quidquid vel longo attritum usu, vel hominum injuriâ, temporúmve collapsum, aut ruinæ proximum. In ea cura dum totus est, Domúsque DEI sarta tecta restaurat per fabros, accidit, ut cæmentarij librum invenirent ruderibus obrutum; vel, ut alij cum Josepho scribunt, in Arca repositum, & à Pontifice *Helcia*, dum aurum depromit, repertum. Fuit is liber, *Deuteronomium*, [aliqui totum *Pentateuchum* fuisse volunt] qui à Sacerdoti-

bus, ne cum libris sacris pietas omnis interiret, absconditus creditur sive in muro perfosso, sive in ærarij sacri scrinio regnante *Achaze*, & divina volumina, impietatis suæ testes, flammis abolente. Neque Achaze melior, si ultima tempora excipias, *Manasses*, ejúsque filius *Amon* extitit, in quibus par contemptus tam legis divinæ, quàm librorum legis fuit. Ut improbitati plus esset licentiæ impudentiæque, remoti sunt ex oculis sacri codices, officij monitores, sacrilegij exprobratores. Rex certè Iosias, tanquam novum aliquid inaudijsset; toto cohorruit corpore, cùm *Saphan* scriba recitaret inventum legis Divinæ librum; testandóque dolori, vestem disrupit, perpendens, quàm amplis DEUS præmijs ad virtutem alliceret: quàm gravibus minis à vitijs absterreret; Comparabat inter se hinc justitiam, majestatémque, legem ferentis; inde contumaciam ac vecordiam, legem accipientis. Vidit, quàm omnia alia DEus præcepisset; alia verò majores sui, populúsque feciſſent. Majoribus igitur studijs ad DEum placandum conversus, ex Prophetis discere voluit, quibus rationibus tantorum immanitas criminum expiaretur.

Helciam itaque Pontificem, cum viris alijs primarijs mittit ad *Holdam* Prophetidem, [aberat enim tum Jeremias, totum regnum concionibus suis obiens] à qua intelligerent, quibus piaculis propitiandum esset Numen. Legatis respondit fatidica mulier, decretas à vindice DEO pœnas, nullis posse supplicationibus averti; gentem Judaicam sedibus suis eijciendam, & varijs propter commissa scelera calamitatibus jactandam; Vatum sacrorum hor-

hortatus & minas, adhuc protervè spretas, tristissimis eventibus comprobatum iri. injectam tamen imminenti tempestati morâ esse à regia pietate; Josia vivis excedente, velut rupto obice, omnia mala Judæam inundatura. Quibus regi renunciatis, nihil priùs duxit, quàm ut quaquaversùm nuntios dimitteret, qui ætatis omnis & conditionis Hebræos Hierosolymam convocarent. Ingens brevi multitudo confluxit; quâ in templum congregata, rex in editiore consistens loco, sacramentô adegit universos, ad divini Numinis cultum, legésque omni contentione tuendas & conservandas. Non ardentiùs id Iosias exegit, quàm ipsi se præstituros receperunt; sed more suo, inconstanter; quod in Jeremia docebimus. In confirmationem ejus fœderis, cum DEO initi, magno mox apparatu sacrificia patrata; Paschalísque celebritas, quanta potuit solennitate, peracta; *Ieremiâ* & *Saphoniâ* Prophetis tam Regis, quàm populi studia ferventi cohortatione inflammantibus.

Atque hic tantus, ac factis suis tam inclitus Rex (ô mira DEI judicia) à *Nechaone* tamen Ægypti rege, interimitur in acie! Ieremiæ Vatis lessô, lacrimísque, tunc statim exequias illius rigantibus, ac deinceps funeris ejus favillas rigaturîs. Nihil in vita gessit omni, tam pœnitendum; quàm quòd optima mente, conscientiáque sed inconsultô militaris ardoris impetu, nullóque prævio Numinis oraculô, regi congressus Ægyptio; ceciderit acie, qui steterat semper à DEO. Belli causa Nechaóni, cognomentô Pharaoni, si Josepho credimus, fuit cupiditas potiundæ Asiæ. Cui cùm innoxium per Iu-

dæam

dæam tranſitum petenti, negâſſet Ioſias, ſive quòd hominis fidem ſuſpectam haberet; ſive quòd Aſſyrijs, in quos movebat Nechao, amiciùs, quàm cautiùs conſultum vellet, alienum periculum in ſua damna tranſtulit. Nam ventum eſt ad arma, conſertum prœlium in campo *Mageddone*, vulneratus ſagittâ Ioſias, lethalíque collapſus plagâ traxit ſecum in ruinam, nulla ſua voluntate, *Iudææ* rem, ac fortunam omnem, *Sacram* & *Civilem*, juxta Holdæ vaticinium. Exanime corpus Hieroſolymam revectum, comuni omnium luctu, funere magnifico paternis monumentis illatum eſt, Ieremia, quod dixi, epicediũ ei lugubre canente. Vivendo explevit annos triginta novẽ, regnando unũ. Virtute ſenior, quàm annis, victur⁹ diutiùs, ſi digna illo Iudæa fuiſſet.

Atque hic eſt Ioſias ille, de quo Siracides cap. 49. *Præter David, & Ezechiam, & Ioſiam omnes* (reges Iuda) *peccatum commmiſerunt*. Nam cæteri, dum *Excelſa* non auferunt, id eſt, delubra in montibus excitata, etiam ea, in quibus DEO Vero, contra vetitum tamen, ſacrificabatur, vitia vel induxerunt, vel indulſerunt. Hi verò ſoli Regum Judæorum, ſcelus idololatriæ nec commiſerunt, nec permiſerunt. Nimirum rarum eſt in natura ſpectaculum rex immaculatus. Rerum potentibus, ſtat virtus omnis in lubrico; per tot hominum obſequia, per tot delicias aut ſopitis, ſi mulceantur; aut irritatis, ſi quid ſenſibus adverſetur. Stimulat undique ambitio, inflammant libidines, ira præcipitat, urit ardor vindicandi, laxat fræna cupiditatibus infinitis, omnia audendi, faciendíque licentia. Præter indolem bonam, Ioſiæ pondus ad pietatem ingens addidit optim

mi libri lectio, quem Helcias Sacerdos in templo perit, Regíque tulit. Acceſſit magna vis ex remiæ prophetæ conſilijs ſabuberrimis, quæ Reis animum ad omne pietatis ſtudium accenderunt. anti intereſt, quibus Inſtitutoribus Principem inrmandum committas. Ioſias etiam tum octenis, in ipſa herba fructus protulit, quia ſatum è cœli accepit; E pueritia probè culta, in juvenem crevit & virum, cujus *odor eſſet, ſicut odor agri plen.* Gen. 27. raræ virtutis, & famæ ſempiternæ fragrantiam ſpargentis. Ite alij Reges, funera balſamo condite, buſta de cinnamo ſtruite, urnas imbre croceo rigate; Ioſias vivit extinctus, & ſine pollinctore redolet unguenta ſepultus; ſi tamen ſepeliri potuit, cujus glorioſa memoria mori non potuit.

Hic eſt ille Joſias, qui Principum ſanctiſſimus, ſtetit invictâ pietate contra tot ſcelera; qui portenta domuit, qui religionem in plenam libertatem aſſeruit; qui ruentis imperij ruinas per annos triginta ſuſtentavit; qui ereptus mundo, cùm jam patriæ empus immineret, quô nullus eſſet mundus. Ea morte extinctus eſt, qua florentiſſimi duces ſolent; in campo Martis, in ipſius honoris throno; ſuo trabeatus ſanguine, ad Mauſolæum velut ad Capitolium proceſſit, Primúsque poſt obitum triumpharit. Si dura ejus fata, ſi miſeram mortem, quia violenta eſt, judicamus, mendacem DEI ſpiritum arguimus, qui per *Holdam* prophetidem, Ioſiam *ad ſepulchrum in pace colligendum* manifeſtiſſimè prædixit; Nimirum magnarum mentium profectus &

coro-

coronæ per adversa computantur. *Hic est habitus innocentiæ, hæc palmata vestis, hoc curru triumphamus*, ait Tertullianus.

NARRATIO XCVIII.

JOACHAZES, SIVE SELLUM; ELIACIMUS SEU JOAKIMUS, JOACHINUS SEU JECHONIAS; REGES JUDÆ IMPIJ, MISERI.

4. Reg. 23. 24. 2. Paral. 26.

Ab anno M. 3425. ante Christum. 628. ad annum Mundi 3436. ante Christum 617. quo Iechonias captivus Babylonem adductus.

Iosiâ terris subductô, universa, quod retulimus, felicitas Hebræa corruit. Primas turbas dedit *Ioachazes*, filius Iosiæ secundò genitus, qui factione populari (sive quòd animos promissa religionis libertate corruperit; sive quia militaris ejus ferocia, patriæ præsidio contra hostes futura credebatur) regnum inauspicatum invasit, annô ætatis vigesimo tertiô, excluso per injuriam *Eliacimô*, fratre majore, viginti quinque annos natô. Exordiô statim dominationis nuntium DEO, paternæque pietati remisit, populóque nihil admodum religionis sinceræ, præter externam speciem præferenti, dux ad omnia scelera fuit. Et quia metus, perpetuus comes est mentis malè conscia, *Ioachazes* veritus, ne vel intestinis seditionibus à fratribus, [*Eliacimo* & *Mathania*, postea *Sedecia* dicto, natu minimo] vel

vel externis armis ab Ægyptijs peteretur, cœpit warè, crudeliter, unde unde potuit, pecunias, belli nervum corradere. Sed nulla est diuturnitas in regno iniquè parto, post trimestre dominatûs spatium, *Nechao*, Rex Ægypti indignè ferens, Regem sine sua auctoritate, solio sibi tributario impositum, magnis iterum cum copijs Iudææ infunditur, prælióque cum *Ioachaze* consertô, victoriam reportat; non incruentam tamen; caputque belli tinctum in Ægyptum abducit. id, quod Ezechiel cap. 19. vers. 4. indicare videtur: *Et audierunt de eo* [Joachaze] *gentes, & non absque vulneribus ceperunt eum: & adduxerunt eum in catenis in Terram Ægypti.* Alij scribunt, Ioachazem non vi, sed dolo, in potestatem hostium venisse, quippe Nechaoni post commissam infeliciter cum Babylonijs [quos etiam Assyrios vocant, ob horum imperium ad illos translatum] pugnam, redeunti per Palæstinam, occurrisse Eliacimum, & tanquam ad arbitrum, fratris injuriam detulisse: opem, non sine muneribus, majorum exemplô postulâsse: vectigalem se, si sceptrô sibi debitô donaretur, pollicitum. Nechaonem per simulationem componendæ controversiæ, Ioachazem quoque evocâsse in urbem *Reblam*, seu, quod aliqui putant, *Reblatam*, [Galilæi tractus] quem ut intra casses habuerit, conjecisse in vincula, & in Ægyptum amandâsse. Ut ut sit; certum est, Ioachazem captivum abstractum, squalore & mœrore obrutum, extremum in Ægyptio carcere spiritum exhausisse.

Itaque subrogatus est *Eliacimus*, quem mox immutatô vocabulô, Rex Ægyptius *Ioakimum* dici jussit.

sit. Is ut apud *Pharaonem* [cognomentum est Nechaonis] gratiosus esset, acerbis exactionibus plebem vexavit, auróque & argentô per fas & nefas coactô, se, regnúmque suum superbo tyranno substravit.

Diutius ille quidem, fratre suô *Ioachaze*, rerum est potitus, sed pari, vel etiam majori crudelitate. Undecim enim annorum Rex, sed potentioris Regis [Nabuchodonosoris] stipendiarius, objurgatorem ac vastationis imminentis Vatem *Uriam*, DEI Prophetam ex Ægypto, quò profugerat, retractum, impiè trucidat; cadavérque trucidati, super plebejorum tumulos abjectum, à prophetarum sepulcrali societate discludit. Quâ tamen infamiâ funeris neque Prophetam obscuravit; quem tantopere profectò posteri non scirent, nisi latere Rex illum etiam in cineribus, laborâsset; & ille vulgus praeterea cadaverum ignotorum nobilitavit; cùm eorum tumulos promiscuos, omníque nomine carentes, velut pyramis quædam, & epitaphium gloriosum, deinceps insigniret ac coronaret, *Urias Propheta superinjectus.* Ita nimirum frequenter, dum obtegere scelera conamur, illustramus.

Cœpit ea tempestate regnum Judaicum miserabiliter inter Ægyptios & Babylonios [seu Chaldæos] velut inter Scyllam & Charybdin jactari. Hæc enim Principum fors est, qui potentiores intermedij sunt, ut pax unius, sit bellum alterius. Non placuit Nabuchodonosori, Regi Babylonio, tantum sibi Ægyptium sumpsisse, ut Reges suo arbitrio conflatos & exsufflatos, gauderet. Irritabat quoque superbi hominis iram, societas armorum & ami-

& animorum conjunctio, quam Ioakimus cum Pharaone Babyloniorum hoste perpetuo, [cujus operâ ad regnum pervénit] injerat. Venit igitur insperatus, Ierosolymam milite cingit, eámque brevi, quòd ad obsidionem ferendam minimè parata esset, vi, seu fraude, seu terrore capit, Regémque catenis vinctum cum parte vasorum, & electis proceribus [in quibus *Daniel* cum socijs fuit] Babylonem transportat. Tandem miseratione commotus, [nam incertæ sunt mortalium vices; & Reges præcipuè, adversa fortuna suî miserabiles facit] eundem in regnum restituit, indicto grandi, & supra spoliati vires tributô. Hoc tribus annis ægrè persolvit; quarto in Ægyptium pronior, si qua inde acerbæ lenimenta fortunæ inveniret, rebellavit. Fluxa jam Ægypto fides, & robur invalidum. Redit Nabuchodonosor, & cruorem spirans, indefensum capit, & anno regni undecimo interfectum atque insepultum abijcit, tristi regiæ sortis spectaculo. Sic illi ab Hieremia propheta denuntiatum c. 22, *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & projectus extra portas Hierusalem.* in modum cadaveris asinini, feris & volucribus depascendi. Flos juventutis Jerosolymitanæ unà cum Rege interfectus est. Perfidiæ *Ioakimus*, & crudelitatis pœnas dedit; alteras debuit rupto cum Babylonijs fœderi: alteras *Uriæ* Vati sceleratè occiso, sceleratiùs honore sepulcri, spoliato. Hic idem Ioakimus Ieremiam quoque, sanctissimum Prophetam, indignis exagitavit modis. Quem Regem, omnis impietatis juratum mancipium satis constat, à morte *notis* in cadavere *magicis* passim dispunctum, & insignitum fuisse re-

pertum : prodidiſséque poſt vitam, cujusnam diſciplinæ fuerit ante mortem.

Subſtitutus Ioakimo, filius *Ioachinus*, parùm nomine diverſus à nomine genitoris: omni verò regni tempore [quod trium menſium, ac dierum fuit decem] moribus, & inſtitutô patri ſimilis, & Idololatra. Porrò *Ioachinus* hic, eſt is, quem omnes paſſim, & cum his Matthæus Evangelij conſcriptor etiam *Iechoniam* appellant. Hunc admodùm adoleſcentem [octavum & decimum agebat annum] non paſſa eſt divina Nemeſis diutius paterna impietatis ſequi veſtigia; incitavit in eum Regem Babylonium, ut Regium, quod nuperrimè dederat, beneficium auferret ingrato; imminentem Ieremiâ cladem nequicquam prænuntiante. Obſidet igitur *Nabuchodonoſor* [qui poſtea *Magnus* dictus eſt, *Nabolaſſaris* ſeu Nabuchodonoſoris ſenioris filius] Hieroſolymam, veritus ne *Ioachinus* memor patris *Ioakimi*, per injuriam occiſi, regionem ad defectionem perpelleret; cui cùm reſiſtendo *Ioachinus* non eſſet, datis obſidibus, cavit barbaro de fide ſervanda, tributóque pendendo. Sed Nabuchodonoſor pactis non ſtetit; [quod in idolorum cultore minùs mirandum] ſimul enim Urbem, quam amici ſpecie ingreſſus eſt, in poteſtate habuit, vim & animum hoſtilem exeruit. Capit Regé cum matre & uxoribus, omníque gaza; & ſiquid in viris dignum irâ, aut ſervitute reſtabat, Babylonem abducit. Inter captivos fuêre Principes regni, tribuni militares, & fortiſſimus quisque, unà cum Sacerdotibus, Sacris Vatibus, populíque decem millibus. Rex ipſe *Iechonias* annos omnino ſeptem ac triginta, degens in car-

carcere Chaldaico, precariò, mendicíque sorte, victitavit: donec vix serò tandem, caput illotum, ad nuntium emissionis, ac libertatis allevaret. Caussa liberationis fertur familiaritas cum *Evilmerodacho* Nabuchodonosoris filio [quem in eandem custodiam à patre conjectum fuisse Hebræi, & cum his graves scriptores tradunt] in vinculis contracta; Animos enim non rarò similitudo fortunæ conciliat, & experientia miseriarum ad misericordiam inflectit. *Evilmerodachus* de carcere ad solium evectus, *Iechoniam* quoque exemit è custodia, & regiæ dignitati restitutum, inter primos amicos coluit. Ejus salus, sicut & *Sedeciæ*, in ambiguo est; diu toleratus carcer, in expiationem criminum, & Danielis præsentia: tum divina circa *Nabuchodonosorem* prodigia, credibile est, meliorem ei mentem, & præteritorum pœnitentem injecisse. Juxta Chronologiam Saliani, attigit ætatis annum undesexagesimum; ab adito regno quadragesimum primum.

Cæterùm ei dejecto, successor à Babylonio Rege datus est *Matthanias*; immutato postea nomine *Sedecias* appellatus; Is *Iechoniæ* fuit patruus; *Ioakimi* frater, ac *Iosiæ* Regis filius: Rex constitutus misellæ & exhaustæ plebis; à patrijs & ipse degener, nihil autem à fraternis institutis. Miser, qui quotidie salutaria denuntiantem *Ieremiam* Propheten, fame, siti, nervô, taureis, cænóque lutulentis puteis torquere maluerit; quàm audire cum profectu. Qua proinde Regis contumaciâ factum est; ut sicuti *Surdo* priùs cantabantur Oracula, tanquam *fabulæ*: sic *Cæco* postea *Tragœdia* daretur in catenis; sine lacrimis *proprijs* [quippe raptis jam oculis] sinéque

lamentis *alienis*. Vix unum enim inveniebat, sui caussâ dolentem: eò, quòd retinerent omnes memoriam, invectæ per eum regno cladis; everſæ religionis; rupti fœderis; violatíque jurisjurandi: quod interpoſito veri DEI nomine, Babylonio regi ediderat. Nec enim defleri dignus eſt, qui ſcelere ſuo facit, ut nemo, niſi flere, poſſit. Sed de hoc Rege in ſequenti narratione plura.

NARRATIO XCIX.

SEDECIAS JOSIÆ FILIUS, REX JUDÆ ULTIMUS, IMPIUS, PERJURUS, PERFIDUS, CALAMITOSUS.

4. Reg. 25. lib. 2. Paral. c. 36. Jerem. 39. 40. 41.

Ab anno M. 3463. ante Chriſtum 617. ad annum Mundi 3446. ante Chriſtum 607. quô annô Jeroſolyma cum Rege ſuo Sedecia capta eſt.

COrruunt tandem regna, quæ in virtute non fundantur. Narravimus, binis Aſſyriorum ſeu Babyloniorum in Judæam irruptionibus, præter deprædationes ac mala cætera, captivorum inſuper abactiones [quas Transmigrationes nominant] in Babylonicam ſervitutem eſſe factas. Abactione quidem prima, *Ioakimum*, Solymorum Regem,

gem, in catenis Babylonem abductum; iterúmque remissum in patriam, stipendiarij nomine; sed cùm deserto Babylonio Rege, fidem amplexus fuisset ac fœdus Ægyptij Regis: à Chaldæis denuò comprehensum, & extrema calamitatum expertum. Transmigratione verò proximè sequente, *Iechoniam* Ioakimi filium, & à patris obitu successorem, cum multa præda & flore nobilitatis in eandem captivitatem abstractum. Nunc tertia nobis in Babyloniam abductio memoranda, quæ septuaginta jugum annorum collo recepit; ac neque postea quidem, tam longum sub intervallum, id satis cervicibus suis excussit. Ea *Sedecia* Rege, comitéque, quin & auctore conflata, confectáque: traxit unà secum, quasi malorum omnium uno quodam involucrô, Regem *Nabuchodonosorem Magnum*, insuperabilem Judæis hostem, & avitæ potentiæ eversorem.

Sedecias igitur, quem à parente *Iosia* Matthaniam vocatum diximus, *Ioakimô* fratre à Chaldæis interemptô, ejúsque filiô *Iechonia* Babylonem traductô, à *Nabuchodonosore* regnum patrium accepit; priùs adactus in Sacramentum clientelare, vocatóque in testem DEO, se Babyloniorum stipendiarium, datam Regi fidem servaturum integram, illibatámque. Annum agebat vicesimum primum; cùm regni gubernaculis admotus, luxuriare statim potentiâ cœpit, DEI, sacrorúmque contemptor; neque faciem Ieremiæ Prophetæ saluberrimè monentis erubuit, neque tot DEI nuntios extrema minitantes. Septenniô cliens Babylonij Regis, & vectigalis fuerat; cùm munita jam urbe, ubi satis præsidij visum, ad libertatem fatali dementia aspirare

cœpit. Sollicitabat animum Ægyptus, progenitorum olim hoſpes, ſed dura. Trita in eam magis via, & vis propior ad nocendum, ad auxiliandum promptior. A Babylonijs nihil exſpectabatur, niſi arrogans & durum, faſtum regnantium, & præteritorum experientiam reputantibus. Itaque ex clandeſtinis ſimultatibus in apertam ſe rebellionem conjecit; fœdus inijt cum Ægyptijs adverſus Babylonios, communes hoſtes. Ejus defectione compertâ Nabuchodonoſor inſtructis celeriter copijs, in Judæam armatus irrumpit, Ieroſolymam vallatam & clauſam acerrima vi obſidet. Accendit obſeſſorum animos ſalutis deſperatio, implacabilis Regis ſævitia & fiducia ſubſidij Ægyptiaci. Neque prorſus ea vana fuit. Nam obſidionem Pharaonis Ægyptiorum Regis, cum auxilijs adventus, tantiſper disjecit, & in ſe Chaldæorum arma convertit. Quô profligatô, arctiùs quàm antè, Hieroſolyma circumſidetur ab hoſtibus.

Deditionem continuis vocibus Jeremias, à DEO monitus, ſuadebat; ſed obſtinatis. Principes malè mulctatum, ut impatiens eſt melioris conſilij ſuperbia, detinuerunt in vinculis oppreſſa veritate. Surrepſit tamen auribus Regis & Reginæ, obteſtans & adjurans, ut urbe dedita, hoſtis animos placarent; omnia mitiora fore, victoris arbitrio maturè ſe permittentibus. Inclinabat interdum Rex in tutiora conſilia; ſed mente invalidum ac nutantem, Procerum animi abripiebant in præceps. Propè bienniô jam ſteterat obſidio, & diriſſima fames urbem urgebat; è fame peſtis, è peſte cadaverum copia; & ex hac ſepulturæ neglectus; hinc belluæ,

quæ

quæ funeratos juxta, semivivósque lacerabant; hinc in oppugnata civitate nihil nisi pavor & pallor, ac lamenta. Defecerant animi bellantium, nec jam enectis corporibus, idem ardor pectoris.

Extremum malorum, in fuga perfugium, sed serum. Rex tandem urbem clàm deserit, quam tenere ultrà non poterat. Beneficio noctis per regios hortos, mœnibus contiguos, elapsus scribitur, cum aliqua bellatorum manu. Fugientem senserunt excubitores Chaldæi, & insecuti sunt. Ibat per avias solitudines Regiæ familiæ agmen miserabile, paucis, ùt dixi, militibus cinctum. Insiliunt in eos Chaldæi, *aquilis perniciores*, & dissipatis custodibus, Regem cum suis capiunt. Interea luctuosissima Hierosolymæ dies illuxit; post decimum nonum oppugnationis mensem, venit & ipsa in barbarorum potestatem. nihil tum ad summam crudelitatem desideratum. Crudelis Chaldæorum in urbem irruptio; crudelior per urbem discursus, præda, cædes. Miscentur truculenter Sacra profanis; victoris furori, rapinis, contumelijs, libidini cuncta cedunt. Populi nongenta millia trucidata feruntur: captivorum innumera raptata multitudo; Pontifex ipse *Iosedecus* inter eos fuit. *Arca* tamen, & *Tabernaculum*, & *altare Incens.*, cum *Igne Perpetuo*, nonnulláque, quæ facilè asportari poterant, jam antè Templo subducta, & subterraneo in quopiam loco abscondita, Jeremiæ potissimùm hortatu & curâ.

Mensem in ea vastatione absumpserunt Chaldæi, cùm diripientium manus non sufficerent prædæ, Sedecias verò cum suis adductus est ad Nabucho-

donoſorem, tunc *Rebláthæ*, urbe peramœna, & quatuor dierum itinere Hieroſolyma, diſtante, agentem, eminúsque belli Judaici ſucceſſus ſpectantem. Coram irato Victore ùt vinctus ſtetit, mox ardere libidine vindicandi ſævus domitor, nec uſitata feritate contentus, tetra & horrenda machinari. Inde fremens, & truci vultu captivum contuens: Et hæc, inquit, gratia meritis noſtris refertur? huc reciderunt promiſſa tua impie, fœdifrage, perduellis? hæc pactorum fides? hæc clientis in dominum ſuum obſequia? Siccine poteſtatem regiam, quàm à me accepiſti, in beneficij auctorem armâſti, DEO, hominibúsque injurie, perjure, perfide? Dabis, dabis nunc perfidiæ tuæ, meíque, tuíque ſpreti Numinis pœnas, deteſtandum caput. Magnus ille dominator ſiderum, quem perjurio, ſceleſtiſſime, violâſti, tradidit te ultrici furori meo. Ut ſentias te mori, per mortis diſpenſabo funera; per liberorum corpus, tua rimabor viſcera. I, miles, in conſpectu latronis, execrabilem ſobolem interfice: impurus ſanguis hauriendus eſt ad guttam, ne repullulet. Interemptîs catulîs, caput arripe canis, exſcinde oculos, in catenis Babylonem rape; ubi lancinantis inter animi tormenta, & ſqualorem carceris longa ſcelerum ſupplicia ſolvat. Dicto audientes ſatellites, catenatos in conſpectum vincti patris, adducunt filios, & ſub ejus, ac cæterorum captivorum oculis, regios puerulos, quos ætas tenera poterat miſerabiles facere [genitor quippe trigeſimum ſecundum nondum exceſſerat annum] obtruncant, parente miſerorum ſanguine reſperſo, & in ſingul

moriente. Qui satis ubi suorum in funera fuit oculatus, eruuntur illi lumina, & informe jam cadaver cladibus suis superstes, Babylonem abducitur. Oneratum ferro, & inclusum caveæ, accedente ad crudelitatem ludibrio, Ducem funesti faciunt agminis; hôc uno feliciorem cæteris, quòd suam ipse miseriam, exsculptis oculis non videret. Sequuntur captivi bini, terníve longo agmine. In ijs filiæ ejus, quarum Jeremias meminit nominatim, cum cæteris mulieribus, uxoribus, & concubinis. Sed eæ sunt *Godoliæ* cuidam, natione Judæo [qui maturô transfugiô sibi Nabuchodonosoris clementiam conciliârat, & ab eo præfecturam Judææ acceperat; in qua nihil ferè, præter vinitores, agricolas, vulgúsque proletarium, relictum] permissæ, privatámque, in sortem redactæ. Quô deinde ab Ismaële quodam, de regio Judæorum sanguine, per proditionem interfectô; [nam invidebat eam dignitatem Godoliæ] cùm Judæorum reliquias ultima desperatio [obstante nequicquam *Ieremiâ*, & divina oracula opponente] in Ægyptum transfugas egisset, eò uxores, & Virgines etiam regiæ, ad majorem ignominiam, & corporum contumeliam raptatæ sunt.

Cæterùm, ubi satis cædibus, & populationi datum; consulunt Nabuchodonosorem militiæ Principes, quid urbe Solymæa fieri placeat. Ille negotium committit ducum cuidam, *Nabuzardani* nomine, ut vastatam urbem intret, totámque flammis succendat. Neque segniùs effectum est, quàm imperatum fuerat. Urbs, urbis muri, regiæ Davidis & Salomonis ædes, omnisque Hierosoly-

ma flammis deletur ; Templi priùs ſpoliati gloria, fundamentorum tenus exciſa , quæ quadringentis viginti quatuor annis à primo jacto lapide viguerat, in cinerem & lapidum cumulú deſidet; *Judææ* regnum, quod à Saule quadringentis & octoginta quinque ſe ſuſtentârat annis, concidit, & in Chaldæorum arbitria concedit. Arſit, quidquid auferri non potuit. Faces ædibus ſubjectæ ex intimis cavernis exegerunt latentes , & Chaldæorum furori objecerunt. Sedeciam mœror animi , oculorum cruciatus, liberorum orbitas , templi, regníque interitus, vinculorum & carceris durities ſenſim confecerunt. Qui ſi ex catenis illis Babylonicis in Inferorum ergaſtulum non eſt detruſus, id enimvero *Ezechielis* & *Danielis* , captivitatis Sociorum , adſcribendum eſt precibus , & pijs monitis, è quibus didicit, futura mala præſentibus redimere. Tradunt Hebræi, eum cum plangore, Babylone ſepultum more regio ; argumentum leſſi fuiſſe : *Heu occidit Sedecias, qui fæcem bibit omnium ſeculorum* ; miſerrimus ſcilicet ſupra omnes anteceſſores ſuos ; quippe cujus perfidioſa Babylonici fœderis , pactíque violatio, ſupremum Regni Judaici fatum , & irreparabilis vaſtitas fuit. Uſque adeò ſancta debet eſſe jurati reverentia verbi.

NAR-

NARRATIO C.

JEREMIAS SACERDOS, DOCTOR, PROPHETA, MARTYR.

Ex libro Proph. Jerem.

Ab anno M. 3407. ante Christum. 646. ad annum 3448. ante Christum 605.

QUisquis à DEO destinatur ad magna, tantò paratior ad illa accedit, quantò sese imparatiorem agnoscit. Animus ipsi vilis, vas est, hoc cœlestium capacius gratiarum, quò per exinanitionem sui vacuum magis & inane sibi videtur. *Ieremias* oriundus oppido *Anathotho*, non procul Jerosolymâ dissitô, patre *Helcia* Sacerdote, tribus Benjaminéæ; antequam lucem aspexit, illustratus à DEO, & labe purgatus originariâ, Propheta consecratus est. Argumentum prophetiæ, Solymæum excidium per Chaldæos inferendum, Cujus tela ut minùs ferirent prævisa, ipse fatidicus, arcum ostendit, è cœlo minantem; tantò oculatior in arcanis DEI perspiciendis, quantò puriorem in ea secreta immisit oculum, virginitatis per omnem vitam cultor. Admodum adolescens [neque enim quartum aut quintum supra decimum, ætatis annum superaverat] primas futurorum imagines objectas habuit *Virgam amygdalinam* floribus oculatam, & ad feriendum mobilem: *lebetem* præterea fervidè ebullientem; præsaga Judaicæ cladis signa

ſigna. Poſtquam innotuit, adoleſcentem Spiritu prophetico divinitus afflatum, mox ſupra ætatem crevit ejus auctoritas & reverentia. Ipſe verò non contentus Oracula de cœlo hauſiſſe, niſi, quæ didicerat, doceret alios, & quaſi lumen de lumine accenderet, rerum occultarum cognitionem ad popularium ſalutem transtulit. Igitur cœtibus ſeſe concionabundus immittere, entheâ quadam verborum vi, hominum aures percellere, mirè verſare animos, & impendentium ſeriem calamitatum ob omnium oculos ponere, atque ad Vindicis iram Numinis placandam exhortari. Cujus iræ, poſt *Virgam vigilantem & ollam* igne ferveſcentem, Symbolum vidit *Calicem*, cunctorum peſte malorum ſpumantem, cùm cæteris exhauriendum gentibus, tum Judæis maximè. Idem ei repræſentatum, per *lumbare* ſeu Cingulum lineum, lumbis accinctum, juxtáque fluvium *Euphratem*, defoſſum; iterúmque, ubi computruit, protractum. Huic ænigmati velum removit conſecuta Hebræorum in Babyloniam deportatio, longæque ſervitutis ſqualor ac illuvies.

Aliàs obtutui Prophetico *lagunculæ* obverſabatur, merô plena, præſignans, cœleſtis menſuram vindictæ completam, Judæos inſtar teſtæ collidendos & diſpergendos. Iterúmque ſpecies ei duorum calathorum oblata, quorum alter agreſtes & exſuccas, alter maturas & dulces ficus exhibebat; oſtendente DEO, bonorum, malorúmque de gente Hebræa diſcrimen, ſuæque in alteros benevolentiæ, in alteros averſionis diſparem affectum. Sed hæc

hæc visio magis animi, quàm corporis fuit; quæ sequuntur, manifestam lucem habuerunt.

Jeremias ut factis magis, quàm verbis servitutem Chaldaicam denuntiaret, DEI jussu, ligneum cervici jugum adaptavit; cúmque palàm illud circumferret in collo, tanquam prognosticum subjugandæ Judææ signum; opponunt se infaustis vaticiniis falsidici Vates quidam & arioli; quos inter *Hananias* collum Jeremiæ invadit, numellas, seu collare ligneum deripit, & in conspectu populi diffringit; ea se ratione Numinis oraculum elusisse ratus; cujus ipse veritatem non diu pòst sensit, morte præproperâ, uri Jeremias prædixerat, abreptus ad Tartara. Persistit in sententia Numinis interpres Jeremias; & quia sub illud tempus diversorum Regum legati Hierosolymam convenerant ad Sedeciam, in novum fœdus adversùs Chaldæos consociandum. Vates de libertate asserenda cogitantibus, durissimam servitutem minatur: & ijs, qui legati aderant, dat fragmenta jugi sibi detracti domum ferenda, tristium fatorum, & multis populis communium portenta.

Sed hæc præsagia plurimorum odijs, constabant Vati; quíque primi debebant esse ad fidem adhibendam, præ cæteris adversabantur. In ijs fuit quidam, *Phassur* nomine, de Sacerdotum numero. Hic cùm aspiceret Prophetam in corona circumfusi populi vas quoddam fictile arripientem, inque frusta comminuentem, cum dira casuum imminentium interminatione; impatiens mali præsagij, cùm verbis illud refellere non posset, verberibus refutandum putavit. alapam liberalem incutit faciei,

faciei, & insuper odiosum Vaticinatorem in nervum & tormenta mittit: nihilosecius in funestis Solymorum ruinis prædicendis perseverantem. Moxigitur libertati redditur, cùm nexis frustra pedibus, manibusque; lingua vinciri non posset Sed ea dicendi libertas, aliquantò pòst iterum est arctata carcere; non compressa tamen. Sedecias territus denuntiatione impendentis exitij, jussit invisum augurem in vinculis luere, intentatas barbarorum catenas. Etiam has minas sprevit constantia viri divini. emittitur iterum è custodia, paullò pòst in tetriorem conjiciendus. Nunquam enim vel Odio vel Invidiæ deest ansa, innocentiæ in suspicionem & pœnas trahendæ.

Adverterat Ieremias Regem *Sedeciam*, Procerum pravis consilijs magis atque magis in suam, regnique perniciem transversum agi; quare maluit Hierosolymis excedere, quàm diutiùs canere surdis. Eum abitum *Ierias*, Hananiæ nepos [qui tum ad portam Urbis Benjamiticam excubabat] cupiditate ulciscendi avi, interpretatur transfugium ad hostes; itaque virum innocentem calumniâ proditionis opprimit, efficitque, ut flagellis cæsus, in foveam subterraneam, tenebris & fœtore horridam detrudatur, non nisi sceleratissimis subeundam. In eo horrore duobus, tribúsve mensibus exactis, redeunt ad obsidionem Solymæam [quod proximè præcedenti narratione scripsimus] Chaldæi; redit ad novos metus *Sedecias*, & Ieremiam in mitiorem custodiam transfert, in vestibulum scilicet communi carceri præstructum, ubi ab omnibus adiri audiríque poterat, manicis tamen, compedibúsque

busque ligatus. Cùm verò etiam hoc in loco, ultima quæque prænuntiaret, suaderétque deditionem Solymæis civibus, ancipiti tunc malo pressis: foris enim territabat obsidentium Chaldæorum gladius; intus cum fame & peste confligendum erat; novo furore concitantur in eum Primates, nec antè quiescunt, quàm consentiente Rege, Jeremias, tanquam suis concionibus dissolveret civium animos, & enervaret, rapiatur ad supplicium, sanè crudele. Cœnosus ac profundus erat puteus; in hunc seminudum collo tenus demergunt, ut ibi frigore, fame, pædore, diutina crudelique morte extinguatur: Adfuit DEUS deplorato, & auxilium, unde non sperabatur, submisit. Degebat in Aula Sedeciæ, Evnuchus quidam, *Abdemelechus* appellatione, æthiops gente, inter paucos apud Regem gratiosus; hic commiseratione erga virum innocentem, & vitæ sanctimoniâ præstantem, motus, accedit Regem, accusat procerum adversùs immeritum sævitiam, rogat sibi copiam fieri, ejus è profundis sordibus educendi. Conceditur. *Abdemelechus*, assumpto secum triginta virorum præsidio ad vim, siqua inferretur, arcendam, confert se ad puteum [S. Scriptor *lacum* vocat] demissísque in altum funibus, extrahit captivum, penè exanimem, restituítque carceris atrio seu vestibulo, vinculis tamen innexum.

Venit interea tempus ineluctabile; effringunt Chaldæi portas urbis, factáque irruptione, fœdant & vastant omnia promiscuâ cæde, rapinis, incendijs. Ieremias inter alios captivos, Babylonem abducendos, *Nabuzardani*, Chaldaicæ militiæ Principi,

pi,

pi, in catenis sistitur ; & pro fama virtutis, benevolè accipitur; vinculis solutus, ad profectionem Babylonicam humaniter invitatur ; id si minùs allubescceret, datur optio, vel remanendi in patria, vel aliò quócunque commigrandi. Maluit Vates in patrio solo subsistere, ut & Iudaici reliquias naufragij colligeret, & acerbiùs lugeret miserias, quibus præsens aderat.

Cæterùm quæ facies fuerit Solymorum urbis à Chaldæis devastatæ, testantur threnodiæ, seu lugubria Prophetæ carmina, quibus lamentatur civitatem illam *decóris perfecti*, *dominam gentium*, *principem piovinciarum*, *gaudium universæ terræ* ; templum illud Salomonicum, Hebraicæ gentis gloriam, mundi miraculum, exemplar divinæ architecturæ : in disjectorum murorum acervos, eversarum ædium cumulos, rudera, parietinas afflatas fumo, fuligine nigricantes, in cinerem abijsse. Porrò *Godolià* Iudææ Præfecto [cui Nabuzardanus, nomine Regis sui, Ieremiam præcipuè commendatum volebat] per insidias [quod suprà narravimus] interfectô, veriti Iudæi, ne suspicione cædis in ultrices Babyloniorum manus inciderent, fugam in Ægyptum arripiunt, ductô secum Ieremiâ, ejúsque scribâ *Barucho*, utroque nequicquam reclamante, promissámque divinitus incolumitatem, si in patria persisterent, inculcante. Invitô igitur tam Deô, quàm Vate, fit fuga in Ægyptum ; ibi tantùm abest, ut hominibus desperatis pœnitentiæ sensum fortunæ acerbitas inijceret, ut etiam projectiores in idolorũ cultum redderet, caussam calamitatis, quam impietas intulerat, pietati imputantes. Quorum per-

ervicaciſſima malitia, cùm diuturnas & vehemen-
es Prophetæ objurgationes ferre nequiret, eò deni-
que furor inſanus prorupit, ut crudeles in eum ma-
nus armarent, qui ſuas toties manus cœlo tollebat,
diram cœleſtem ab eorum cervicibus avertendam.
Tahis ſeu *Taphnis* urbe [Regum Ægyptiorum ſede]
unc agebat Ieremias, & imminentem, etiam id lo-
i, Numinis perduellibus à Chaldaico ferro cla-
em in obduratas aures ingerebat. Terror prædi-
ctionis haudquaquam vanæ, egit in rabiem, ſuâ du-
dum conſcientiâ reos. In communem patrem in-
ſurgunt parricidæ, & pœnam ſceleribus ſuis debi-
tam, vertunt in caput innocentis; Ieremias inter
hoſtes ſecurus, inter barbaros tutus, lapidibus ob-
ruitur à civibus ſuis, & à DEO poſt tot relatas pal-
mas, martyrij laureâ coronatur, anno ætatis quin-
quageſimo quinto, prophetici muneris quadrage-
ſimo primo.

Immanitati popularium, æterni notam dedeco-
ris inuſſit alienigenarum [ut Epiphanius ſcribit]
humanitas, Memoriæ viri clariſſimi magnificum
Ægyptij ſepulchrum exſtruxerunt; qui ut vivus ſer-
pentum depulſor fuit; ita ex tumulo quoque eſſe
perſeveravit, abraſi pulveris virtute, morſibus aſ-
pidum medente, crocodilos profligante. Porrò
Ieremiam *Taphnis* melioris Philoſophiæ incunabula
poſuiſſe, non ignobiles auctores tradunt; cujus fa-
mâ excitati Græci, peregrinationes in Ægyptum
ſuſceperunt, Philoſophicæ ſcientiæ in Græciam de-
rivandæ cauſsâ. *Plato*, tametſi Ieremiâ ducentis
annis poſterior, ſapientiam tamen ab Ægyptijs,
quam ipſi à Jeremia & Hebræis hauſerunt, perdidiciſ-

se fertur. Adeô DEUS novit è malis elicere bona; & siccatîs alibi fontibûs, riguos aliò rivos deducere. Jeremias verò magisterium virtutis fortiter dicendo inchoavit, fortissimè patiendo absolvit; purpuratus veritatis testis, constantiæ decus, viva imago non tantùm hominis, felices inter ærumnas probati; sed etiam DEI, inter eas morituri.

NARRATIO CI.

JUDITHA, HEROINA, VICTRIX, TRIUMPHALIS.

Ex lib. Judith.

Anno Mundi 3346. ante Christum, 707.

EXpositâ Regni Judaici variâ fortunâ, quâ cùm per Reges suos, tum per hostes exteros sæpius concussum, per Ægyptios labefactatum, denique per Chaldæos radicitus evulsum concidit; & Jerosolyma, velut triste funus, inter cædes, rapinas, incendia, elata, ipsa sibi rogus & bustum fuit, lessum ei canentibus Jsaiâ, Jeremiâ, Ezechiele, aliisque Prophetis; restat, ut lugubribus lætiora subjungamus: *Iudithæ*, Hebræorum Amazonis, Victoriam & Triumphum. qui tametsi in nonum Manassici imperij annum incidit; duximus tamen eum suo tempori non reddendum, ne historia Regum Judæorum interrumperetur; quæ, ut inter se cohæret, ita scriptione conjungi, commodius videbatur. Illis igitur expeditîs, nunc in conspectum

tum Dabimus Heroinam Iuditham, Formæ & Virtutis miraculum,

Merodachus [is, qui Regem Ierololymorum *Manassem*, Babylona tractum, in vincula, pænitentiæque necessitatem compegit] occisô *Deóce Arphaxado* Medorum Rege, rebus elatus secundis, Orientis se Monarcham, assumptô *Nabuchodonosoris* cognomentô, ferre cœpit. Cui cùm constitutum esset, totum terrarum orbem sceptro suo subijcere, communicatô cum ducibus ac dynastis consiliô, præ cæteris *Holofernem*, natione Persam, virum bellicosum ac ferocem, militiæ Principem delegit, eique negotium dedit, uti cum numerosissimis peditum equitúmque copijs quidquid in Occidentis terris adhuc Deorum, hominúmque, juris esset externi, Babylonio substerneret imperio. Tota igitur bellandi causa, libido dominandi quàm latissimè.

Regnabat autem apud Judææ reliquias, nam incolarum plurimos Babylonia captivitas tenebat] ea tempestate *Manasses*, Ezechiæ filius, jam novennium, sed exiguis admodum, nuperriméque reparari cœptis potentiæ viribus: ut quem in custodiam [quemadmodum memoravimus] abductum Babylonicam, arctéque catenatum, vixdum precariò tandem solutum, è compedibus in libertatem *Merodachus* remiserat. Quiescebat hic igitur, ac tacitus quamcunque belli fortunam opperiebatur. Atque hæc causa fuit, cur *Holofernes*, cùm in universa circùm regna, populósque impetum faceret; & ipsam adeò Galilæam bello premeret, ac Samaritis et finitimis immineret: Iudæam tamen, ac Regem ejus Manassem, armis hactenus intactos vel negli-

geret, imbecillitatis contemptu; vel in victoriarum suarum quasi mantissam differret; certissimus interim, Ierosolymorum nihilominus Templum [ut alia gentium aliarum omnia] redigere tandem in potestatem suam: & vel in Merodachi venerationem illud penitus ttansferre: vel, si Iudæi refragarentur: id eversione, flammisque, sicut jussus erat, eradicare.

Cúmque belli tempestas multas regiones sæviendo percurrisset; Victor urbium, gentiúmque cunctarum in Chananitide substitit, donec omnes undique copiæ, quæ varias provincias depopulabantur, unum in locum confluerent. Cæterùm tantus terror nationes omnes ac terras pervaserat, ut non hominum, sed voraciſſimarum agri pestium ac locustarum innumerabilium, ac tigridum Hyrcanarum imago quædam esset horrifica. Quácunque communis, Asiæ Syriæque tyrannus incesserat; inde pecora, jumenta, facultates abigebat: oppida, castella, munitiones exscindebat: segetibus ac messibus, abundans ipse frumento, flammam injciebat: oliveta cum vineis & hortis exstirpabat. Dîs præterea sacratos lucos ac nemora, nullo Veræ Divinitatis studio, sed omnis omnino, cujuscunque Numinis, abolendi furore, deijciebat, ut Merodachum suum extolleret. Ad hæc mares, bello vel inhabiles, vel invitos, bellô tollebat. Iuventutis omne robur, ac fortissimum quemque, sua sequi castra compellebat. Quod verò fæminarum esset, id omne vel in servitutis ludibrium, vel in libidinis ministerium abstrahebat. Quod autem aspectu, sensúque miserrimum erat: crudelitatem illius animi, furoris-

que

que violenti rabiem ne obsequium quidem, ac deditio supplex; nec in servitutem inclinatæ cervices, ac preces legationum emolliebant.

Tantis fortunæ, victoriarúmque successibus inflatus, & in dies factus elatior: ad extremum, eò dementiæ, quâ carere non potest ulla superbia, progressus est: ut ne Veri quidem, in his, quæ bello necessaria, salutariáque forent, patiens, adulatoribus solis totum se daret: quorum ore ter maximus, & omnis ævi, memoriæque mortalium, imperator agminum invictissimus, ac belli Fulmen proclamabatur. *Achiórem* contrà, gentis Ammoniticæ, fidum sibi, tributariúmque ductorem, quòd is super Israëliticæ nationis, quæ Galilææ montanas regiones insederat, origine, viribus, & urbibus interrogatus, ex annalium priscorum, & famæ fide retulisset id, quod res erat; ídque non sine laude gentis illius, nec sine fida pro Duce sua sollicitudine; truculentus ille, partim purpuratorum indignatione, partim insitæ sibi superbiæ stimulis agitatus, tanquam vaniloquum explosit. Nec contentus arrogantiæ plenis verbis, quibus æquè Cœli DEum, ac mortalium omne genus & robur præ se, suóque Rege despiciebat: cum ingenti stomacho, fastidióque submovit à castris suis Achiórem. Cumque certissimæ, nec multò post secuturæ necis interminatione, contemptim eum, à partibus deinceps *Circumcisorum* stare jussisset, ad arborem insuper hostilis soli, manibus revinctum ac pedibus, Israëlitarum exposuit arbitrio. Plura quoque, nec inferioris insolentiæ, sævitiæque specimina, dum ad *Bethuliam*, Zabuloniæ Tribûs oppidum in Galilæa, sedet, edidit: obsidij

malis omnibus, quæcunque commeatibus & aquatione prohibitâ, pati possunt oppida circumsessa; DEI populum innoxium, mœnibus illis conclusum excrucians : ad supremam vitæ desperationem, quantum consilij, mentisque suæ fuerat, compellens. Sed hunc talem Deorum pariter, hominumque fastigia fastu suo, barbariéque deijcientem, DEus superborum destructor, post dies Bethulienſis obsidionis minùs, quàm triginta, dejecit invicem: non sanè centum viginti millibus peditum, equitumque viginti duobus millibus, quibus Holofernes Bethuliam premebat; sed unius Fœminæ quinque digitis, quibus hæc complexa acinacem illius [S. Scriptor pugionem vocat] ebrietate tunc natantis, ac Veneris certissima designatione sopiti, caput à cervicibus recidit. Ea, Judith fuit, *Merari*, viri inter suos potentis, filia, Bethulienſis vidua; de Tribu Simeonica, formæ cum virtute certantis, raritate præ cunctis illius ævi viraginibus conspicua: fortitudine verò manûs, & animi, seculorum omnium heroidas longissimè supergressa.

Liberatæ porrò civitatis series hæc est. *Achior* vinculis ab ijs solutus qui exploratum ex urbe egressi fuerant, adducitur Bethuliam, amicè, honorificéque habetur. Is ubi expositi insolentiam, & minas truculenti *Holofernis*, vehementer auxit curam, *Oziæ* jam antè, ceterisque Principibus civitatis injectam, omni suppliciorum genere Divini Numinis propitiandi. *Eliachimus* quoque seu *Ioachimus*, Solymæus Pontifex nihil omisit earum rerum constituere quæ vel ad DEI, vel ad hostis iram arcendam pertinere videbantur; ab hoc Oziam, virum primæ digni-

dignitatis, & belli peritum; confirmandis Bethuliensium animis Hierosolymâ submissum, idonei Scriptores volunt. Interea de die in diem cuncta fiebant obsessis arctiora; Bethulia cum extrema aquarum penuria conflictatur, incisis & aversis fontium canalibus; aut militari custodia præseptis. Unde complorationes, lamenta, desperatio: nihil jam restare salutis ad ultimam necessitatem redactis; foris instare hostem; intus deficere vitæ subsidia; DEO se invisos, atque ab eo desertos tradi barbarorum in manus; incusare magistatus, quòd protollendo deditionem, crudelitatem obsidentium exasperarent: satius esse, vivos in arbitrium Holofernis concedere, quàm acerbissimo mortis genere, siti enecari. Rursus revocata in mentem superbi victoris immanitate, & vicinarum urbium exemplis perculsi, divinæ spem misericordiæ in se ipsos reflectere, sublatisque cœlo manibus, Numen æternum, sui Vindicem honoris obtestari, magnis planctibus clementiam implorare. Quibus fatigati clamoribus & fletibus, primores civitatis, & omnium princeps Ozias, pollicentur se urbem hosti, nisi quintum intra diem cœlo veniant suppetiæ, permissuros.

Intellexit eam animorum abjectionem Iuditha; evocat Oziam ad se [tantum auctoritatis fuit in præclara matronæ virtute gravitatéque, ab arrogantia fastúque procul alienæ] & duos è primatibus, *Charmium* & *Chabrium*; habere se, quæ ad comunem patriæ salutem cum ipsis communicaret. Neque dubitârunt illi, sanctimoniâ vocantis permoti, venire. Præsentes gravi oratione coarguit, quòd certorum præfinitione dierum, divinæ modum Provi-

dentiæ ſtatuere non vererentur; viderent etiam atque etiam, ne diffidentiâ, uſque adeò Bonitati Numinis injuriosâ, furorem accenderent potiùs, quàm miſericordiam provocarent. Nunquam adeſſe DEUM propiùs, quàm cùm longiſſimè abeſſe videtur; nihil non poſſe apud eum preces demiſſas, confitentium reorum ſuſpiria, flexas in obſequium cervices, & animos quidvis antè perpeti, quàm religionem prodere paratos. Sic Abrahamum, ſic Iſaacum, Iacobum, Moſen, DEO per omnia probatos, viam ſibi, adverſarum tolerantiâ rerum, ad magnas felicitates munijſſe. minora peccatis eſſe ſupplicia; nec certius ad ea avertenda remedium ſuppetere, quàm mentem æquam, & in quacunque fortunæ concuſſione, divinô præſidiô nixam. exemplis ſe Majorum doceri, populum DEI jacturi poſſe, mergi non poſſe. Id ita ſentire eos præcipuè, par eſſe, quos ſuprema poteſtas officio patriæ, religionisque tutandæ admoviſſet; ipſos eſſe columna, quæ nutantes ſuſtentare, non autem in ruinam impellere debeant labantes. Urbes defendi magis pectoribus, quàm propugnaculis; ſanguinem in cauſſa tam honeſta propinantibus, vel è pumice fluxuras aquas, quibus ſuam ipſi ſitim, hoſtium ferociam extinguant. Meminiſſent autem, DEO nec diem poſſe dici, nec præſcribi.

Dedit in ruborem viros conſtantia feminæ, conciliante dictis ejus fidem ac reverentiam, rara laude, famáque apud omnes, integritate vitæ, collectâ. Quid enim illâ caſtius; quid pudicius? quartum jam annum viduata marito, [*Manaſſi* nomen erat,] ita vivebat domeſtico cum gynecæo,

domus

domus ut ejus schola probitatis, illa verò magistra haberetur. Hinc in ea, amplis quamvis opibus affluente, ætate formáque florente, summa vestitûs modestia, corporisque edomandi severitas; nam *lumbos* [quod sacer Historicus meminit] aspero cilicio stringere solebat, & quotidianis penè jejunijs corpus affligere; Precandi verò studio sic erat addicta, superiorem ut ædium partem in formam cujusdam sacelli conformaret, ubi ab aditu hominum, strepitúque remota, cum puellari contubernio, pijs meditationibus, precibúsque vacabat. Hæc pietas effecit, ut DEO juxtà, hominibúsque chara, facilè suam in sententiam flecteret Proceres. Citra quorum consensum, cùm nemini, noctis præsertim tempore, patefierent urbis portæ, exitum nocturnum Iuditha petijt, cujus causſam ut nollent tantisper cognitam, rogans, donec eam eventus aperiret: Esse quædam consilia tamdiu tuta, donec tecta; id modò agerent, & meditati progressum facinoris, communibus DEO precibus commendarent. Quid non persuaderet facunda prudentia; cùm non posset non subesse arcanior vis, cæteroquin de die quoque publicum fugienti? Domum redeunt suam Primates; ipsa sublimiore acta spiritu in familiare se sacrarium [sacræ litteræ *Oratorium* appellant] refert. hîc pugnæ sese instanti præparans, cum lacerna ex pilis horrida, tanquam latiore *lorica*, hispidum cingulum mutat; galeam suppeditat *spes*, in auxiliari Numinis dextra collocata; pro *telis* sunt ardentium suspiria precum in cœlum evibrata. Præludium diceres, sed totis exercitibus fatale.

Atque hæc in umbra. Mox in campum proditura, ſatis ubi munitam ſe vidit ad vim propulſandam; ad vim quoque inferendam, ſe comparavit. Oris venuſtati nativæ ornatum addit veſtimentorum cultu; pretium formæ excandefacit muliebri mundo; aptatur mitra capiti, digitis induntur annuli, appenduntur auribus elenchi, pedibus ſandalia inducuntur; totum corpus ſpirat balſamum; ſpicula hæc erant ad pectus barbari Ducis ſauciandum: tormenta ad potentiam ferocem ſternendam. quamquam ipſa, quidquid hoc illiciorum blandiebatur, non ad libidinem, ſed ad patriæ ſalutem, Numinisque honorem referebat. Holofernis amorem excitare voluit, ſed honeſtum; parata etiam ad connubium cum eo ineundum, ut vel ad DEI Veri cultum traduceret, vel è Iudæa, aut etiam vita [id enim facultatis ab altiore poteſtate acceperat] eijceret hominem. Et verò nihil in ejus ornatu, conſilióque improbum fuiſſe, divinæ paginæ teſtantur, quæ Iudithæ *pulchritudini incomparabilem* è cœlo *decorem* adjectum fuiſſe memorant. Fuit itaque hic belli apparatus haudquaquam ad laſciviam incitandam, ſed ad victoriam de hoſtibus DEI reportandam, inſtructus. Nunc ad certamen veniamus.

Nox erat adulta, & Iuditha, comitante *Abra* famula, commeatúmque frugalem [nam & hic pio ſtratagemati ſerviturus erat] in aſcopéra, geſtante, mœnibus urbis egreditur, fauſta Primatum apprecatione eam proſequente; nemine tamen conſcio propoſiti. Poſt partem noctis in precibus poſitam; adeò nihil ſine Numinis auſpicio tentabat; die jam illuceſcente, in ſpeculatores Aſſyrios incidit; trans-

fugi-

fugium simulat; accipitur humaniter, gratiam ei & benevolentiam comparante mirabili oris majestate. Dea aliqua videbatur in casses incidisse, digna Imperatoris connubio. Adducitur ad Holofernem lectissima præda, mox futura prædatrix; tantò namque vincebat faciliùs, quantò minùs timebatur. Sedebat barbarus sub conopéo purpureo, auro & gemmis radiante; prosternitur in faciem venerabunda Iuditha; statim sublevata, capit Ducem, antequam retia explicaret; quot nictus ex oculis, tot faces jaculari; quot verba promere, tot amoris illecebras spargere visa, rapuit attonitum tantæ venustatis miraculô.

Succesſit ex voto prima velitatio; graviore deinc manu pugnabitur. Diversorium advenæ assignatur, illud ipsum Tabernaculum, cui Holofernes thesauros suos crediderat, & inter eos, hanc fœminarum gemmam. Accurantur cætera, quæ ad demerendam hospitam tam nobilem idonea credebantur. In ijs erant dapum lautitiæ, de mensâ imperatoria ei constitutæ; quas illa modestè recusans, negabat sibi per religionem fas esse, alijs vesci cibis, quàm quos secum attulisset. Hoc unum, magni beneficij locô se petere, ut liceat sibi sub noctem, & diei crepusculum extra tentorium se efferre, ad statas ablutionum & precum vices, pro more gentis suæ, obeundas. Nihil negatur petenti. Per trinoctium igitur itum & reditum iterantem, procul suspicione habebant excubitores. Post quatriduum in castris actum, jubet Holofernes apparari convivium Assyrio splendore, & Iuditham ad id vocari. internuntius est *Vagao*, Eunuchorum Princeps, & Duci

& Duci à cubiculis, artis lenocinandi callidissimus. Condicit invitata, comparet, assidet, bibit, edit; sed non alijs de cibis, quàm quos secum in sportula domo extulerat. Babylonij Proceres epulari hilaritate longiùs provecti, poscunt majoribus se poculis, coronant in orbem vina, donec offusa capiti caligo temulentos deposuit. Ante omnes ratio pedésque labebant modimperatori; quare merô, somnóque gravis defertur cubitum. Inducitur idem in conclave Iuditha; obserantur fores; omnia parata sunt ad flagitium. Columbam diceres in accipitris unguibus, nisi fortior protegeret manus. Sed nimirum Spiritus ille, qui Iuditham excitavit ad facinus supra sexum suum moliendum, adfuit in arena consistenti, séque flagrantibus votis ad ictum paranti. incendebat animum ad audendum sobrius pudor, patriæ amor, fiducia DEO plena.

Tyrannus interea altos de pectore somnos profla-re, & sui, & cogitati immemor, impósque flagitij. Monuit opportunitas matronam exequendi consilij; quare facinus longè fortissimum aggressura, novum è cœlo robur precatibus haurit; arripit deinde acinacem, seu gladium Persicum, ad caput lectuli pendentem [lampas de tholo suspensa lumen præbebat] quantóque potest virium nisu, in obesam cervicem incutit; geminatum ictum, sequitur caput. id illa mox conopeo [sub quo Tyrannus considere assueverat] involvere, truncũ corpus in terrã evolvere, caput abscissũ pediseguæ foris præstolanti tradere; hæc illud peræ suæ immittere; inde properanter ambæ castra & vigilias prætergredi, mœnibus

bus Bethuliæ silentiô noctis succedere, datóque adventûs sui indiciô, in urbem admitti. Ingens continuò civium & magistratuum concursus, tantò majori omnium noscendi aviditate, quantò minore revidendæ Iudithæ exspectatione. Factô silentiô, rem omnem enarrat Virago, capútque Holofernis cum conopeo ostentat. vix habetur fides oculis; hærent aliquamdiu attoniti in aspectu truculenti vultûs. mox securi cædis peractæ, incredibile dictu est, quantis congratulationum & gratiarum actionibus DEO, Judithæque laudes ingeminatæ. Evocatus nominatim Achior, ubi verticem barbari Ducis oculis subjecit, in stuporem & animi defectionem datur. Sibi redditus, pervolvitur ad pedes Heroinæ, deosculatur manus triumphales; & ne quid ad communem lætitiam deesset, se quoque victum professus, ejuratis idolis Ammoniticis, Iudaica Sacra amplectitur.

Cæterùm ubi illuxit, & dies suspensum pro mœnibus Bethuliæ, Holofernis caput ostendit; tantum hostibus terroris, quantum audaciæ civibus injectum est. Erumpitur è civitate; magnis animis & clamoribus in Barbaros itur. Turbatur, & tumultuatur totis Assyriorum castris. Concursio, & confusio ad arma conclamantium, ac Imperatorem ad curas militares vocantium. Accurritur ad Ducis tabernaculum, excitatur nequicquam strepitus; denique per fores surdas irrumpitur. Et ecce, horrendum spectaculum! truncum, tabóque cruentum Holofernis cadaver apparet, humi provolutum; Iuditha frustra quæritur; *Mulier Hebræa*, cædis auctor, per omnia castra diris, devotionibúsque

que jactatur. Tum verò, ubi hinc Bethulienſes ferociter imminebant; inde, nec qui imperia dividerent, nec qui acciperent, erant; velut amentes & lymphati, quà cuique ad fugam patuit via, per campos & colles, præcipites feruntur Babylonij, ſine ſignis, ſine ordinibus. Nec arduum fuit Iudæis, undique jam concurrentibus, palabundum exercitum, ſine capite truncum concidere. Paſſim cædes, ſpolia, triumphi; colligendæ prædæ vix ſpatiô menſis ſufficiente. Opimæ Ducis manubiæ, prout par erat, omnium inter applauſus & gratulationes Victrici Heroidi cedunt; quas tamen ipſa pro ſuo modeſtiæ & religionis affectu, DEO Victoriæ Largitori pro anathemate & trophæo, in Templo Solymæo conſecravit; ubi votis & gratijs ſolenniter inſtauratis, tanti memoriam beneficij, auctore Ioachimo, Pontifice Summo, trium conſequenter menſium feſti dies celebrârunt, & redeuntibus annis iterârunt.

Annos erat nata triginta tres Iuditha, quando nobiliſſimum facinus patravit; provixit ab eo tempore ſeptuaginta duos: univerſim centenos quinos, omnium laudum æternæque gloriæ fæmina; virtutis ac pietatis, etiam inter Chriſtianos admirandæ, imitandæque. Longè clarior ex triumpho, quem de ſe ipſa, quàm quem de Babylonio hoſte egit. In ætate florida caſtitas ſine labe; inter diſcrimina pudicitia ſine læſione; in formæ prodigio, concordia honeſtatis; viduitas inter opes, afflictatio corporis inter illecebras vitæ; frequentia precationum in ampla familia; demiſſio mentis in ſummis honoribus; tenor probæ juventæ in longæva ſenecta; conſtans

stans præconium in inconstanti vulgo, totidem sunt Triumphales Tituli, quos secum intulit monumento laureato; consors ejus in tumulo, cujus fuerat in thalamo; redijt ad eum mortua, post quem, admisit alium nullum viva, communi cum Manasse marito, sepulchro condita. Virtutis odor, post tot annos à relata victoria lapsos, spiravit etiam tum, cùm publico luctu elatæ, Senatus, Populúsque Bethulienſis septiduum exsequiale impendit. Sed encomiorum omnium summa est, ejus fuisse Typum Virginis, quæ pedibus contrito Serpente, Holoferne infernali, Populo DEI in extrema miseriarum adducto, præsentem salutem & triumphum attulit, dum Filium suum, Mundi Salvatorem dedit. Huic nobiliore titulo conveniunt illa Iudithæ præconia: *Tu gloria Ierusalem, Tu lætitia Israël, Tu honorificentia populi nostri.*

NARRATIO CII.

SUSANNÆ CASITAS FORTIS.

Daniel. cap. 13

Anno Mundi 3437. ante Christum 616.

HOnestum ei vile est, cui vita est nimis chara. Satiùs enim vitam corporis perdere, quàm animæ, id est gratiam DEI. Postquam *Nabuchodonosor* cognomento *Magnus* Ioakimum, Solymorum Regem, cum flore Iuventutis interfecit,

cit, [quod superiùs exposuimus] ejúsque filium *Ioachimum* seu *Iechoniam* cum decem nobiliorum Iudæorum millibus abduxit in captivitatem, Daniele cum Socijs admodum pueris regio sanguine oriundis, aliísque gentis Hebrææ primoribus, jam antè in Babylonicam servitutem abstractîs mirabile castitatis & fortitudinis specimen fæmina, puérque Hebræus ediderunt.

Tenebatur Babylone cæteros inter captivos Matrona, cui *Susannæ* appellatio [Lilium Chaldæis dicitur] pulcherrimâ rei cum nomine convenientiâ, nam ut Luna minores inter stellas, Lilium inter flores, sic illa formæ castimoniæque præstantiâ Hebræas inter nurus eminebat. Quibus ornamentis accessit cùm præclara Legis Divinæ intelligentia; tum singularis in DEUM religio cum lacte matris imbibita, & diligenti educatione nutrita ac aucta. Parens ei *Helcias*, maritus *Ioakimus* nomine, vir comprimis nobilis & copiosus, Iudæorum, qui Babylone degebant, facilè princeps. Habebat is hortum, ædibus suis vicinum, varij generis arboribus consitum, & ad omnem amœnitatem exultum. In cæteris Viridarij gratijs Piscina visebatur, in quam desilientes ex alto lymphæ, vitreo liquore oculos ad contemplandum, artus ad lavandum, temperie frigoris invitabant. Eò se meridiani sub æstum solis conferre *Susanna* solebat, opacas inter frondes tam calorem fractura, quàm vires deambulatione excitatura. Advertit ea res lascivos duorum senum oculos, qui *Ioakimi* domum frequentabant, ibíque jus dicebant populo, (*Achazem* & *Sedechiam* appellant) judiciorum detestabiles corruptores;

es; quippe qui per speciem juris dandi, matrimo-
nia maculabant, intentatis, siqua verecundior eo-
rum libidini refragaretur, capitis ac fortunarum ex-
cidijs; repugnantes amicarum maritos supplicijs
adjudicabant; alia re nulla reos, quàm quòd rem
haberi cum sua prohiberent: dum è diverso nocen-
tissimum quemque, pessimúmque, dummodò cu-
piditati suæ velificantem, pronuntiarent innocen-
tem, liberatúmque pœnâ dimitterent. Cæterùm
judiciorum inter suos, & privatis in negotijs exer-
cendorum potestatem Reges Babylonij Iudæis fe-
cerant, ut illâ qualicunque patriæ libertatis specie,
patientiùs servile jugum tolerarent.

Atque hæc duo non minùs tribunalium, quàm senectutis probra, Veneris mancipia turpissima, cùm impuro castissimæ viraginis flagrantes amore, cæcum in venis ignem alerent, eúmque mutuò con-
fiteri non erubescerent, [diversâ namque viâ ad i-
dem flagitium dum properant, mœchus in mœ-
chum incidit] statuerunt, captata die & occasione, libidinis suæ prædam, in pomario Ioakimi venari. Fortè Susanna, contra solis ardorem parabat cor-
pus abluere, frondibus arborum & fruticosis septis occultata, atque, ut est solliciti plena timoris ca-
stitas, diligenter obserari curârat ostia Viridarij, duabus, quas secum habebat, puellis, per posticum dimissis, olei & smigmatis afferendi caussâ. Solam se credebat, & innocentiæ suæ securam; cùm duo lenones, dudum flagitijs, nunc arborum ramis coo-
perti, advolant ex insidijs, ad scelus velut equus & mulus adhinnientes. Sollicitant integerrimæ ma-
tronæ pudicitiam: reluctanti vim minantur, & ca-

pitale ſupplicium. Quid faceret deprehenſa ſinetefte caſtitas? undique conſtricta tenetur. hinc fides conjugalis, timórque Numinis prohibebat flagitium; inde mortis & dedecoris metus ad curam tuendæ vitæ, famæque revocabat. Reperit conſilium generoſus animus, atque, ſi pudicitia [cogitabat ſecum] in eum diſcriminis conjecta eſt articulum, ut ipſa vel ſit morte redimenda, vel cum atroci Majeſtatis divinæ injuria profliganda, occumbam antè millies, quàm tantum ut nefas in me admittam. Satius eſt alieno mori ſcelere, quàm meo. non perit, quæcunque pro virtute perit. Simulque rupto gemitu, ſuppetias alta voce poſtulat; tollunt contrà clamorem flagitioſi ſenes, reclusisque pomarij foribus, in vindicias deprehenſi ſceleris, ſervos advocant; mentiuntur, juvenem quendam perpetrato cum hera crimine, ſuis eluctatum manibus, fugâ dilapſum, flagitij conſorte in eo, ubi peccârant, loco relictâ. Audiunt famuli, quod ne cogitare quidem audebant. fidem ut adhiberent dictis, obſtabat explorata integritas dominæ: ut abnuerent, teſtantium auctoritas reclamabat; in ancipiti hærentium vultus, tacitus pudor ſuffudit. potuit is ruborem quoque perditorum ſenum inijcere fronti, niſi eam inveterata libido dudum perfricuiſſet.

Vocatur igitur in judicium, cui præmium propugnatæ virtutis debebatur; fruſtrata laſcivia in odium vertitur; ſedent judices ijdem, qui accuſatores & teſtes. Suſanna rea ſiſtitur; adſunt cum innocente parentes, filij, propinqui, non tam de ſua fama, quàm tribunalis juſtitia ſolliciti. Squalor & lu-

& luctus habebat omnes, quibus tanta virtus erat perspecta. Et cui non esset? stabat matrona pudicissima, ad caussam dicendam, calumnijs oppressam, suis infusa lacrimis, alienis pudefacta, astantium fletu magis absoluta, quàm deplorata. Impurissimi verò sollicitatores, nunc judices, ut vel aspectu satiarent libidinem, jubent ora velata retegi; sceleratas manus imponunt innoxio capiti, accusant adulterij, ignoto cum juvene commissi; mentiuntur, se præsentes flagitio interveniisse, tenuisse adulteram, adulterum verò, quippe viribus validiorem, eluctatum è manibus. Iret igitur populus in suffragia, & de criminis manifestâ, ferret ex præscripto legum, sententiam. Quò se verteret accusata? quem patronum eligeret in caussa, in qua testes erant omni exceptione majores; cum quibus loquebatur veneratio senectutis, auctoritas magistratus? Igitur criminatione Iudicum, & clamoribus plebis prostrata, solâ conscientiæ fiduciâ nixa, oculis in cœlum sublatis DEUM innocentiæ Vindicem appellabat. Iámque ducebatur innocens, lapidanda; non illam nobilitas parentum; non honestissima educatio; non sanctissimum conjugium; non vitæ præteritæ optima fama; non amantissimus maritus; non luctus & lacrimæ cognatorum à calumnia liberârunt.

Ibat ergò deserta ad locum supplicij, fortiter vitam posítura pro castitate, quam flagitio servare potuisset. Cum ecce, subitò prodiens in medium adolescens, annorum haud amplius duodecim, Daniel nomine; divino concitatus spiritu, palàm protetur, iniquæ cædis se innoxium esse; postulat re-

texi judicium impium, & de cauſſa penitiùs cognoſci. Stitit ea vox impetum populi, cùm DEus in puero, & ſapientia ſupra ætatem loqueretur. Ei, qui per annos, nec teſtis eſſe poterat, partes Cognitoris & Judicis imponuntur; quas non admiſit prudentiùs, quàm integriùs eſt executus. Iubentur in diverſum ſecedere accuſatores, interrogantur ſeorſim à Daniele, ecquanam ſub arbore vitium offerri vidiſſent Suſannæ. cúmque alter reſponderet, id factum ſub *Schino*, [ſeu lentiſco, arbore reſinam exſudante] alter verò diceret, ſub *prino* [quæ ad genus illicum pertinet] indignatus impudentiæ mendacij Quæſitor, utrumque calumniæ, convictíque criminis condemnat; eâdem, quam perjuro teſtimonio meruerant, pœnâ, & lege *Talionis* morituros. Æquitas ſententiæ ſummis, infimísque probatur; nequiſſimos ſenes, attentati, flagitij, falſæ accuſationis, perverſi judicij reos, populus lapidum grandine è numero mortalium adinferos exturbat. Hanc cataſtrophen conſecuta eſt publica lætitia, laudes DEO, gratulationes Suſannæ ac Danieli ſolventium, cujus ſapientia innocentiam calumniâ, honeſtatem infamiâ, caſtitatem ſupplicio, populum Hebræum injuſta cæde liberavit. Sic nempe iniqua in pios odia, æquiſſima deſinunt in authorum ſupplicia.

NAR-

NARRATIO CIII.

DANIEL EXPONIT NABUCHODONOSORI VISAM IN SOMNIO STATUAM. TRES DANIELIS SOCIJ IN FLAMMANTE CLIBANO ILLÆSI.

Danielis c. 1. 2. 3.

Anno Mundi 3453. 3455. Ante Christum 600. 598.

AUrea sanè virtus est, quam ignis probat. Suprà memoravimus *Danielem* triennem, & tres coævos puerulos, dynastarum & optimatum Judææ filios, cum Ioachimo Rege captivos Babylonem traductos, Anno M. 3428. quorum indole delectatus *Nabuchodonosor*, cognomento *magnus*, Rex Babyloniorum, Chaldaicis eos litteris, & lingua jussit institui, mutatísque nominibus, *Danieli* Balthasaris appellationem fecit, *Ananiæ* Sidrachi, *Misaëli* Misachi, *Azariæ* Abdenagónis; quibus cùm ad formæ gratiam vel augendam, vel conservandam lautiores dapes apponerentur, effecit Daniel apud *Malasarem*, moderatorem ipsorum, patriarum obtentu legum, promiscuum ciborum usum vetantium, ut in mensam non nisi legumina, & fontana inferrentur. Quâ victitandi ratione in experimentum decem dierum adhibitâ, non tantùm

tùm nihil de oris venuſtate detritum eſt, ſed multò etiam ſupra ceteros ephebos habitius redditum. Chaldaicis ubi diſciplinis ſatis videbantur imbuti, regis in conſpectum admiſſi, ſpecimen doctrinæ dederunt, quâ non æquales modò, ſed ipſos etiam magiſtros longo ſuperabant intervallo; divinô utique, & quod ſupra humanam eſſet facultatem, auxiliô. Ejus ſapientiæ fama brevî per regiam ſparſa, magnam apud omnes admirationem concitavit, ſed non ſine comite invidia, quæ ſuum in eos venenum aliquanto pòſt tempore, effudit.

Triginta jam circiter annos Babylone verſati fuerant Hebræi juvenes, cum præclara virtutis & ſcientiæ exiſtimatione; cùm ad Regis gratiam, & ſapientiæ commendationem, novum Danieli ſuppeditavit argumentum, oblatum Nabuchodonoſori ſomnium. Terrorem quippe incuſſerant rerum futurarum objectæ per quietem ſpecies, quas cùm vigilans in mentem revocare non poſſet, & tamen ſollicitum tenerent, quid portenderent, inſtitit à Conjectoribus exquirere tam ſomnium, quàm ejus ſignificationem; propoſitô non magis præmiô divinantibus, quàm pœnâ fallentibus: ratus, qui cœlitus ſomniorum interpretationem diſcerent, eos ſomniantium quoque imagines ſcire debere. Tergiverſantes ariolos & haruſpices [quis enim devotis orco capitibus arcana cœleſtia aperuiſſet?] juſſit ad unum omnes abripi, neci dedendos. Eadem ſors Danielem cum ſocijs manebat, invidiâ, an inſcitiâ Præfectorum rerum capitalium, adpœnas vocantium, quos ad interpretationem ſomnij non vocârant. Daniel igitur ſupplicium averſu-

rus,

rus, petit inducias exigui temporis, ad DEUM ſuum per preces conſulendum. Quibus per *Arioch* militiæ principem impetratis, ubi cum ſocijs divinam opem enixis precatibus imploravit, affulſit è cœlo lux inter noctis tenebras. Didicit Daniel evolutionem myſterij ; & aditum ad Regem poſtulavit, ſimul ejus animum triſti exſpectatione futurorum, ſimul Chaldæos magos metu ſupplicorum liberaturus. Introductus ad tyrannum, negat propoſitæ quæſtionis nodum à Babyloniæ ſapientibus ſolvi poſſe; Secretum eſſe, in cœli tabulis conſignatum, & à nemine explicandum, niſi cui Numinis æterni indulgentiâ conceſſum ſit, rei tam arcanæ propiùs oculum admov re. ejus gratiæ cùm ipſe ſpiritum hauſerit, expoſiturum ſeſe vigilanti, quas dormiens accepiſſet ſpecies. Quieſcenti viſam eſſe ſtatuam quadriformem, capite ſcilicet *auro*, pectore *argenteo*, ventre *æneo*, tibijs *ferreis*, in pedum digitos ex *luto & ferro* mixtos deſinentibus; portendi quatuor Mundi Imperia, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum ; conterenda tamen omnia unico *lapide*, de montis faſtigio, ruiturô, quintóque regno, longè majori cæterîs, initium daturô. Rex attonitus expoſitione ſomnij myſtici, proijcit ſe in faciem, hoſtias petit & thura, divinos Danieli honores impenſurus. Quos ille procul à ſe removere, ínque ſupremum Mundi Dominum, cœli terræque Regem transferre: ejus eſſe munus, eſſe favorem, quidquid ſibi lucis in ea ſomniorum caligine affulſiſſet; ei laudes unicè, gratésque deberi. Præeuntem divinæ Majeſtatis prætonia, Rex ſequitur, palámque conteſtatur, ſum-

mis adorationibus eum DEUM colendum, cujus inspiratione Hebræus Vates oracula referâsset.

Nec dilatum est præmium Interpreti fatidico. Muneribus tantis & honoribus cumulatur, totius ut imperij Babylonici proregia dignitate ornaretur. Admisit eam Regis benevolentiam Daniel nulla ambitione, sed eximia in cives suos per Babylonicum regnum exulantes, charitate; quibus ut esset præsidio, id insuper gratiæ apud regem indeptus est, ut non ipse modò secundas Imperij teneret, sed socij quoque tres juvenes, majorum regni negotiorum administri constituerentur.

Favonios adeò secundè spirantes tempestas excepit horrida, partim Regis ambitione, partim aulicorum assentatione, & in Hebræos malevolentiâ, concitata. Nabuchodonosor namque, sive insolescens imperij sui potentiâ, quòd tantùm cæteris præcelleret regnis, quantùm aurum vilioribus metallis antecedit; [caput enim statuæ Babylonio regi Daniel comparavit] sive suspicionem Iudaicæ religionis à se amoliturus; sive Procerum invidiæ velificaturus; sive opulentiam & magnificentiam dominatûs ostentaturus, suam in colosso effigiem jubet erigi, sexaginta cubitorum altitudine, ex ligno, laminis aureis ad operis quà firmitatem, quà pretium, obtecto. Ad venerationem colossea statuæ convocantur edictô, cùm populus universus, tum præcipuè Purpurati; in quibus cùm numerarentur *Sidrach*, *Misach*, *Abdénago*, haud sanè, per externam saltem officij speciem, abesse licuit ab eo cœtu. Danielem, ut credibile est, vel colloquia cum Rege in Aula, vel negotia peregrè distine-

bant.

bant. Si præsens adfuit patrociniũ pro socijs omisit, aut quia credebat irritũ, aut quia prævidebat supplicíũ ignis iñoxium. Statuæ circumfusi erant Symphoniaci, cũ omnis generis instrumentis musicis, capitis in eum pœnâ sancitâ, qui audito tubarũ & tibiarũ & fidium sonitu, non decresceret in genua, imaginem Regis pro Deo adoraturus. Signô concentibus datô, cùm omnis multitudo sese coram colosso prosterneret, steterunt erecti tres Hebræi juvenes, aut viri potiùs, negantes per sua sibi Sacra fas esse, divinitatis cultum in lignum aut metallum conferre; mortem priùs oppetendam millies, quàm admittere piaculum tam immane. Ea libertas omnium iram provocavit; Satraparum imprimis, quibus jam dudum Hebræorum apud Regem gratia, tormentum in oculis erat & animis. rapiuntur igitur tanquam ultima meriti in regiam, accusantur spreti mandati, postulantur ad necem. Tyrannus furore, in quem aliàs præceps ferebatur, admotis insuper Purpuratorum & Sacrificulorum flabris, nimiopere excandescens, cùm terroribus ingerendis nihil proficeret, in flectenda Hebrææ virtutis constantia, fornacem imperat naphtâ, stupâ, pice, malleolis inflammari, septuplô vehementiùs, quàm solitum erat, & in eam contumaces Apellas, ita ut erant vestiti braccis & tiaris Persicis, manibus, pedibúsque ligatis immitti. Iussum, factum. Sed ô prodigium potentiæ divinæ, cui famulantur elementa sive ad clementiam, sive ad vindictam! Beati heroes per medios undantium ignium vortices inambulant illæsi, ne capillô quidem adustô, vinculis liberi, laudésque DEO læta

voce canentes, cœlesti Genio lenem ventulum, & rorem, mira cum voluptate eis afflante; flammarum contrà globis in illos erumpentibus, qui ferale ministerium exequebantur, momentóque redigentibus in cinerem. Exsternatus miraculi novitate tyrannus, evocat è clibano juvenes, qui incolumes per obstantes egressi flammas, tam Regem, quàm proceres, prodigij spectatores, timore & reverentia veri Numinis impleverunt. Celebratur omnium laudibus & præconijs DEUS cœli, Dominator Universi, tantorum mirabilium effector; gravissimáque statuuntur in eos supplicia, qui verbo, factóve contumeliam essent irrogaturi Regi æterno. Erepti flammis juvenes, tantò prodierunt illustriores, quantò per ignem probatiores, majoribus etiam honoribus, quàm quos gesserant, aucti, provinciarum præsides, & supremi tribunalium præfecti sunt creati. Adeò DEUS non deserit eos, à quibus Ipse non deseritur; & promptitudinem pro gloria sua moriendi, præsentibus etiam præmijs remunerat. Tam honestis periculis quò se quisque fortiùs objicit, hoc ijs præclariùs defungitur. Fornax, ait quidam, Babylonica patientiæ fuit gymnasium, constantiæ theatrum, virtutis campus, divinæ potentiæ palæstra, innocentiæ triumphus.

NAR-

NARRATIO CIV.

NABUCHODONOSORIS METAMORPHOSIS IN BESTIAM.

Daniel. 4.

Anno Mundi 3463. 3464. ante Christum 590. 589.

FUlmina altissimas feriunt arbores, & nemo hominum citiùs à divina fulminatur vindicta, quàm is, quem altùm effert superbia. Defunctis eô, quod narravimus, periculô Hebræis proceribus, nova Danieli oblata est occasio, Numinis, Nominisque Judaici insigni documento illustrandi, Somniabat iterum Tyrannus Babylonius (solet enim DEUS somniantibus quoque loqui) ob oculos suos obversari arborem tantæ proceritatis, nubes ut vertice contingeret, foliorum explicatu latè terram inumbraret, magnáque fructuum turgescens ubertate, nidum volucribus, habitaculum bestijs, omníque mortalium generi escam suppeditaret. Videbatur Voluptas ipsa frondoso sub tecto posuisse sedem; adeò blandiebantur omnia. Sed ô nimiùm brevis amœnitas! adest subitò de cœlo Genius Excubitor, divinæ minister providentiæ, minacíque voce præcipit, succidi arborem, amputari ramos, dissipari folia, dispergi fructus, stirpis duntaxat radice relictâ, denuo in fructus pullulaturâ. Addit cœlestis præco explicationem Symbolo; denuntiátque eum, quem denotat arbor, talia fata sub-

ſubiturum, vinciendum ferro, & omnibus cœli injurijs expoſitum, ſilvas inter & feras, herbis ſeptenniô paſcendum. Turbârunt non regem modò, ſed Danielem quoque, ſomnij interpretem, tam dira oſtenta, ſubeunte animum Vatis commiſeratione ſimul & admiratione, ex tam inſolenti tantæ fortunæ commutatione; regem nuper potentiſſimum, opibus & delicijs affluentem, magnæ orbis parti imperantem, in beſtiam deformandũ, vinculis conſtringendũ inque ſilvas expellendũ. Cunctanti exponere triſte vaticiniũ addit animũ rex jam modeſtior, & ad cœli decreta excipienda paratior. Explicat horrida portenta Daniel, & per fatalem arborẽ diverſas regiæ fortunæ vices oſtendi declarat; ſummam Babylonij monarchæ felicitatem in extremam calamitatem mutatum iri; non tamen eſſe fatorum vim tam ineluctabilem, ut mitigari non poſſint pijs animi pœnitentis ſupplicijs, & liberali ſtipe in egenos ſparſa. Etiam Numinis iras auro flecti. Nimium quantum apud cœleſte Tribunal poſſe, partem in utramque, pauperum gemitus; faceret nunc pecuniarijs elargitionibus Advocatos, quos exactionibus reddidiſſet Actores. Demitteret ſublimes illos ſpiritus, & cogitaret regnum quámcunque potens, ſub graviore tamen regno eſſe. Facilè perſuaſit Orator, cui terror audientiam fecit: Nabuchodonoſor minaci cœlo clypeum obijcit, liberalitatem in egenos. Et verò ſuſpenderunt fatalem ictum eleemoſynæ, modeſto non minùs animo, quàm larga manu erogatæ; ſed non diutius annuò ſpatiô, redeuntem quippe ad inſiti faſtûs arrogan-

tiam

tiam Regem, ſecuris de cœlo intentata, dejecit. E regio fortè ſolario urbis Babyloniæ ſplendorem & amplitudinem demirabundus contemplabatur, elatúsque tanta molium & exſtructionum magnificentiâ, videbatur ſibi humanum faſtigium ſupergredi, capútque novus Enceladus ſideribus inferre. Et nónne, inquit, hæc eſt Babylon, quam ego, Mundi jam antè miraculis adnumeratam, tantis molitionibus inſtauravi, ut omnibus orbis operibus prodigioſiorem efficerem. Vix arrogans & præſumidum verbum ex ore fluxit, cùm cœleſti quaſi fulmine divinæ vindictæ ſideratus & percuſſus, de poteſtate mentis dejectus eſt. Eum, qui Dijs ſeſe miſcuit, ultrix Nemeſis ne hominem quidem eſſe patitur. Repit per terram quadrupes, qui bipedum neminem ſibi parem ſuſtinuit: furit in obvios quosque, qui ne DEO quidem pepercit; vinculis conſtringitur ferreis, qui ſuperbo gentes omnes imperio frenare credebat. Quid multis? Nabuchodonoſor nuper hominibus omnibus altior, inſtar beſtiæ, pronus in paſtum abijcitur, fugit tecta, ſilveſtribus ſe feris aggregat, totóque ſeptenniô, ſaltus & avia manibus pedibúsque perreptat, incondítum aliquid ſtridens, capillis & unguibus in morem aquilarum excreſcentibus, totúmque corpus horrificantibus. Non ita tamen formam & figuram hominis perdidit, ut beſtiæ induerit; corrupta phantaſia leonem aut urſum ſibi finxit, & efferavit in animo, quidquid humanum erat.

Sic fuit edomandus faſtus tyranni, terræ cœlóque inſultantis. Inter feras denique factus mitior, & abjecto in humum corpore, demiſſior, oculos,

quod

quod ipsum miserantis DEI fuit, in altum sustollit, arrogantiæ suæ Vindicem agnoscit illum, prædicatque, cujus potentiæ par nulla potestas; cujus judicijs resistendi nulla facultas. Itaque sibi restitutus, etiam DEO, regnóque restituitur. Expletô namque septem annorum decursu, [quo temporis intervallo *Evilmerodachus* filius interregnum administravit] ab Optimatibus requiritur, sceptro, solióque redditur, id potissimùm agente Danielis sapientiâ, auctoritatéque. Annum, non ampliùs, supervixit, Princeps inter summos numerandus, hòc maximè, quòd Danielem Ministrum & Historicum sortitus, per eum habuit, ut in hominum memoria, & DEI, ut creditur, vivat, Beatorum albo adscriptus. Tanti fuit, aberrantem, ad se ipsum redijsse; &, qui sese nescierat in homine, didicisse in bellua. Amiserat se Nabuchodonosor inter assentationes in Aula, reperit se inter solitudines in silva; per insaniem, ad sanam mentem, & agnitionem tam sui, quàm DEI pervenit. Allusit huc Siracides cap. 6. & exemplis monuit. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus*: [cornupeta cæteras pecudes fugans, sternens, exagitans, uti fecit Nabuchodonosor] *ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam*] ne imperium & robur tuum evertat stulta superbia, uti evertit Nabuchodonosorem] *& folia tua comedat, & fructus tuos perdat*, [splendorem & opes regias perdat, quod contigit Nabuchodonosori] *& relinquaris velut lignum aridum in eremo* [destituaris amicis, familiaribus, subjectis, omníque humana ope & solatio, quod expertus est Nabuchodonosor, qui se

num ut bos comedit, & ut bos, rore cæleſti permaduit. Daniel 4. Ita ſcilicet rationem homini adverſa reſtituunt, quam nimia felicitas non rarò aufert.

NARRATIO CV.

DANIEL SACRIFICULORUM BELI IMPOSTURAM DETEGIT; SUPERSTITIOSUM DRACONEM OCCIDIT; AD LEONES DAMNATUR.

Daniel. 14.

Anno Mundi 3473. ante Chriſtum 580.

REmpublicam & aulam adeunti prima debet eſſe cura, placere DEO. Nabuchodonoſori vivis exempto, ſucceſſit in regno *Evilmerodachus* filius; apud quem cum Daniel non minore polleret gratiâ, quàm apud parentem valuerat, quotidianus ad regiam menſam conviva aſſidens; omnem moverunt Aulici lapidem, ad hominem Iudæum evertendum. cujus rei efficiendæ non multò pòſt occaſionem ſunt nacti. Accidit enim, ut ſermo incideret *de Belo* Babyloniorum Deo, quem in effigie intus lutea, foris ærea adorabant; ad ejus cultum cùm Danielem Rex invitaret, [utique palatinorum invidiâ eam technam adornante, neque enim Regi Danielis inexplorata erat religio] illé-

filéque pernegaret, inanimæ ſtatuæ divinos honores impertiri poſſe; Rex contrà niti vehementer inſtitit, doceréque, Belum utique vivere & ſentire, quippe in cujus quotidianam epulationem abſumantur duodeni farinæ medimni, oves quadragenæ, & ſenæ vini amphoræ. Riſit ad eas ſumptuarias rationes Daniel, recepítque, oſtenſurum ſe Regi, per fictilem idoli ſtomachum nihil cibi, nihil potûs tranſire; fraude ſacrificulorum fieri, quidquid inſenſilis ſtatua devorare videretur; cedere penûs illius dimenſum murium gulæ, alienam radentium eſcam; nec ſibi deeſſe muſcipulam, eos capiendi. Sapientia dicentis tantam Regi movit ſuſpicionem ſceleris, quantam indignationem ſacrilega fallacia; convocat omnes Beli popas, numero ſeptuaginta, intentatáque mortis pœnâ, ſcitatur, à quonam tantus cibi potúsque apparatus quotidie abſumatur. Illi verò perſtare in mendacio, & perfricta fronte poſtulare, ut veniretur in rem præſentem, obſeratôque Beli templô & foribus peſſulo, ſigillóque firmatîs, experimentum caperetur tam famis divinæ, quàm fidei ſuæ; propoſitô capitis ſupplicîô, ſi Numinis vel abſtinentia, vel gula, partem alterutram calumniæ damnaret. In eam audendi confidentiam, impoſtores adduxerunt meatus ſubterranei, cæcíque cuniculi, per quos de nocte cum uxoribus & liberis ſubrepentes in fanum, epulas Belo deſtinatas, ſuum abſcondebant in ventrem. Quorum fraudem palàm Daniel facturus, jubet delubri pavimentum inſterni cinere, poſtridie cum Rege, quid doli ſub eo lateret, exploraturus. Vix illuxerat dies, cùm Rex avidus rei cognoſcen-

dæ,

dæ, accedit ad ædem Belæam, comitante Daniele. reperit valvas inviolatas, sigilla integra; aperit, intrat, aspicit Beli mensam, pridie annonâ gravem, nunc jejunam & vacuam. Salva res. Eupulonem se probavit Deus. Pedem intrò ferre parantem, tantisper Vates retinet, donec intentò in pavimentum digitò, commonstret majora, minoráque per cinerem dolosum incedentium vestigia; occultos præterea aditus, in pariete apertos, per quos nocturni comedones commeare soliti. Non tenuit iram Rex, impudentiâ mendacij concitâtam. Quid enim? ab impuris sibi nebulonibus tam fœdè impositum esse? dat ocyùs in mandatis, ut fraudulenti ganeones cum omni familia sua abripiantur ad necem, fucúmque luant sanguine. Nec eâ contentus pœnâ; copiam insuper facit Danieli, simulacri, delubríque Belæi funditus evertendi. Sic astutia cepit astutiam, & bonus dolus malum plexit.

Post hunc cum Belo, ejúsque ariolis congressum, aliud viro divino certamen subeundum fuit, non cum exanimi statua, sed vivo *Dracone*; coluêre namque Babylonij, præter Belum, Serpentem quoque pro Deo, in subterraneo quodam specu, immani corpore stabulantem. Rex pari cum populo amentia, tantum ei belluæ divinitatis inesse credebat, ut ad ejus venerationem non dubitaret Hebræum Principem invitare. sive id fecerit Danielis constantiæ, sive numinis squamati potentiæ periclitandæ causâ; sive aulicorum id gratiæ dederit, novam Danieli nocendi ansam quærentium: nam facilè concipiunt ignem, quæ paullò antè extinctæ sunt faces. Hic verò superstitionem tam absurdam

dedocturus Regem, petit sibi fieri potestatem ejus Dei interficiendi. Rex nonnihil cunctatur ad postulationem tam inopinatam; quia tamen credebat, cum divinitate immortalitatem debere esse cunjunctam, assentitur petitioni. Daniel ut vitam belluæ, errorem cæcis eripiat mentibus, parat offam medicatam, ex pice, adipe, pilis; hanc conijcit in os hiantis bestiæ, simúlque distendit & disrumpit viscera. Novi in plebe, & inter proceres oriuntur tumultus; tantáque concitatur inter omnes ordines seditio, ut armatis precibus, minísque adorti sint Regem, ad permittendam sibi DEI, famque Belæi destructi, Sacerdotum occisorum, & denique divini Draconis interempti vindictam. Major erat seditiosorum vis & turba, quàm ut imperiô compesci posset. Et Regem tumultuantium furor magis ad sui curam, quàm Danielis converterat; Iudæus, quod exprobraverant Babylonij, audire nolebat. Privatam igitur calamitatem publicæ antehabens, virum amicissimum, déque regno suo optimè meritum furentium arbitrio concedit. Illi jam dudum invidiâ efferati, Danielem corripiunt, nihil expostulantem, nihil reformidantem, virtute sua, Deóque nixum. Antrum erat horridum, & septem leonum, prædæ inhiantium [nam subtractus pastus famem & rabiem accenderat] crudelitate formidabile. In hoc demittitur heros, à Rege secundus. Acuit oculos livor, &, si non artus, certè ossa sperabat discerpta videre. Sed innocentia impastos inter leones degebat incolumis, & fortior leonibus triumphabat. Si quid timeri poterat, fames erat, non leonum, sed leonini hospitis,

pitis. Providit igitur DEUS captivo suo commeatum. Sex ipsi dies abierunt impransо, cùm cœlo missus geniorum aliquis, *Habacucum* Prophetam, tum fortè messoribus suis prandium [pultem in alveolo] ferentem, capillis arreptum, mira celeritate, Babylonem ex Iudæa transfert; rursusque, cibô Danieli traditô, revehit eò, unde asportârat. Ita pastus, famelicos inter leones recubat, nunquam securior, quàm tales inter custodes. Septima pòst luce, Rex ad speluncam revisit, charissimo capiti, lacrimis parentaturus. Simul in antrum ut oculos demisit, siquas cruenti funeris notas deprehenderet, ecce tibi! Daniel dudum conclamatus, leonum medius, velut pastor inter oves conspiciendum se offert. quâ admiratione Regis, gratulatione, & laudum erga Hebræorum DEUM præconijs, haud pronum est explicare: Eum Unum esse, supremum rerum Dominum, totóque terrarum orbe, religioso metu colendum; adversùs quem quicunque contumelioſum os efferret, ei pessimè pereundum esse. Dehinc captivus extrahitur ex horrenti cavea; facinoris verò, & seditionis auctores, lege talionis damnati, conijciuntur in specum innocenti præparatum, momentóque à rugientibus bestijs discerpuntur. Ita scelus in caput redijt, & ferre coacti sunt, quod inferre machinabantur. *Lacum*, juxta psal. 7. *aperuerunt, & effoderunt, & inciderunt in foveam, quam fecerunt.*

NARRATIO CVI.

BALTHASARIS, ULTIMI BABYLONIORUM REGIS INTERITUS. Danielis. 5.

Anno Mundi 3516. ante Christum. 537.

TRutina DEI nimis quàm accurata est: pondus non habent, quæcunque virtutem non habent. Post mortem Evilmerodachi, habenas regni Babylonici cepit frater ejûs *Balthasar*, [quem aliqui Balthassarem, Balthazarem, Balsassarem, Baldeazarum, Belshazarem vocant] cum quo regnum interijt Chaldaicum, ad Persas translatum à *Cyro* Medorum & Persarum Rege, qui complurium Orientis populorum accinctus auxilijs, *Babylonem*, muris, portis, armorum robore, virorum bellacium multitudine, commeatûs denique copiâ præmunitam, obsidione biennali in potestatem redegit; ídque hunc in modum.

Admoto ad urbem exercitu, cùm Balthasari major conviviorum esset cura, quàm præliorum, & ipsa diuturnitas obsidij improvidos redderet, ac securos incolas, augerétque hostium contemptum; ex uno fortuna discrimine, cætera fecit. Acie cum Persis Chaldæi congressi, postquam profligati sunt, metum intra pectora, arma intra mœnia continuerunt. Eam hostis imbelliam in sua consilia vertit: adoritur expugnare latentes, quos aperto Marte fudit,

dit, fugavítque. Maximum victoriæ obstaculum erat Euphrates fluvius, qui Babylonem urbem intersecans, quàm magnis utrinque crepidinibus coërcebatur, tam validis vim externam munimentis arcebat. Eum igitur aggressi Persæ, in plures duxerunt fossas, vadosúmque & permeabilem reddiderunt. Exhaustus alveus urbi desijt esse præsidio. quamquam tunc quoque, si viri fuissent Babylonij, obicibus objectis hostilem poterant repellere impetum, & ex ripis, impunè telis excipere subeuntes. Mens defuit, non vires. Nam dum festivas idolis suis agitant ferias; dum ludis, choreis, convivijs omnia perstrepunt; Persæ noctis obscuræ tenebris, & inobservabiles viam sibi ad invadendum muniunt. Bacchanalia diceres vivere Babylonios, adeò nihil sobrium, nihil erat providum. Rex bibonum antesignanus. Optimates suos capacioribus provocare poculis, certare helluando, non secus, quàm si hostis super mensam esset debellandus. Curæ militares omnes merguntur vino; excubiæ nullæ, nisi ad calices, infuso semper mero coronandos. Atque ut deesset nihil, ad DEI, hominúmque vindictam accelerandã, Balthasar Modimperator potiùs, quàm Imperator, vino gravis & temulentus, sacra jubet afferri vasa, [quondam à parente, de Solymæo templo rapta, inque Belis fano inter thesauros adhuc asservata] in honorem Deorum Chaldæorum exsiccanda. Arma diceres ad certamen Bacchi inter mille Optimates, & uxores, ac concubinas regias ineundum; sed in malum pugnantium. Circumeunt inter profanas manus dicata DEO cymbia, jamque serviunt haræ, quæ nuper servierant aræ.

Estur potatur, cantatur, Dij Babylonis *aurei, argentei, ænei, ferrei* laudibus in cœlum extolluntur, laudatores in orcum deprimuntur.

Dum maximè fervet convivalis luxuria, ecce tibi! apparent in pariete digiti manûs scribentis, ex adverso lucernæ, mensam ebriam illustrantis. Mox terror ingens invadere spectantes; Regem præcipuè, in quem feralis scriptura maximè tendebat, ergo exalbescere metu, compavescere corde, totis artubus contremiscere, accersuntur arioli, augures, haruspices, incantatores; ponuntur præmia legenti arcanas litteras; quas cùm viderent omnes, nemo tamen sciret in sensum componere; consternatis regina mater, *Nitocris* nomine, supervenit; hæc filio sopore ac temulentiâ oppresso suggerit, Danielem ut advocet, qui apud genitorem, fratrémque, summis in honoribus habitus, secretorum sit conscius cœlestium, & divinandi scientiâ longè omnibus antecedat. Introducitur Daniel, sed parùm agnoscitur ab oculis vinô natantibus; terror & crapula memoriam omnem excusserunt. rogatur igitur, num is esset, cui rerum arcanarum cognitio tantam in Aula Babylonica famam, gloriámque peperissent. se verò honores cumulaturum honoribus, si exaratos in pariete characteres, quos Chaldæi sui explicare nescirent, interpretaretur. Negat Daniel sibi sapientiam muneribus venalem esse; desiderio tamen Regis obsecundaturum, & mysticum ænigma expositurum. priùs tamen, quàm id faceret, cœpit Balthasari in memoriam revocare exemplum parentis, insolentes adversùs DEUM spiritus inter feras expiantis; cujus rei cùm Rex haud

qua-

quaquam sit ignarus, tantò ipsum temerarium magis, illius esse dextræ provocatorem, cujus ictum tam gravem genitor sensisset. nam quænam hæc vecordia, vasa DEO consecrata, quæ triginta annis sine contumelia latuerant recondita; nunc demum protrahere, ebrietatis & sacrilegij flagitio contaminanda; sciret ergò, litteras occulta manu pictas haud esse oculorum ludibrium; dicam ejus capiti scriptam à cæli Domino; cognitam judiciô divinô caussam, latam sententiam, decretum supplicium: summam esse, MANE, THECEL, PHARES? annos regis ab eo, cujus sub nutu momenta vitæ mortalium decurrunt, numeratos; acta discussa, & velut in statera librata; ponderis autem injusti deprehensa, superante scelerum lance, libripende DEO; ideò malis ita meritis exigentibus, ipsum vita eijciendum, & regno: illúdque *Persis* ac *Medis* dividendum.

Non habuit miser, quò se verteret, præsertim cùm meliorem mentis partem temulentia abstulisset; jussit Vaticinio, quamvis funesto, promissa munera tribui, Danielem purpurâ, & aurea torque indui, tertióque post regiam dignitatem loco haberi; sive quòd crederet, longo pòst tempore hæc eventura: sive quod speraret, se honoratione vatis, tristia fata declinaturum. Quis autem non crederet, corollas tum defluxuras capite fuisse attonitis præsagiô, elapsuros manu crateras; impios & lascivos cantus, in preces & obsecrationes, placandi Numinis, abituros; convivas cladis imminentis denuntiatori, partes imposituros patroni? Sed nimirum sacrilegi calices caliginem oculis, & animis of-

fuderunt. Nihil jam agitur pro sana mente; mero depositi, crapulâ marcidi, intempesta nocte, impotens sui, somno metúque procumbunt. Sed aures salutaribus Consilijs clausas, mox aperuerunt hostilia classica. Sub idem temporis, effractis subitò portis per Euphratem vix genua tingentem, in urbem vino, somnóque sepultam irruitur. *Cyrus* ipse, & *Darius*, cum maxima copiarum parte, ductoribus *Gobriâ* & *Gadata*, viris principibus [qui nuper injurijs exagitati, à Babylonijs ad Persas desciverant] auspicium irruptionis faciunt; miscentur omnia cædibus, rapinis, incendijs. Quis explicet, quantus in re subita, trepidáque tumultus, quantus extiterit clamor alios è cubilibus, alios è mensis excitantium? Procurritur in publicum cum telis, quæ sors & casus in manum dederant. fœda ubique & conclamata rei facies. Pars pugnam & aciem poscere; pars fugam & latebras malle; nihil ex voto succedere. Bacchabatur per mediam civitatem strages, antequam, qui extrema habitabant, sentirent hostem intra viscera sævire. tripudijs multi & ludis malè vigilatam noctem ducebant, hostium securi. Ad regiam ubi perventum, evulsis foribus, primi omnium custodes, qui Herodoto teste, luculentum ad ignem potabant, trucidantur; exinde in penetralia irrumpitur; Rex epulis distentus, timoribus oppressus, nequicquam defensionem parans, cum uxoribus, concubinis, & aulica familia, ferro mactatur. Ubique luctus, ejulatus, cædes; armati pariter inermésque victoris gladiô cadunt; nulli sexui nulli ætati libido & crudelitas parcit; parvi liberi allidûtur ad saxa, quod dudû tanè Vates præcinuerat,

men-

mensæ non vino, sed sanguine natant; gaudium & cithara in promiscuas lamentationes vertuntur. Ruit alto à culmine Babylon, spectaculum Orbis, voluptatis sedes, gentium spoliarium.

Cæterùm imperium Babylonicum *Cyrus* socero suo *Dario*, vicaria potestate [qua ratione in Medos quoque dominabatur] administrandum commisit. Ipse, priùs quàm ex Babylonia transportaret in Persiam, exercitum, Iudæos à Magni Nabuchodonosoris usque temporibus, septuagesimum jam annum captivos, & barbarorum servos, manumittit, libertatíque redditos, in patriam quoque redire permittit; sacram Templi Solymæi suppellectilem restituit, ipsiúsque templi & urbis reædificandi potestatem facit, sumptibus etiam regijs in eas molitiones suppeditatîs, ad eam maximè inductus benevolentiam, Danielis virtute, sapientiæ, & illæsæ inter leones innocentiæ prodigiô. Id quod multò ante prædixit Isaias, cap. 44. *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.* More scilicet pastoris dispersum Iudæorum populum congregando, ínque patriam remittendo, tanquam oves dissipatas ad caulas suas. Felicem sanè Regem, si veri magis Adorator Numinis, quàm laudator esse voluisset.

NARRATIO CVII.

DANIEL ITERUM LEONIBUS OBIICITUR,

Danielis 6.

Anno Mundi 3516. ante Christum 537.

UT Victoria constare sine certamine non potest; sic nec virtus sine hoste. Quercus roboratur agitata ventis; palma pressa resurgit. Cum Danielis innocentia iterum in arenam invidia descendit, iterúmque repulsa, suô se laqueô induit, suô gladiô peremit.

Cyrus (quod narravimus) occupata Babylone, & Chaldæô imperiô sibi subjectô, *Darium* socerum, jam antè Medorum regno præpositum, etiam in Babylonia regnare voluit, in ejúsque potestate Hebræos captivos esse. Is tam prudentiâ, quàm annis gravis, quia facilè perspexit, quantum adjumenti consilijs suis ex Danielis sapientia accederet, habuit eodem ipsum apud se locô, quô apud Balthasarem regem fuerat. Cùmque Cyrus aliquantô temporis, Babylone subsisteret, Darius in *Mediam* abijt, curaturus, ne quid per regum absentiam, & belli tempora, ibi turbaretur. Comitem itineris secum abduxit Danielem; quem quanti æstimaret, statim patefecit, cùm ipsum centum viginti *Mediæ* satrapis, totidémque principatibus præfecit. Erant enim tres summorum constituti principum, quibus à subjectis dyna-

dynastis actorum reddenda ratio. In ijs triumviris eminebat Daniel, proximus á rege. Ab hoc tanquam ab oraculo pendebat Darius: huic totius gubernationem regni committebat. Respondit exspectationi fides & sapientia Hebræi Principis; qui quantò attollebatur altiùs, tantò indigniùs se deprimi, persuadebant sibi purpurati. Alienæ nam fulgor gloriæ cum in malignos oculos incidit, odijs succendit pectus. Exarsit igitur invidia in hominem exterum, alienigenam, Judæum, imò captivum, dominantem regno. Hinc nullam quietis capiebat partem, dum varijs machinationibus & modis, unum id efficeret, regem ut â Daniele abalienaret. Arduum hoc factu. Eâ quippe innocentiâ tractabat negotia, vir perinde integer, quàm sapiens, ut ne suspicioni quidem culpæ locum relinqueret. Materia calúniæ diu quærebatur, sed nulla se offerebat; tanta virtº obarmabat, Danielé, ut, ubi dentem livor figeret, non reperiret. Denique occurrit via nocendi, si discrimen ei à religione acerseretur, ambagibus tamen utendum, & nequitiæ palliolum politicum inijciendum. Sub larva venerationis regiæ, hospes invisus aggrediendus. Initur inter Proceres conspiratio, ad decretum impium, ac crudele à rege extorquendum. Occasio rei, hæc fuit.

Ubi Darius (Cyri, in expeditione, uti diximus, socius) victoriam illustrissimam, Babylone capta, obtinuit, totúmque Chaldeorum regnum Persis subjecit, institerunt assentatores satrapæ, ut quando rem humanis majorem viribus confeciſſet, ne dubitaret eum se agnoscere, quem rerum gestarum mag-

magnitudo feciſſet : Perſas non piè ſolùm, ſed etiam prudenter reges ſuos inter deos colere; majeſtatem enim imperij, ſalutis eſſe tutelam; ipſum verò inter homines deum agere non minùs utique debere, quàm Nabuchodonoſor & Balthaſar, victi reges egerint. Atqui neceſſarium eſſe, ut aliquanto ſaltem tempore divinitas innoteſcat, id autem futurum, ſi decretum edatur, ne quisquam ab ullo vel hominum, vel deorum, intra triginta dies quidquam petat, præterquam à rege. Secus qui faxit, eum leonibus prædam objiciendum. Darius etſi pro ſua prudentia ſatis intelligebat, quantum ineſſet injuſtitiæ in ea lege, per quam, neque filio à parente, neque miſero à locuplete, neque ægro à medico quidquam liceret rogare, niſi abs rege; qui nec locis omnibus adeſſe poterat, neque neceſſitatibus; expreſſit tamen conſenſum metus ſeditionis, nam per tumultum exigebatur; & videbatur ad regiæ gloriam majeſtatis pertinere, ſi major quædam veneratio ſubditorum animis incuteretur. Ergo facta legis eſt iniquiſſimæ latio, cujus rex documentum, quod minimè voluit, accepit.

Daniel, etſi regni curis multò quàm occupatiſſimus, moris tamen ſui retinens, ſtatas precandi vices minimè negligebat; ter quotidie in ſublimius ædium conclave aſcendere ſolitus, DEUM ex genibus adorabat. Ab ea conſuetudine ne tum quidem receſſit, cùm edictum regium in auribus, leonum ſupplicium eſſet in oculis; tanta quidem libertate, ut patulis etiam contra Hieroſolymam feneſtris, haud vereretur ſuarum arbitros precum admittere. Nimis quàm oculata fuit hîc invidia; quæ cùm fe-

ram

im reti implicatam tenere se crederet, gestijt scili-
et in alieno malo; gaudebátque insidias succesisse.
gitur Danielis æmuli continuò hominem Hebræ-
m majestatis læsæ crimine postulare. Advertit
Darius edicti sui temeritatem, vidítque, in quos
um ipse se, quàm Danielem amicorum fidissimum,
laqueos conjecerit; de cujus non minùs inno-
entia certus, quàm de tanti viri jactura tristis,
mni contentione laboravit, eum supremo discri-
mine liberare. id verô placuit consilio magis &
ratione, quàm auctoritate regia perficere. At
hoc erat contra torrentem niti. Principes Danie-
lis hostes, regis animo, conatibúsque animadversis,
velut manu factâ, simul omnes aggressi regem, in-
culcabant moris, & legum Persicarum sacrosanctam
vim, nulla vel immutatione, vel mitigatione infrin-
gendam. Cunctorum vox erat: *Daniel ad leones.*
Quid ageret Rex tantis in angustijs positus. Ur-
gebant lex, proceres, nomen regium, & insitus bar-
baris fastus. Cessit magis invitus alienæ ferociæ,
quàm suæ arrogantiæ. Daniel addicitur morti;
haud tamen absque regis confisione, fore, ut, quia
jam antè DEI sui præsidiô, leonum rictus evasisset,
iterum incolumis è leonina cavea rediret. In ejus
spei haud dubium signum, saxum, jussu Darij im-
positum est speluncæ, regióque, & optimatum an-
nulô obsignatum; ne fortè plus feritatis reperi-
ret in hominibus Daniel, quàm in belluis. Nona-
ginta tunc annorum erat senex, quando bestijs ite-
rum objectus est.

Sed nôrant, cui serviant leones; *Martial.*

Cœli

Cœli nimirum terræque conditori, & communi omnium domino, sine cujus permissu nec unguem movere licebat, nec dentem. Daniel iteratus belluarum hospes, iterúmque intactus, pro crudelitate ferarum blanditias experitur. Altior ei pax in ferali barathro, quàm regi in prætoriano satellitio; nam stimuli fodiebant pectus arcani, cur virum optimum, sapientissimúmque contra jus & fas, in belluinum antrum condemnâsset. Danielem verò mens recti conscia, Deóque innixa sustentabat, eodem leones locô, quô catellos habentem. Rex eam noctem incœnatus & insomnis egit, spem inter metúmque pro Daniele constitutus. Vix diluculavit, cùm ad leonum foveam properat; antróque proximus Danielem inclamat. *Daniel* inquit, *serve DEI viventis, DEVS tuus, cui tu servis, putásne valuit te liberare à leonibus?* Dan. 6. Fluctuabat nempè homo gentilium erroribus involutus, in divinæ potentiæ oceano. Respondit ex cruento specu Daniel; *Rex in æternum vive. DEVS misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* l. c. Ingenti gaudio perfudit ea vox regem; quare continuò demissum per funem extractus bestiarius hospes, salvus & incolumis coram rege adstitit. Cæterùm quantum lætitiæ ex salute viri amantissimi Darius, tantum indignationis concepit in adversarios; qui mox adduci jussi, cùm ad omnia alia se vocatos rati, in conspectu starent cùm ipsi, tum filij ipsorum & uxores, miraculíque magnitudine attoniti, quid responderent, non haberent, eodem in eos supplicio, quod Hebræo principi paraverant, animadvertitur. Pilas diceres, non homines; nam in antrum projecti,

li, antequam pavimentum attingerent, à leonibus xcepti, devoratíque sunt; eôdem Numinis Geniô im ora famelica dilatante, quæ antea, ne capiti innocenti nocerent, clauserat. Secuta est publica tanprodigij, divinæque potentiæ confessio. Rex subitis præit exemplo, & coram omnibus contestaus *Ipse est*, inquit, *DEUS vivens, & æternus in sæcula, regnum ejus non dissipabitur, & potestas ejus usque in æternum.* Daniel. 6. Ideóque omnibus contremiscendus & pavendus. Sic invidia, & ambitio in majorem Danielis, DEIque veri gloriam cessit. Daniel verò tot jactatus utriusque fortunæ casibus, aulici favoris exemplum & invidiæ, centum ampliùs exactis ætatis annis, *Martyr*, *Doctor*, *Virgo*, Babylone decessit, regio illatus conditorio, cui Salianus noster hoc epitaphium appendit:

Claudit spelæum hoc virum magnum, Viator, virum regio Davidis sanguine illustrem, regia plurimorum regum, atque imperatorum familiaritate, & honoribus clarum: Regis Messiæ vividô typô, ac spiranti figurâ clarissimum. Virum dico prophetam, Danielem, potentem opere ac sermone; qui duodennis Propheticæ lucis radios orsus accipere. ultra centesimum vaticinijs clarus evasit: Qui exponendo somnia, afflatúsque cœlestes, longinquos Imperiorũ progressus, longáque serie futuros Principes, Xerxes, Alexandros, Antiochos, Ptolemæos Titos ac Vespasianos, ultimúmque mundi portentum, Antichristum oculo perspicaci vidit, atque perscripsit. Qui septuaginta ipsos annos, populi exili-

exilium deplorans, postremam ejusdem populi reprobationem atque interitum tantò antè agnovit, exhorruit, renuntiavit, populi sui, Christum ac Messiam suum ad se missum negantis, & diem Visitationis suæ excæcatis malitiâ luminibus, non agnoscentis, quem ipse diem annis, hebdomadisque studiosè numeratis, indicârat. *Prophetam* dixi *Martyrem* dicere oportuit: qui septem leonibus rabida fame furentibus objectus in cibum, septenos ipsos dies latrantem bestiarum stomachum, arentes fauces, hiantia ora, ungues humano sanguini assuetos, frenavit atque compescuit: susceptóq; cũ imani dracone certamine, eũ medicata fruge disrupit, atque distraxit. Martyrem dixi; non satis est. Addo *Doctorem* populi, idolorum tenebris circumclusi? addo *Confessorem* in exilio seculari: addo *Virginem* in eo populo, in quo sterilitas erat pudori: addo *Eversorem* idolorum, veræ pietatis *Propugnatorem* ac firmamentum, Miraculum sapientiæ, fortitudinis, pudoris, & integritatis. Vitam in exilio ad centesimum decimum annum produxit: quingentis atque octodecim annis ante CH. D. nativitatem abijt è vivis. Anno ab orbe condito cIↃ, cIↃ, cIↃ. IↃ. XXXV.

NAR.

NARRATIO CVIII.

INSTAURATIO URBIS ET TEMPLI SOLYMÆI, SUB ZOROBABELE ET NEHEMIA DUCIBUS, ESDRA SACERDOTE, ET LEGIS DOCTORE.

Ex libris Esdræ.

Ab anno Mundi 3517. ante Christum 536. ad ann. 3629. ante Christum 424. quo anno defunctus est Nehemias.

CUm anno M. 3517. ante Christum 536. permittente *Cyro*, quinquaginta Hebræorum millia, duce *Zorobabele*, *Salathielis* filio, in Judæam reversi, templum instaurare cœpissent; *Cambyses*, Cyri filius, & successor, anno M. 3524. malevolorum criminationibus inductus, vetuit in ædificando pergere. Donec circa annum M. 3532. successit Cambysi *Darius*, cognomento *Hystaspides*, [quia *Hystaspe* genitus] equi hinnitu ad imperium provectus, anno M. 3534. rebellantem *Babylonem*, post novendecim mensium obsidionem expugnavit, operâ *Zopyri*, unius è septem Persarum præcipuis Satrapis; qui Principis amantior, quàm sui, naribus sibi, auribúsque fœdè desectis, simulatô à Persis transfugiô, dux Babyloniorum factus, copias Darij per proditionem, in urbem recepit. Ferro flammáque sævitum in rebelles; muri, portæque civi-

tatis dejectæ, è Babylonijs proceribus tria millia patibulis affixi. Cæterùm Darius *Zorobabeli* Hebræo, qui erat è corporis custodibus, in disputatione de re omnium fortissima [cùm alius vini robur, alius regiæ dignitatis potentiam extulisset; & mulierum quoque potestas in quæstionem venisset] veritatis vires præferenti, assensus est, eique in sapientiæ & ingenij certamine [nam duo alij è prætorianis stipatoribus, æquè Judæi, cum contribuli suo Zorobabele, de problemate disceptabant] palmam adjudicavit.

Susis, Persarum metropoli, tunc agebat *Darius*, adeò *Zorobabelis* obsequijs, & insigni prudentiâ captus, summis ut eum favoribus dignatus, jusserit non timidè petere, quidquid collibuisset. Ille Regi votum in mentem revocat, de Jerosolyma instauranda editum. Rex promissis respondet cumulatè; restituit, quidquid adhuc vestium, & vasorum sacrorum, ex Babylonio spoliario supererat; mandátque in urbis & templi reparationem, ac sacrificiorum apparatum, ingentes fieri sumptus; eximijs insuper immunitatibus, & privilegijs in Judæos collatis. Repensa cœlitùs munificentia. Rex triginta sex annorum felix imperium habuit: filium *Xerxem* & successorem, Regum potentissimum, reliquit.

Interea Judæa suis ex ruinis resurgit. Annitente potentissimùm Zorobabele strenuè laboratur in educendo Solymæo templo. Manus ultima imposita est, cum solennibus inaugurationis ritibus, anno Mundi 3537. ante Ch. 516. postquam sexennium ædificationi impensum. utique fœdè Hallucinantibus Iudæis posteris, qui solita vanitate quadraginta sex annos, in eo labore consumptos, objectabant Christo,

to, Ioan. 2. Quam aliqui supputationem ut tue-
antur, tempus exstructionis ordiuntur à Cyro, qui
potestatem fecit ædificandi, & interlapsa annorum,
operisque intermissi spatia continuant.

Iam sub annum M. 3609. ante Christum 444.
Nehemias, pincerna Regis *Artaxerxis* cognomento
Longimani [Sacra historia Assuerum nominat] res Iu-
daicas Iudæus ipse, multùm provexit, tum suis a-
pud Regem meritis, tum *Estheris* maximè reginæ,
Mardochæique gratiâ potens. nova per eum subsidia
instaurandæ Ierosolymæ impetrata, & magnis im-
pensis constantia.

Reparationem urbis nobilissimæ, iniquis aspexe-
runt oculis Samaritæ vicini, recrescentem veriti po-
tentiam, non minùs sibi, suisque timendam poste-
ris, quàm majoribus olim formidandam. Statue-
runt igitur operas improviso opprimere, & vi dissi-
cere, quod criminationibus ad Persarum Reges [plu-
rium enim fuit annorum odium] delatis, non po-
terant. Haud fefellerunt *Nehemiam* hostium consilia;
muris igitur speculatores impositi, armatorum præ-
sidia constituta, qui irruentes non imparati excipe-
rent. Arma quoque disposita, ut essent in promp-
tu, trullam cum gladio permutaturis.

Cæterùm ea laborantium contentione promo-
tum est opus, ut intra dies, non amplius quinqua-
ginta duos, mœnia fuerint perfecta, tanta firmitu-
dine, quæ Romano Imperio possit obsistere. Quod
& miraculis DEUS insignivit. nam & *ignis* sacer,
multis abhinc annis sub terra reconditus, & in a-
quam crassam conversus, iterum ex undis emicuit,
& prodigiū geminavit. *Arca* quoque Iudaicæ religiōis

sacrum penetrale, cum tabernaculo, & Altari incensi, à Ieremia defossa, summa cum omnium lætitia est reperta, Iudæis ex divino munere, divini subsidij instaurationem sperantibus. Sanè Nehemias ob reparatam tanta celeritate urbem meruit, ut patriæ pater, &Solymorum conditor nuncupetur. Is Iudæorum republica, divino cultu, honore templi, Sacerdotum & Levitarum ministerijs, legitimis conjugijs, cæterisque ex divina lege compositis atque restitutis, senio, curisque confectus, glorioſum vivendi finem fecit, dignus æternâ seculorum memoriâ.

Magnorum operum ei præclarus adjutor extitit *Esdras* sacerdos, qui inclaruit circa annum Mundi 3595. ante Christum 459. Gratiosum *Assuero* Regi reddidit, excellens juris humani, divinique peritia, cum spiritu fatidico conjuncta. Impetratâ ex Aula missione, cum plurimis popularium, summæque potestatis auctoritate, petijt Hierosolymam, regia secum munera deferens, in DEI cultum destinata ab *Assuero*, religioni non minùs Iudaicæ, quàm genti, favente. Vir fuit, si quisquam alius, honoris divini, boníque publici propagandi studiosus; prolapsos civium suorum mores plurimùm emendavit, & ad primam legis normam revocavit. Linguam Hebraicam ad majorem copiam, elegantiámque reduxit, & characteres novos invenit, etiam hodie usurpatos. Insignem Ierosolymis bibliothecam instruxit; Sacros libros undique diligenter conquisivit, & varias eorum partes, quasi in unum corpus compegit; depravata correxit, recensuit, renovavit; quæ deerant, supplevit. Atque hæc, ferè

fuit

sub Regibus *Cyro*, *Cambyse*, gemino *Dario* & *Artaxerxe* Longimano, Iudæorum fortuna fuit; cujus incrementis quam coronidem addiderit Regina *Esther*, Assueri conjunx, sequenti narratione exponemus.

NARRATIO CIX.

AMAN IN PATIBULO.

Ex Libris Esther.

Ab Anno Mundi 3596. ante Christum 457. ad ann. Mundi 3602. ante Christum 451.

XERXES Darij Hystaspidis filius, paterni regni atque odij in Græcos homines hæres, junctô navibus Hellesponto, Athóque monte perfosô, epotis amnibus Græciam cum armatorum mille millibus invaserat; quô deinde per *Artabanum*, satellitum regiorum præfectum obtruncatô, successit *Artaxerxes*, appellatus *Longimanus* à prominentia dextræ: vel, ut alij volunt, â manuum longitudine tanta, ut stans & erectus, genua, digitorum articulis contingeret, filius Xerxis illius magni, natu minor. Hic Artaxerxes, alio nomine *Assuerus* clarus extitit *Estheris*, conjugiô. Hanc formæ decus, ex nobili Judæorum familia, captivam tamen, in repudiatæ *Vasthis*, uxoris *Assueri*, locum subvexit. Laude digna forma, quæ regnum peperit; sed multô dignior animi venustas, quæ DEO quoque in delicijs habita, Judæis, popularibus suis salutem attulit. Res ita contigit.

Assuerus ingenti cum exercitu in Ægyptios moturus, convivium longè sumptuosissimum, universis regni sui satrapis, seu provinciarum præfectis, apparavit, idque senis omnino mensibus celebravit regali magnificentiâ. Septiduô ultimô etiam populus urbis Susianæ advocatus, & per tentoria pretiosissima dispositus, epulis, incredibili luxu instructis accubuit. Haud minore apparatu, & planè Persico, feminæ cum regina *Vasthe* intra palatium epulabantur; nam ut viris in convivio assiderent, pudor & modestia prohibebat. Quæ res cùm ad ejus sexus commendationem valere plurimùm deberet, reginæ cessit in perniciem. Postremô namque epulationis die, rex largiùs appotus, inter mensarum delicias, oculis quoque pastum illecebrosum objecturus, evnuchis mandavit, Reginam ut introducerent diademate, ceteróque mundo muliebri adornatam. Semel, iterúmque vocata, renuit venire, sive ut legi & consuetudini Persarum pareret, quæ uxores vetabat, ab alijs, quàm à domesticis conspici; sive, (quod S. historia innuit) dedignaretur promiscuæ multitudinis oculis pulchritudinem suam propinare. Eum qualemcunque animi sensum, Rex injuriam & contemptum interpretatus, tantò vehementiùs exarsit, quantò magis à vino calebat. Itaque crimini datur, quod imputandum erat virtuti. Res tanquam summi momenti, ad arcanius mox consilium (septemviri præerant ei) refertur, parùm equidem sobrium; cum rege plus omnes adbiberant, quàm Judices deceret. Sed more Persarum, quibus jus maximè liquidum natabat in poculis; judicialium urnarum loco cululli statuebantur, unde hau-

hauriebant ſuffragia. Quid multis? regina contumaciæ poſtulatur, contemptæ majeſtatis rea peragitur. Plus valuit accuſatoris auctoritas, quàm accuſatæ innocentia. In gratiam regis condemnatur regia conjunx: pronuntiatur, tori, regníque conſortiô privanda; ne cæteræ feminæ malô exemplô inductæ, ſuæ plus tribuant ſuperbiæ, quàm debitæ maritis reverentiæ. Nihil eſſe impotentius eo ſexu, quàm cùm amores ſuos maritorum obſequijs venditant; pretium ſui excandefaciunt torvitate; imperant abnuendo. Nec eſſe quidquam pervicacius muliebri genio, cùm ei venuſtas formæ acceſſerit. quem jam domi ſuæ juſſa daturum uxori, ſi regis ipſius imperium ſpernat mulier? unius pertinaciâ reliquas omnes animatas, maritalem poteſtatẽ ludibrio habituras. Id ne fiat, pœnis cavendum; detractâ reginæ coronâ, inferiorũ quoque ſupercilia dejectum iri. In eam ſententiam fit ſenatus conſultum; repudiatur *Vaſthis*, proſcribitur è regia, quòd modeſtior eſſet, quàm obſequentior. Ejus judicij pœnituit, puduítque regem, cum diſcuſſa ebrietate, in mentem redijt eximia feminæ pulchritudo, dulciſsimáque vitæ conſuetudo. Perpendebat, quantò atrocior eſſet pœna, quàm pro modo delicti; fuiſſe ignoſcendum pervicaciæ, magis ex pudore, quàm ſuperbia profectæ. Subeunte dein animum miſeratione, cupiebat revocatam, quam nulla gravior culpa feciſſet ream. ſed huic cogitationi obſiſtebat decretum, quod juxta leges patrias mutari haud ſanè poterat. rex igitur in morem navis, contrarijs agitatæ ventis, æſtuabat. Sed fluctus ijdem compoſuerunt, conſiliarij, qui commoverant; adeò

parata est aulicis ingenijs assentatio. Fiunt auctores regi, ut per omnes regni provincias instituatur virginum formâ præstantium perquisitio; è quibus undequaque adductis, rex sibi deligat, quas omnium maximè oris habitus commendaverit. & ex his ipsis unam, quam loco Vasthis repudiatæ, in thalami, regníque consortem admittat; prioris desiderium haud ægrè recentis consuetudine abolitum iri. Placuit consilium. Inter alias conquisitoribus probatas, eminebat *Esther*, puella Hebræa, utroque parente orbata; quæ apud patruum (aliqui patruelem vocant) *Mardochæum*, virum Nobilem è tribu Benjamitica ceu filia adoptiva educabatur *Susis* (uti Salianus & Serrarius referunt) in urbe regia, (Josephus eam Babylone adductam scribit, parùm convenienter historico sacro). Hæc evnucho, *Egæo* nomine, commendata, inter puellas quadringentas, quæ in regia, exquisitissimo victu, cultúque ad regios thalamos præparabantur, facilè omnium in se oculos convertit; præsertim *Assueri*, qui formæ cùm raritate, tum verecundiâ captus, eam in uxorem adlegit, connubiúmque magnificentissimo epulo initiavit.

Eo tempore inter excubitores prætorianos fores regij palatij *Mardochæus* servabat, insigni in Deum pietate, & in regem fide. Hic ex somnio sibi oblato, haud vanè conjectans tempestatem, genti Hebrææ graviter incubituram, unicè erat ad id intentus, ut & neptis castè pudicéque educaretur, & si qua se offerret occasio gratia Regis publico popularíu bono iniretur. In ceteris ergò monitis, hoc Estheri dabat, ut Dei, populíque sui memor, favores regios non ad ambitionem privatam, sed ad communem nominis Hebræi salu-

salutem referret; quam ipsa monitionem quàm habuerit cordi, docent ea, quæ sequuntur.

Versabatur in aula regis Assueri *Amanus*, purpuratorum longè primus, & uni regi secundus; vir omnium superbissimus mortalium, idémque si quis ejus arrogantiæ adversari videretur, vindictæ propositô crudelissimus, & curiæ Persicæ planè tyrannus quidam, gente *Macedo*, natalibus Agagites & origine longiùs repetitâ, stirpis Amaleciticæ, semper Hebræis infestæ, quia tamen maternum genus à Persis trahebat; Persarum & ipse paulatim in consuetudinem, ac familiaritatem; ad extremum, in regiam quoque sanctiúsque consilium irrepsit. Hic apud Assuerum omnia poterat, etiam patris nomine ab eo compellatus; inde tam vecors hominem libido cepit, ut à quocunque mortaliú nő adoraretur ipse de genibus, & scilicet honoris illo genere, quod cum *latria* (cultu qui soli DEO debetur) proximè añexum est, coleretur: eum, non suumtantùm, sed regis etiam & centum viginti septem provinciarum Persicæ ditionis hostem credi vellet, ac perduellem: propterea que diris supplicijs omnibus persequendum, & exemplis novissimis eradicandum. Id tentavit in Mardochæo, viro, quod diximus, non minùs forti, quàm pio, & pro religione patria tuenda, imperterrito. Hunc Amanus, quòd honorem, cultúmque, quô modô cultus & honor DEO deferuntur, præstare sibi recusaret: exstirpare ferro, cum universa stirpe Judaica, per omnes Persici juris terras, animo decretum, fixúmque habebat. Et destinata, consentiente rege, perfecturus fuerat: nisi mulieris unius, hoc est Estheris reginæ lacrimæ intercessis-

sent. his enim emollitus Artaxerxes, cruentum Amani edictum antiquavit. furor in caput auctoris vertit.

Jámque non *Susis* tantùm pendebat Sanguinarium edictum, toti Judæorum genti fatale; sed per omnem Persiam, cum litteris regijs festinabant Cursores, qui decretoriam Hebræi nominis internecionem magistratibus ubivis locorum denuntiarent. Nam sæpe bonitas Principis servit in scelera ministrorum. In luctuosissima rerum omnium desperatione, unicum erat miseris in Esthere præsidium, quæ postriduanas preces, & corporis afflictationes cùm suis, tum populi sui; assumpto ad incredibilem oris venustatem, splendidissimo vestium ornatu, sustinuit ad regem ingredi. Quem cùm admissa ad oculum *virgæ aureæ*, in benevolentiæ signum protensæ, (sine quo capitale erat ad solium sedentis accedere; & primus regis aspectus, Estherem quoque, tantùm non exanimavit) ad omnia vota promptissimum adverteret, blandâ sermonis suadâ eò deduxit comitatis, ut invitatus ad epulum, ab ea apparandum, conditceret, convivam habiturus Amanum.

Ex ea invitatione quantum lætitiæ iste hausit; tantum indignationis concepit à conspectu Mardochæi, ad regiæ fores excubantis. Is enim cùm intrantis palatium Amano se in genua non demisisset, felle misscuit, quidquid ille dulcedinis ex convivio Estheris prægustavit. Nimirum honoris iniqua cupiditas, ipsa tormentum est. Vitam Amanus in summa felicitate acerbam sibi putabat, nisi crucem oculorum suorum Mardochæum sustulisset. Convocantur in senatum uxor Zare, & amici; deliberatur, quo

quo mortis genere Judæi hominis contumacia plectenda. Omnium est sententia ut patibulum erigatur ad gulam perduellis frangendam ; tantò ad terrorem atrocius, quantò ad ignominiam conspectius. Nec mora ; crux in sublime surgit, quinquaginta cubitorum altidudine, quod non temerè sacer historicus memorat. Sed hæc machina in aliud longè collum erat fabricata.

Eadem fortè nocte, quæ inter suspendium intercedebat, rex insomnis, suorum sibi gestorum historiam jubet prælegi ; discit ex ea, capiti suo per evnuchos (alter *Bagathanes* alter *Thares* appellabatur, qui cùm à poculis essent regi, creduntur veneno mortem ei voluisse conscisscere) insidias esse structas, indice Mardochæo detectas, nullâ relatâ, in bene merentẽ vel gratiâ vel præmio. Cõmodùm aderat circa id tẽporis, nempe diluculũ, solitô maturior, in regia Amáus, Regẽcuræ excitaverant, hominis sibi fidi beneficijs ornandi ; istũ odia non sinebãt quiescere capitis sibi inviſi è medio submovendi ; Rex cogitabat de Mardochæo ad honores sublevando ; Amanus laborabat de eo in crucem tollendo ; sed eventu nimium quantum à cogitatis abludente.

Interrogabat Assuerus hominem, majora fastigiô humanô spirantem, quô mactandus esset honoris genere, quem rex percuperet insignissimè condecoratum. Eam ipse rogationem cùm non dubitaret ad suæ dignitatis incrementa pertinere (semper enim ad sublimiora tendit ambitio ; in modum fumi ascendit, ut evanescat) consilium suggerit, tam suo plenum dedecore, quàm Mardochæi gloriâ. Rex, ait, si vis hominem præclarè de te, tuóque regno meri-

meritum, favoribus beare raris, tuáque magnificentiâ dignis, fac, ut regio vestitus ornatu, vehatur equo, qui te insessorem deceat, & circumducatur per urbem, tenente frænos Straparum principe, & præconis instar præclamante: *Sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare.* Arripuit rex, quod suadebatur; jubetur Marchodæus, in morem regis indutus, & diademate ac aureo torque fulgens, equo generosissimo imponi, & Amano, quô nemo inter proceres potentior, præeunte ac præconem agente, per omnia urbis amplissimæ fora circumvehi. Hæsit inter cultrum & saxum fastus; hinc excludente tergiversationem mandato regio: inde sublimes spiritus torquente servili obsequiô, & quidem, in inimicum capitalem conferendô. Instituitur invidiosa pompa. Fuit à pedibus Amanus Mardochæo, quem jam cum tota gente sua proculcatum credebat. Quot oculi spectantium, tot ludibria, tot tela, quibus ambitio confixa. Neuter suam fortunam capiebat: Mardochæus secundam, Amanus adversam; ille regali rubebat purpurâ: hic suâ; sed non alio tinctore, quàm pudore, infectâ. Quantùm fortunæ pristinæ decreverit magnitudo, singulos ad passus numerabat, etiam tum felix, si æstimare infelicitatem suam potuisset: si reputare animo, quàm breves & mutabiles sint rerum vices: quàm fortuna nunquam simpliciter indulgeat; & tunc maximè concutiatur, cùm ad fastigium venit. Si frenos equi, quos antecambulo prendebat, ad feroces animi impetus edomandos transferre voluisset. Sed imbecillior erat sto-

stomachus, quàm ut concoquere posset depressionem ad ministerium tam vile.

Ultionis igitur desiderio tabescens, & velut canis in jactum lapidem, non manum jacientis, sæviens, proripit se domum operto capite, etiam solem erubescens; & quâ spongiâ tanti nota dedecoris abstergi queat, ab amicis exquirit. Dum consultatur, & consilij nihil expeditur; superveniunt evnuchi regij, hominem evocantes ad epulas à regina instructas. Cunctantem, & majora mala præsagientem, urgent etiam, & compellunt. Itaque comparet invitus. Sub finem convivij, cùm Rex incaluisset merô; Regina, composita ad omnem modestiam & sollicitudinem oratione, institit deprecari pro capite tam suo, quàm gentis suæ universæ. Inexspectata supplicatio, decóris mixta lacrimis, miros in Regis animo motus excitavit; tangebat eum commiseratio reginæ non solùm charissimæ, sed etiam innocentiæ: deinde populi tam numerosi [nam Hebræa natio per omnes regni provincias diffusa erat] & inferendis ærario suo tributis perutilis; igitur exandescere in tantæ crudelitatis molitionem, & ejus auctorem reposcere. Ubi intellexit, concepti facinoris atrocitatem ad Amanum pertinere, tum verò surgit indignabundus de convivio, & in hortum triclinio vicinum concedit, sive ut furoris æstum liberiore aura temperaret, sive ut spatium sumeret de modo supplicij statuendi. Amanum interea instantia fata premebant; unicum restabat asylum, & ara salutis, clementia *Esiheris*. Huic, ut erat, super lectulum tricliniarem reclinata, se se adsternit supplex, & gratiam prensat vitæ, qui tot mortalium millibus in-

tor-

ternecionem parârat. Cæterùm Regem iræ vehementia nullo patiebatur loco consistere; redit minarum plenus in cænaculum, & [ô fatalem lubricamque hominum sortem!] reperit Amanum reginæ lectulo affussum. mox suspicione meditati flagitij correptus (est enim præceps furor) imperat, ut nefandus scelerum artifex, obnupto capite, succidanea victima, in eandem, quam Mardochæo erexerat, crucem agatur. Dictum, factum. Eadem nocte, Persarum more, supplicium sumptum de ijs, qui Amanum sanguine contingebant continuatâ per sequentes dies pœnâ in devota morti capita. E quibus decem nominatim Amani filij delecti, triste spectaculum in crucibus pependerunt; fortunîs damnatorum, reginæ fisco addictîs. Amanus imprimis, luculentum ambitionis documentum extitit, quorundam ex alto descensum, etiam ascendendo fieri; cúmque vulgò Casus omnis in profunda feratur; profundiùs tamen ignominiosiúsque cum Amano sursum, & in sublime rui. Mardochæus, translatâ in ipsum strangulati dignitate, princeps palatij constituitur, tanta accessione gratiæ, ut abs regina pater, à rege conservator audiret. Poterat videri contritus in capite draco, quem nocturnæ imagines cum Marchodæo commiserunt, nisi pars magna veneni in cauda vibraretur. Sanguinaria in Hebræos per Amanum edicta ultimum iretum, & vix intervertendum, intentabant. Cùm Estheris & Mardochæi eâ, qua par erat, curâ, crudelis sententia revocatur à rege; & quia periculum in mora, volant celeriter per omnes provincias imperatoriæ, litteræ, quibus non tantùm truculenta

Iudæ-

Iudæorum interemptio antiquatur; sed ijs insuper jus gladij permittitur, omnes illos contrucidandi, quos sanguini suo inhiâsse, compertos haberent. Divina historia septuaginta quinque millia à Iudæis neci data; cædisque factæ memoriâ, festa quotannis solennitate repetitam, memorat. Tantam capitū strage fecit exortus à genibus fastus: & iniquum in alios odium meritò authores perdidit.

NARRATIO CX.

HELIODORUS AB ANGELIS FLAGELLATUS.

2. Machab. 3.

Anno Mundi 3870. ante Christum 183.

SAcrilegiorum tantò severior Vindex DEUS, quantò plùs interest Numinis sui, res sibi sacratas tueri, memorabile exemplum statuit in *Heliodoro* Solymæi templi direptore; quem *Seleucus*, Rex Asiæ *Antiochi* magni filius, cognomentô *Philopator* (seu *Amans Patris*, ex eo dictus, quòd Asiatico, Romanóque bellô patrem assultibus hostium, undequaque circumclusum eximia, filióque digna charitate juvisset, ac sublevâsset) Hierosolymam misit, sacros templi thesauros expilatum. quid enim est sacrum, quid impervium avaritiæ? Supremum ea tempestate Pontificatum gerebat Jerosolymis, *Onias* nomi-

hominis istius tertius; vir DEO probatus, & hominibus, ob exquisitam morum & religionis integritatem.

Huic infensus erat ex disparitate vitæ, *Simon* quidam aliquam templi præfecturam obtinens, eo ferè gradu, quô postea Christianis sub Episcopis, Archidiaconi rem Ecclesiarum familiarem, ac census administrabant. Hujus hominis ingenium inquietum, res Israëlis sacras æquè profanásque, trahere paullatim ad cultum, ceremoniásque Græcorum, abolitô Judaismô, velle videbatur. Sed cùm in hoc, summa contentione repugnantem sibi Pontificem experiretur: Ierosolymîs in Cœlesyriam clàm profectus; eóque, quod animo volvebat, consiliô, cum *Apollonio Tharsæadæ*, regionis illius ac Phœnices Satrapa, communicatô: subornavit eum, ut *Seleuco* Regi, Pontificis *Oniæ*, sacerdotúmque Iudaicorum avaritiam exponeret, ut qui pecuniam à Regibus Asiaticis ingentem quotannis, per causſam impendiorũ in victimas, ac templi religiones, accipere non erubescerent, in ærarij regij tantis angustijs; cùm interim ipsi Gazophylacium in ipsis templi sui penetralibus exstructum, ac circumseptum haberent, in quo defossæ jacerent opes, quæ non tam ad sacrificiorum sumptus, quàm ad luxum & jactantiam spectarent.

Quæ cùm per calumniam *Apollonio* asseverâsset; nec Apollonius distulisset explicare *Seleuco* Regi: ratus ipse, quidquid ubique vel ad Deos spectaret, vel ad homines, id hoc ipso sui quoque juris esse: simul autem & Romani, quod exsolvendum *Antiochi* magni, patris sui nomine restaret, tributi magnitudi-

tudinem ob oculos habens, & quàm in expedito foret, eo quamprimùm onere seu penitus liberari, seu plurimùm allevari : mittit in Iudæam illicò, sibi fidissimum, & ex intima depromptum amicitia, regni procuratorem *Heliodorum*. Huic negotium dat *pollonij*, *Simonisque* fidem inspiciendi : templíque gazam, quanta necessarios extra sumptus abstrusa, deprehenderetur, sub unum temporis punctum asportandi.

Proficiscitur Heliodorus, multo cum equestri, pedestríque comitum ac satellitum agmine : militaris expeditionis majorem, quàm legationis, præ se speciem ferens; quò majori Ierosolymitis ad imperata facienda, ferendáve terrori foret. Venit Ierosolymam : excipitur hospitaliter : sciscitatur ex Onia de templi reconditis opibus : docetur ab eo, nec mirum, nec falsum esse, templi copiarum partem haud aspernandam servari. quippe regum ac principum, & orientis populorum donaria; quibus cœli Numen toto celebratum orbe, Voti, religionisque causâ, jam ex antiquo venerarentur. Partem autem longè maximam, depositas esse varij generis opes, viduarum dotales reliquias, ac pupillorum patrimonia. Universam verò summam, etsi grandem, haud quaquam tamen esse tantam, quanta ad Regem fuisset delata.

Dicebat hæc Onias, &, uti sperabat, à rapina Syrum deterrebat. Sed contrà prorsus evénit. Heliodorus, stipantibus eum armatis, ac per hos effractis portis, templum petit; & omni trepidante, flentéque Sacerdotio, multitudinéque sexûs utriusque civium ejulante, divinam irrumpit in ædem,

lámque, ſuorum cum manu, miſta vi minis, inſtrumentísque fabrilibus expeditis, orſus erat ærarium moliri templi: cùm in ipſo temporis articulo, DEI vis, occulta quidem illa, ſed horrenda, tremore membrorum, formidinéque mentium, ac manifeſta nervorum omnium diſſolutione, ſatellitium Heliodori, comitatúmque proſternit univerſum. Et hi quidem jacebant exanimes, extinctíſque, quàm ſpirantibus, ſimiliores.

At in Heliodorum, cæteris graviùs auſum delinquere, pœna quoque gravior, eáque [ne ſomnia ſibi fingeret] conſpicua patientis oculis, incubuit. Immiſſus enim divinitus barbaro ſplendidus quidem armis aureis, ſed æris, oculorúmque fulgurantium aſpectu terribilis, è cœleſtium Angelorum turmis Eques, in adverſi frontem ac pectus dedit impetum: eíque ferocis; quem inſidebat, equi ferratas pedum anteriorum ungulas illiſit. Eodem quoque temporis articulo, cœleſtes alij duo juvenes, vultûs, habitúsque majeſtate ſpectabiles, hinc & hinc Heliodorum, in medium acceptum, flagris atrocibus, & indefeſſa verberum ingeminatione, lacerabant; gementem, ac vociferantem, ejulatúmque lamentis & lacrimis miſcentem; cùm plagas interim nec illi, qui cædebant, remitterent; nec ille, cujus dorſum vapulabat, ſentire ceſſaret. Ubi ſatis flagris ſævitum, illi mortalibus ſe oculis ſubduxerunt; Heliodorum autem, tanquam repentino quodam fulminis afflatu proſtratum, afflixerunt humo. Luctantem mortis inter ac vitæ limites Sacerdotes ac ſpectatores cæteri, qui præſentes adhuc ſibi mente conſtabant, allevant; ſedilique geſta-

gestatorio per tumultum ac trepidationem, impositum, extráque templi septa deportatum, profanam in domum inferunt.

Is deinde Pontificis Oniæ precibus, & sacrificijs sibi restitutus, per juvenes, à quibus antea vapulârat, denuo cœlô demissos, ac pristina cultûs, orísque majestate conspicuos, monitus est, salutem in acceptis ferret Oniæ; cujus rogatibus, victimísque DEUS eum condonâsset, memor quoque, prædicatórque summi Numinis, ubique gentium viveret, ac permaneret; cujus ipse vires ac potentiam, non beneficijs minùs, quàm plagis expertus esset. Quibus illi dictîs, videri desierunt; Heliodoro se mandatis eorum, per omnia, singuláque, morem exactissimè gesturum, pollicente.

Neque secus præstitit, quàm promisit. Antiochiam quippe cum ignominia, dedecoréque reversus, non omitebat publicare; non modò quanta vis esset Numinis Hebræi, ac Ministrorum illius cœlestium, ærario, templóque sacrosancto præsidentium, sed etiam conquerebatur, quàm indignum esset, ex intima regis amicitia deligi, legaríque, qui locũ mortalibus expavescendũ expilarent: quò, longè consultiùs perduelles & hostes, ac læsæ majestatis rei mitterentur; ut è vestigio, regnum ac rerum publicarum bono perirent. Manebat igitur altè defixum iracundiæ vulnus in pectore, cùm adversùs Simonem & Apollonium, tum in regem; quod malè celatum, opportunitate oblata, in ejus perniciem erupit, dum *Seleucum* venenô sub epulis præbitô, interfecit, & pro rege se gessit, tantò confidentiùs, quòd *Demetrius*, undennis Seleuci filius,

tunc apud Romanos obsés, procul à patria degentes Heliodorum dejecit, & regnum invasit *Antiochus*, Seleuci frater, Græcis *Epiphanes*, Latinis *Illustris* ac *Nobilis* appellatus, ironicè cùm nihil illustre gesserit, præter scelera: odiô in DEI populum, acerbitate suppliciorum, & horenda, qua raptus est morte, posterorum memoriæ ad detestationem inscriptus; unde rectiùs ab alijs *Epimanes* seu *furiosus*, est dictus. Discant Principes, meliùs esse Ecclesiarum precibus, quàm pretijs adjuvari.

NARRATIO CXI.

ELEAZARI SACERDOTIS, ET SEPTEM FRATRUM MACHABÆORUM, UNA CUM MATRE, ILLUSTRE MARTYRIUM.

1. Machab. 1. & 2. Mach. 5. 6. 7.

Anno Mundi 3886. ante Christum. 167.

PErquam sæpè amat evenire, ut vires, quas vel ætas, vel sexus negat, adjungat virtus. Quo tempore *Antiochus* [quem proximè suprà vel per ironiam, vel assentationem, *Illustrem* appellatum diximus] per omnia crudelitatis, & nefandorum scelerum genera, Anti-Christi se præsultorem ostendebat, tantus unius ac veri DEI Osor & persecutor, quantus commentitiorum Numinum amator & cultor; horrendis omnis Iudæa concussa est ex-

exemplis fidei, vel DEO servatæ, vel abjuratæ. Immissus in Judæos *Apollonius*, supremus militiæ Antiochi Dux, occupatâ per fraudem Ierosolymâ, & direptâ; arce *Sionâ* præsidio militari insessâ, execrandi Jovis statuam in ipso templo adorandam proposuit, eique porcos in victimas mactari, absumique nomine Regis præcepit. Ingens Solymis trepidatio, & rerum omnium perturbatio. Plurimos amor vitæ ad nefanda sacrificia impulit; alios in occultas speluncas & cæcos recessus egit; non pauci mori potiùs, quàm religionem violare parati, suam DEO fidem per dirissimos cruciatus probavêre.

Rapiebantur obvij quique ad carnificinam, qui, contrà quàm Antiochus mandâsset, porcinæ gustum abnuerent; qui Sabbatis feriarentur; qui circumsectionem Iudaicam vel paterentur ipsi, vel alijs inferrent; universæ per Iudæam domus excutiebantur; quotquot patres, matres, Levitæ, Sacerdotes reperti fuerant circumcidisse parvulos, ij flagris immaniter cæsi, crucibus suffigebantur. Feminæ vel in crucibus, vel, si vita jam defici viderentur, ante suffixionem strangulabantur. Infantuli, pribus jugulati, matrum è cervicibus, etiam ipsis in crucibus suspendebantur. Vulgus promiscuum, omnisque ferè nobilitas interfecti, tanta cædium debacchatione, ut sanguinis rivi plateas Ierosolymæ purpurarent. Cujus lanienæ prænuntia signa, jam antè in cælo exorta Solymorum oculos terrore repleverunt. Spectabantur in aëre diebus quadraginta equites, auratis armis splendidi, cominus districtis inter se gladijs concurrere; eminus jactis se

telis infestare, cruentáque belli simulacra ciere, tristi sanè futurarum calamitatum ostentô.

Inter cæteros ad tyrannum, *Antiochiam* in urbem regiam adducitur *Elezarus* Sacerdos, quem ætas venerabilem omnibus, & divinarum scientia litterarum effecerat. Fertur inter septuaginta Interpretes fuisse, qui circa annum M. 3770 à *Ptolomæo Philadelpho* ex Iudæa acciti, Hebræa Biblia in linguam Græcam transtulerunt. Credebatur auctoritas viri magnum in superstitionis partem additura momentum, si ejus constantia infringeretur. Igitur Antiochus fallacibus verborum blandimentis senis animum aggressus, cùm minùs nihilô proficeret, terroribus agere cœpit. sed aspera, molliáque, in adamantem inciderunt. Quid enim, ajebat Elezarus, ego leges patrias abnegem; ego sancta instituta abjurem; ego sacerdotales infulas idolis inclinem; ego sacrilegâ perfidiâ canitiem meam contaminem? Senectus portus esse debet, non naufragium superioris vitæ, magisterium perseverantiæ, non exemplum infirmitatis. Quid timeat mori pro lege DEI, quem lex naturæ in termino vitæ constituit? urat, secet, rimetur viscera carnifex, non impetrabit, ut impias manus ad escas infandas exporrigam. Momentum est, quô patimur; excipient præmia sine fine mansura. Ad vos, ô Patres sancti propero; vobis animam hanc impollutam transmitto. Dixit, & in cruciatus senile corpus obtulit. Expediuntur flagra; immanem in modum lacerantur artus; fatigat tortores patientia torti. Naribus ingeritur suilla rancida; membra laniata extenduntur in equuleo, candentibus ustulantur lamnis,

nis, defluente carne nudantur ossa; ille tamen oculis in cœlum sublatis, nihil remittit ab animi contentione, donec inter preces, pro gentis suæ expiatione fusas, invictus spiritus per amplos vulnerum hiatus excessit.

Non inferiores magistro & doctore fuêre discipuli, septem omnino juvenes, eadem matre geniti [quam Josephus *Salomonam*, alij *Annam* vocant] annis quidem dispares, sed virtute pares. Nomen & genus primæ nobilitatis apud Iudæos, (*Machabæi* vocabantur, incertum, qua origine] adeò, ut hæc appellatio, non jam unius familiæ decus, sed communis heroum titulus, ea tempestate haberetur. Ad laudem virtutis, claritatem generis, florem ætatis, accessit præstantia formæ, & elegantia morum, quibus omnium oculos & amores in se convertebant. Sub optima disciplina educati, & patrijs legibus ad omnem pietatem instituti, cùm desolationem urbis Solymææ aspicere non sustinerent, secesserunt in castrum gentilitium, *Susandrum* nomine. Subodorati hanc prædam conquisitores tyranni, sitim accenderunt crudelitatis, ad sanguinem, quò nobilior erat, hòc avidiùs hauriendum.

Evocantur Antiochiam cum matre Filij, & religionis nomine, cujus retinentissimi erant, comprehenduntur. In quæstione sibi constantes, peremptoriô decretô *porcinam* tanquam mutatæ religionis notam ac pignus manducare jubentur. Recusant ad unum omnes, matre præeunte filios, verbísque, ne virili quidem generositati cessurîs, ad constantiam incitante. Rei gestæ seriem, quoniam sem-

piternam memoriam meretur, paullò pluribus, partim è sacris paginis, partim ex memorato historico, recensebimus.

Productam ad cruentum tribunal animosam cum parente sua cohortem, allocutus insidiosè Antiochus, cœpit magnis promissis, & præmiorum ostentatione tentare juveniles animos, Ubi blandioribus nihil impetravit, omnis generis tormenta proferri jussit, virgas, scorpiones, taureas, subulas ignitas, catastas, equuleos, rotas, bullientes picis fartagines. Ibi tum è fratribus natu maximus (Iosephus *Machabæum* nuncupat) fortibus ubi verbis professus est, quosvis antè cruciatus se subiturum, quàm patrias ut leges conculcet; exsecatur ei, jussu tyranni, lingua; de capite abstrahitur cutis, manuum ac pedum extremitates amputantur, truncatus in lebetem igne succensum injicitur, vivus spirànsque torretur; haudquaqam territis ad eam lanienam, qui circumstabant fratribus. Eundem in modum excarnificatur secundò genitus [*Aber* nomine] parique constantia animam inter laniatus exhalat. Tertius [*Machir* dictus] supplicio admotus [quem miserabilem fecerat duorum fratrum crudelis interitus] hortantibus, ut à sententia recederet, respondit, eodem se patre satos, eaden matre paratos, uno magistro doctos, una lege imbutos, unanimi obfirmatione roboratos, & ad moriendũ in Dei causa, paratos esse. Ergo illigatur rotæ, laceratur membris, & æstuanti imissus aheno fraternæ virtutis æmulus, in tormentis vivere desijt. Nihil inde timidior quartus [*Iudas* appellabatur] spe præmiorum in cœlo reposi-

torum offert se tortoribus; à quibus conscissus ver-

verberibus, distentus in catasta, deartuatus in rota, excoriato capite, exsciſſa lingua defectis manibus ac pedibus, injectus flammanti cacabo extinguitur. Pari ratione quintus *Achas* & sextus *Areth* exprobrata latronibus crudelitate, fœdum in modum flagellis discerpti, cippô compressi, equuleo distracti, mutili, decorticati, lebetibus ardentibus immersi, martyrij palmam obtinuerunt, adstante parente, & animos, quos jam olim in lacte hausérant, superingerente. Iuvenum ad tyrañum voces erant: sese reddere DEO munera sua: corpus, quo conpacti essent: spiritum, quem ducerent, in fontem refluere, unde dimanâsset. Nihil esse quæstuosius, quàm morte emere immortalitatẽ; brevibus â se pœnis, longa gentis suæ supplicia redimi. Meminisset ipse hominem se esse & timere, quæcunque homini timenda sunt. provocare se ad tribunal, etiam coronatis capitibus tremendum. Sibi verò minimè difficile, mori, qui vitam jam pridè in caussa tam nobili contempsissent. Hæc illi, tam sua virtute, quàm genitricis hortatibus animati. Quorum cruciabilius reddebat supplicium mutuus pietatis sensus, & in tormentis aspectus.

Cæterùm *Salomona* sexum suum dudum supergressa, nihil aliud obsecrabat, & obtestabatur chara pignora, quàm ut Machabæos se ostenderent, hoc est, heroës, quibusvis supplicijs superiores; ut pulchrum & decorum existimarent non tam pro patria, quàm pro patrijs legibus, pro religione, pro DEO necem oppetere. præmitti eos à se, non amitti; post triumphale certamen, dulciùs sese in mutuos amplexus redituros. Frustrata spebus suis crude-

lis impietas, extremam vafritiem & furorem denique effudit in fratrum, ætate, non fortitudine, minimum, cui *Jacobo* nomen. In hoc naturæ dotes, cum cœli gratijs : maternus amor & fides, cum perfidia & sævitia tyranni certabant. Admovetur non simplex aries ad puerile pectus concutiendum. Hinc inpellebant minæ verbera, flagra, illinc blanditiæ, munera, promissa. sed incassùm. Quò se verteret trabeatus carnifex? cùm aperto marte haud posset excelsæ mentis arcem perfringere ; per matrem subruere tentat filium barbara nequitia. Jubetur Salomona emollire pervicaciam prolis & impietate se piam probare. Quid illa? Simulat obsequium tyranno, ut officium matris impendat filio. Jacebat adolescens ad carnificinam paratus ; accedit parens & inclinato ad resupinatum corpore, alloquitur puerum linguâ patriâ, ut aures tyranni falleret arbitras. Et ô nate, ait, miseratio te capiat tui, capiat mei ; tui quidem, ne fratrum degener crimen inferas gloriæ nostræ : mei verò, cui vitam debes & sanguinem. Ego novem te mensibus charum ventris onus gestavi ; ego trienniô lacteum tibi rorem meis ex uberibus propinavi : ego te sollicita gerula brachijs meis circũtuli, & ad hanc ætatem perduxi. Attolle cœlo lumina, & universi hujus Conditorem cogita. Illius munus est, quidquid uspiam est. Illius servituti nascimur ; illius voluntati occumbimus. Vitam hanc, quæ nobis cum bestijs communis est, auferre tyranus potest : animum, quinescit interitum, eripere non potest. Macte fili ! perdura fortiter ; quò immanior est cruciatus, hòc brevior. Nõ perdis vitã, sed cum meliore comutas. Exspectan-

tant nos piorum ſedes, in quibus te cum laureatis fratribus meo recipiam ſinu. Non abſolverat ſermonem matrona generoſiſſima, cùm puer (ſi tamen puer dici poteſt, viris fortior) alta voce exclamat: *Non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ nobis per Moyſen data eſt.* Inde animoſa libertate converſus ad tyranunm: Tu verò, inquit, ſceleſte tantæ crudelitatis artifex, non effugies vindicem DEI manum. Suſpendit adhuc fatalem ictum, non ſuſtulit. incumbet hòc ſævior, quò lentior. Damus nos quidem peccatorum gentis noſtræ ſuppliciaNumini; ſed placabili. Detonat ira juſta in ſontia capita; ſed brevi pòſt tantò dulcior oborietur lux clementiæ, quantò gravior deſævierat tempeſtas. Parcentis eſt, quòd feriat: amantis, quòd caſtiget. Brevis eſt mora, brevis dolor, qui me fratrum felicitati ſociabit ibi, ubi nec mors graſſatur, nec carnifex. Te verò, mortalium ſceleratiſſime, manent pœnæ etiam poſt fata luendæ. Eum tu DEUM, ſic moriẽs vel precorvel auguror, quẽ modò arrogantiâ obcæcatus non agnoſcis, pulſatus adorabis; ſed ſerò, Incendit iram tyrañi & pudorem oratio maſcula pueri. ludibrium ſceptri credebat, ab imbelli ætate vinci. quare quidquid truculentiæ in tormentis & tortoribus reliquum erat, depromi jubet in puerilia membra. Lanienam immaniſſimam non tulit fortiùs tenellus heros, quàm ſpectavit heroina mater. Quæ demum ipſa quoque, infando ſupplicij genere conſumpta, & ſuo, & natorum purpurata ſanguine, tot lauros retulit, quoties in ipſa filij: illa in filijs vicit, & triumphavit.

NAR-

NARRATIO CXII.

MATHATHIÆ MACHABÆI DUCIS ET PONTIFICIS HEBRÆI ZELUS PRO HONORE DEI.

1. Machab. c. 2. & Joseph, de rebus Judaicis Lib. 12. cap. 8. Anno Mundi 3888. ante Christum 165.

POst heroinam, Machabæi nominis gloriam, in fortitudinis theatrum heros prodit, *Mathathias* nuncupatione, dignissimus spectari, audiri, legi. *Antiochus*, de quo suprà, cùm captâ Hierosolymâ, civium octoginta millia, triduô continuô trucidâsset, superstitum verô tantæ cædis mortalium, numerum ingentem cepisset, captorum multitudinem divendisset: templum sacrilegè diripuisset & profanâsset: populum Hebræum per suos præfectos, præsertim *Apollonium*, tributis, prædis, cædibus exhausisset: urbem inflammâsset: ædificia publica, privatáque diruisset; mœnia, turrésque dejecisset, arcémque Sionis, prædonum receptaculum effecisset; inter alios *Mathathias*, Machabæi sanguinis Dux & Sacerdos (Serrarius & Salianus cum alijs etiam Pontificem fuisse autumant) cum filijs quinque (quorum nomina, *Judas* cognomento Machabæus, *Simon*, *Ioannes*, *Ionathas*, *Eleazarus*) *Modinam*, Daniticæ Tribûs montanum oppidum Jerosoly-

solymis commigravit. Antiochus quippe, cùm Iudaici nominis universi, Sacrorúmque Mosaicorum excidio, Græcorum ritus, Deorúmque fictitiorum cultum, propositis acerbissimis suppliciis, invehere contendebat. Quæ diræ crudelitatis exempla Mathathiam cum suis irritârunt ad piam, adversùs impia tribunalia, rebellionem, hac, quam affero, rerum occasione.

Mathathiæ fugâ cognitâ, venerunt Módinam non ita multò post, è præfectis regijs, qui Ierosolymis, & in vicino, præsidia contra Iudæos agitabant, nonnulli infensiores, nec sine militari comitatu. Quorum agmen tunc ducebat *Apelles* quidam; exipsa nuper Antiochia missus ab Epiphane, qui locis omnibus, omnes, nullo discrimine, Iovi, Dilsque Græcorum cæteris, immolare compelleret. Iámque Mathathiæ municipum & contribulium, & fœe maximè plebeia, complures imperata fecerant urgebántque præfecti Mathathiam quoque; ne qui primus illic esset dignitate, postremum se credi, dicique vellet, in Regis obsequia. Detestante verò palàm hoc officij genus, ac longissimè renuente Mathathiâ: Iudæus se quidam oculis omnium ausus ingerere: quippe tantò gratiosior [uti sperabat] ex ostentatione promptitudinis futurus; quantò se se Sacerdos invisiorem ministris regijs è cunctatione reddidisset. Cùm autem sceleslus hic, conscensis aræ gradibus, simulacro Iovis publicè thus adoleret: incensus irâ justissimâ Mathathias, distringit ferrum: perrumpit spectantium globum; irruit in sacrificantem: eóque super ipsam aram trucidatô, perspersum cruore Iovem evertit; aram subruit;

Apel-

Apellem contrà vociferantem ac furentem, in tribunali suo contrucidat, sibíque per obstantes satellitum cuneos viam, dextrâ, lævâque feriens, aperit: maximáque voce tum filios suos, tum alios omnes, siqui DEI nondum immemores essent, evocatos post se, relictis fortunis, domesticis omnibus, in avia silvarum, montiúmque trahit. Eáque magna fuit, etiamnum pro DEI, legúmque reverentia stantium, sexûs utriusque multitudo; sic, ut paucis pòst diebus, unius duntaxat agminis, quod in antrum se quoddam abdiderat, ac barbaris eos evocantibus, nec morem gerere, nec arma contrà ferre sustinuerat, mille ferè, sarmentis superingestis, incensisque consumpti sint. Mathathias verò collecto exercitu non aspernando, nunc excursionibus, nunc acie justa, minoribúsque prœlijs copias suas [utcunque sese scrutantibus offerret opportunitas] in hostem ducebat tam indigenam, quàm externum: ac modis ac vijs omnibus, tum Iudæos transfugas, tum Syros & Græcos exagitabat.

Cæterùm vitâ, quàm animo contractiore, sub eum ipsum, quô bellare cœperat, annum, morte decessit pacatissima: nec eorum, quæ post se fieri vellet, injuriosâ vel improvidâ. Supremis enim verbis suos affatus; ac multis ad retinenda patria sacrorum instituta cohortatus, filios omnes fortitudinis suæ successores designavit; quorum armis, & sacrorum principatui Iudam Machabæum; consilijs ac momentis armorum Simonem, præfecit. Defuncto, & publicis lacrimis elatô parente, Iudas è vestigio quidquid roboris militaris erat in Iudæa, col-

collegit, & Syris ac Græcis, infestus pariter & invictus, restitit. Imprimis verò Mosaicæ religionis transfugas, ac populi turbatores armis insectabatur, & in arctum compactos flammis absumebat. Longum esset illius omnia prœlia, velitationésque, quibus Antiochi legatos ac Duces exagitavit, exponere. Quare pugnas duntaxat eas referemus, quæ potissimùm eminentes, nomen ejus barbaris formidabile, civibus glorioſum reddiderunt.

NARRATIO CXIII.

JUDAS MACHABÆUS, GENTIS HEBRÆÆ ARCHISTRATEGUS, POLIORCETES, RELIGIONIS DEFENSOR, PATRIÆ SERVATOR.

Ex libris Machabæorum.

Anno M. 3889. ante Christum 164. ad annum 3894. ante Christum 159.

FElix gladius, qui suam aciem è cœlo ducit. *Iudas* cognomento *Machabæus* paternæ virtutis æmulus, primo per insidias; deinde apertô bellô Syros persecutus, trium regum *Antiochi* Epiphanis, *Antiochi* Evpatoris, & *Demetrij*; Duces militares *Apollonium*, *Seronem*, *Lysiam*, *Gorgiam*, *Nicanorem*, *Timotheum*, *Bacchidem*, aliósque (præter intestinos hostes),

ſtes, cives perfidos) cum ingentibus copijs fudit, Solymam recepit, templum repurgavit, edidit facinora, quæ Romanum fœdus meruerunt.

Conflixit igitur cum *Apollonio* Samariæ præfecto; quem cum Syrorum inſigni clade ſtravit, interfecit, armis exuit; ablato quoque, cujus ille bonitate tumuerat, gladiô; quô poſthac in omnibus prœlijs Machabæus uſus eſt. Suffectum ab Epiphane *Seronem*, ducem & ipſum belli ſcientiſſimum non minùs pepulit, ac fugavit. Exinde *Lyſias* (qui Antiochiæ, loco Regis Antiochi, in Perſas interea moventis, regnum adminiſtrabat] *Nicanorem*, & *Gorgiam*] qui *Bacchidem* & *Timotheum* ſibi adjunxêre] in Iudæam immiſit, tantâ victoriæ reportandæ confidentiâ, ut mercatores maximô numerô in caſtra evocarentur, qui Iudæorum bellô capiendorum, in ſingula capita vili pretiô repenſô multitudinem innumerabilem commercarentur. Verùm ubi ad manus ventum eſt; res *Iudæ* ſuperior fuit. Fugatur Nicanor: cæduntur Nicanoris militum in acie millia novem, in fuga tria. Capiuntur, qui captivos emptum venerant, mercatores; & pecuniâ, pretióque mancipiorum, quæ nusquam erant, exuuntur. Paulò poſt *Gorgiam* quoque vicit; & *Bacchidem* ac *Timotheum* in fugam vertit: Syrorúmque viginti cæſis in prœlio millibus, caſtella quædam capit opere, ſitúque loci munitiſſima: Nicanore tantiſper inglorió, ad Lyſiam ſtomachantem refugiente. Machabæus inter hæc ſuorum è numero, qui vix ſeptem millium erant, neminem unum deſiderabat. Sub hæc autem, ipſo prœliorum ſucceſſu juventutem ad armorum audaciam invitante, Macha-

thabæanæ creſcebat militiæ robur: ut adeò brevi decem jam millium fortiſſimorum eorúmque voluntariorum robur adſtaret.

Lyſias verò diffiſus Legatorum ſuorum ſeu magnanimitati, ſeu ſolertiæ; conſtituit ipſe belli fortunam experiri. Quocirca ſexaginta millia pedeſtrium, & equeſtrium quinque millia, lectiſſimorum militum exercitum contrahit, & in Judæam irrumpit. Ad *Bethoronem Gabaoni* vicinam urbem pugnatur: in qua Judas decem millibus ſuorum in aciem contra ſexaginta quinque millia barbarorum eductis; eorum quinque millia velociter concidit; reſidua cædi ſexaginta millia profligat: Lyſiámque cogit Antiochiam, ac nova ſeu belli, ſeu pacis conſilia repetere. Judæi verò propinquam prœlij loco Jeroſolymam, victores ingreſſi, Templi plùs quàm ſemiruti faciem horridam, ſqualentiáque virgultis atria, totúmque locum ſterquilinio, quàm ædi ſupremi Numinis, ſimiliorem intuentur. Pariter ergo medias inter victoriæ gratulationes in lacrymas ac lamenta ſolvuntur. Ad inſtaurandam deinde loci ſanctitatem converſi, ſordibus eum purgant, Jovis ſimulacrum confringunt; templóque ſuis ritibus expiatô, denuóque dedicatô, Sacrorum ſedi meliorem faciem inducunt: turres ac munitionem illico, validiſſimô militum præſidiô conſtituunt, ad templi Majeſtatem, in reliquum tempus, adversùs arcis Sionææ præſidiarios Syros tutandam.

Cùm ſubinde *Timotheus* iterum (Antiochiæ imperante *Antiocho Eupátore*, Epiphanis filio, cui cognomentum *Generoſi* aſſentator Lyſias impoſuit) magna eum armatorum multitudine Judæam invaſiſſet;

confugit ad ea Machabæus, ad quæ solebat, in omnibus belli sacri pugnis, præsidia: quæ preces erant ac supplicationes, ab omnibus, armatis pariter & inermibus ad DEUM fusæ. Quibus addebat animi, corporisque religiosam demissionem, cinere conspersîs omnium capitibus; ac cilicina veste cinctis super nuda cute lumbîs. Tenebat autem in templo palàm supplicans altaris cornu, poscentibúsque militiæ *tesseram*, AUXILIUM DEI, dabat; & ad fortiter faciendum inflammabat animos voce quà suâ, quà divinorum librorum, qui coram multitudine recitabantur. Nec mirandum est, Deum cum illis stetisse, qui cum DEO, pro caussa DEI stare, rebus omnibus anteferrent. Is igitur pugna cum Timotheo commissâ, cùm ferveret utrinque prœlium, in neutram partem inclinante certaminis fortunâ, sublatis in cœlum tesseræ datæ vocibus, cum milite cœpit AUXILIUM inclamare DEI. Nec dilatum diutius est, quod petebatur. Medio namque conflictûs ardore, quinque cœlo demissi Juvenes, sese Judæis pariter & hostibus spectandos obijciunt, equestres, & formâ fulgoréque conspicuis quorum erant ex auro fræna. Machabæanum hi ducebant exercitum, ita tamen, ut eorum tres aciem antecederent: duo verò Iudam utrinque stipatum, armisque cœlestibus defensum, incolumémque præstarent, & à telis hostilibus intactum. E contrario barbaros incussis eminus, cominúsque jaculis ignitis, intortisque fulminibus exanimant, & intolerabili splendoris, ex eorum vultibus & armis emicantis magnitudine tantopere percellunt, ut & oculis, & mente capti, formidinéque plùsquàm Pa-

ni-

nica trementes concíderent, ac ne fugæ quidem satis viam, exitúmque reperirent. Cæsa sunt viginti millia, quingentique peditum: equestris verò militiæ (quæ se more suo maturiùs à cornibus legionum abruperat) sexcenti; *Timothei*, *Chæreæ*, *Apollophanis* abscissa capita, barbaris ostentui, terrorique fuerunt.

Quibus rebus Lysias cognitis, ac tantis suorum cladibus, impendiisque, nullo belli successu, vehementissimè commotus; novum, eúmque quàm maximum è Syria contrahit exercitum, Judæorúmque finibus inducit; peditatûs hostium erant octoginta millia; de numero equitatûs nihil certi constat. His occursurus Machabæus, ad lacrymas convertitur, populíque supplicationes; efflagitatur subsidiaria de cœlo manus: nominatim angelorum rursùs auxilium, ac præsentia. Nec minore, quàm antehac successu. Agmen in hostes armatum ducebat Judas; magis autem Angelus, equitis habitu non copias modò Machabæi, sed ipsum quoque Ducem antecedens: amictu quidem cætera candido; sed armis, thorace, galeâ penitûs aureis; auratámque dextrâ lanceam in hostes quatiens. Cujus aspectu Machabæani (qui tesseram etiam tunc acceperant AUXILIUM DEI) mentium alacritate plusquam humanâ succensi, leonibúsque similes, in Lysianos irruunt. Primóque ferè certaminis impetu victoriam orsi, cædendi finem non priùs faciunt, quàm undecim Syrorum millibus è peditatu, sexcentis equitibus supra mille prostratis. Exercitum reliquum maxima sui parte vulneribus debilitatum, & impedimentis ac castris exutum profligant: abje-

ctísque passim armis, salutem è fuga petere compellunt. Ac Timothei quidem, unius è primis Lysiæ ducibus (diversi ab illo superiore) milites in fanum quoddam sese receperunt; Lysias autem ipse fœda præcipitíque fugâ Syriam, quam se triumphantem speraverat ingressurum, repetebat. Nec diu pòst abjecta spe debellandi Judæos, fœdus cum ijs iniit, auctoritate regis confirmatum. Sed hæc pax paucorum mensium fuit, eam turbante maximè Timotheo, qui nuper ultra Jordanem ablatus fugâ, reparavit exercitum, centum viginti millium peditum, equitúmque bis mille, quingentorum, & contra Machabæi non plus sex millium copias (nam partem militum Iudas ducibus *Dositheo* & *Sosipatro* commiserat ad validissimum Timotheanorum præsidium expugnandum) movit, Re ad prælij fortunam deducta, Judæ præcurrunt antesignani: conspicitur à Thimotheanis cœlestium Militum unus quidam majestate vultûs & habitûs cæteris, qui circum ipsum erant, eminentior, fulgorísque sui vehementiâ divinum quid præ se ferens; ideóque terrorem longè maximum plerisque barbarorum, etiam audacissimis, incutiens. Unde fiebat, ut in se ipsos mutuò versis telis, ensibúsque, Machabæorum eos trucidantium manus vulneribus ac cædibus alternis adjuvarent, cum triginta millium Timotheanorum occidione. Dux ipse captus, & in certas conditiones dimissus.

Cæterùm, quia perfidos nunquam caussa bellandi deficit, Lysias insuper habitis pactis & conventis cum gente Hebræa, Regem Eupátorem instigat ad bellum cum Iudæis renovandum. Is cum decem

& cen-

& centum peditum, viginti equitum millibus: turritis elephantis triginta duobus, quadrigis falcatis trecentis Ierosolymam petit. Cui sese Iudas cum parva suorum manu opponens, cùm videret temerarium esse, contra tantas copias aperto Marte dimicare, nocturnam occupavit pugnam, in qua virorum quatuor millia interfecit. Eam sive cladem, sive contumeliam Rex in autores refusurus, non ipse modò furore percitus in Iudam movit, sed belluas quoque efferari volebat, vino & mororum succo potatas. Singulis elephantorum milleni præerant pedites, equites quingenti; tanto armorum apparatu, ut sole radios in clypeos aureos, æreósque vibrante, vicini colles resplenderent. Non cecidit animis Iudas; iterum cum hoste conflixit. quo in conflictu occubuerunt è Syris sexcenti audacissimi quique, cæsi Ducis Machabæi decus exoptantes incassum. In illo incursu *Eleazarus*, Iudæ frater, elephantem conspicatus, cæteris & habitudine molis, & apparatu turris ac propugnatorum eminentiorem; iisque signis in eam inductus suspicionem, ut crederet ei Regem insidere: viâ ferro per obstantes factâ, multísque dextrorsum, lævorsúmque trucidatis, alvũ belluæ subjẽs, impresso visceribus gladiô, puncto temporis eam stravit. Sed prolabentis pondere pariter & ipse superoppressus occubuit; gloriæ fortitudinísque suæ dignô comprimis tumulô contectus, elephantô, sua manu dejectô: proindéque sepulcro Mausoleis quibusvis, ac monumentis eburneis glorioſiore. Iudas verò considerata innumerabili hostium multitudine, constituit supremi certaminis aciem declinare. Rex vi-

ribus usus Solymam occupat, Chananitidem, quàm latè patet, in potestatem redacturus, nisi intestinis tumultibus Antiochiam revocato, pace cum Iudæis facta, regnum ab insessore tyranno *Philippo* recuperandum fuisset.

Pacis mox fœdera rupit *Demetrius*, cognomento *Soter*, Seleuci *Philopátoris* filius, *Eupatoris* patruelis, ejusque interfector & successor, Hujus imperijs & auspicijs *Nicanor*, homo, si quisquam alius, furiosus Iudæis incubuit, ingenti cum terrore, & cœlestis Numinis contemptu. Machabæus, ut suis faceret animos in certamen, somnium enarravit divinitus immissum; quô sibi visum affirmabat *Oniam*, insignem illum virtutibus ac rebus gestis Pontificem, annis abhinc undecim odiô religionis interfectum. Iuxta eum *Ieremias* visebatur vates divinus; uterque manibus supplicans pro Iudaicæ gentis incolumitate: posterior aureum insuper gladium visus porrexisse Iudæ cum dictis: caperet gladium divinitus ei dono missum, divinitus quoque factum ad id, & inauguratum, ut strage magna conterantur Israëlis hostes. Quæ dum Iudas suis, alacritate certandi nova inflammatus exponit: Hostis interhæc, ultro fiduciâ multitudinis ac virium suarum, non exspectato Iudæorum occursu promotis agminibus præstò fit. Adstat acies, ad omnem disposita terrorem. stant ad pugnam instructi, propteréque grande terroris incrementum, elephanti. fremit ardore certaminis tot millium exercitus formidabilis. Iudas cum suis DEUM in vota flectere, consuetam AUXILIJ DIVINI, vel VICTORIÆ DEI tesseram insonare, insolitô quodam præsentiæ

DEI

DEI sensu perfundi. Vera sensisse, eventus ostendit; Iudæis enim præsidio Numinis & Angelorum, tectis & illæsis Syrorum cæsa, stratáque non minùs triginta quinque millia. Capta direptáque castra; contritæ vires universæ; primus inter omnes cæsus is, qui ferociâ, contemptúque Numinis cæteros anteceſſerat *Nicanor*. Reliqui, nullo propellente, cùm capite se carere cernerent, in pedes sese coniiciunt: abjectísque, quò promptior esset, expeditiórque fuga, clypeis ensibúsque, quà cuique tutissima visa, brevissimáque mortis effugiendæ via fuit, illac iter intendunt. Quos tamen Hebræi se segregatim victoribus associantes, à fronte, tergo, lateribus concluſos ita confecerunt; ut ex omni Nicanoris expeditione, copiáque, ne nuntius quidem cladis oculatus, Regi *Demetrio* superstes relinqueretur, Nicanoris cadaveri caput, quod linguâ suâ cœlo convitiatum erat, amputatum; à trunco simul cum humero brachium (quod adversùs DEI Domum minaciter extentum fuerat) resectum; truncus insepultus abjectus, caput & brachium Ierosolymis è regione templi in alto suffixum; lingua à palati radicibus revulsa, minutissimè concisa, in aëris propatulo, quò volucribus pabulum esset, proposita; Machabæis tantisper DEO cœli, gratias in templo, chorósque psalmorum agentibus.

Demetrius inter hæc compertô Nicanoris, & exercitus ejus interitu necdũ furoris in Israëlitas satur, novas adversùm Machabæum comparat copias; eásque sub *Bacchidis*, & *Alcimi* Iudæi, proditoris, signis ac ductu mittit in Iudæam. Viginti milllia pedestris exercitus, equitum duo millia fuêre: cùm Iudæ

non amplius trium millium cohortes ad manum essent. Ex his tamen ipsis, ad tantæ multitudinis hostilis conspectum exsternatis, cùm duo millia ducentique se periculo, pugnæque subducentes, Iudæ non plures octingentis reliquissent: qui & ipsi formidine perculsi, prœlio suaderent abstinendum, quoad novarum accessu copiarum, manum sibi firmiorem compararent; Iudas nihilosecius, quanquam & ipse nonnullo metu tactus, etiam tunc sibi constitit, cæterósque ad audendum animavit: Concinentibus tubis utrinque conclamatur: tela, manúsque conseruntur: ab ortu solis ad occasus ferè viciniam acerrimè dimicatur ab Hebræis octingentis adversùm viginti duo barbarorum millia. Nimirũ unius Machabæi virtus instar erat multorum millium, qui cum globo fortissimorum in dextrum hostiũ cornu, ubi prætoriani, & robur exercitûs stabant, invectus, illud cum Bacchide profligavit; quos dum fugientes persequens, terga ferit antecedentium; coorti à tergo, qui sinistrum barbarorum cornu tenebant, cædentium cædunt dorsa, numero suorum, ac totius diei pugnâ, lassitudinéque laborantium; donec ad extremum cadentibus utrinque compluribus, nec tamen usquam se remittente certaminis ardore, tenebris ingruentibus, sol nocti, virtus multitudini, Judas vulneribus ac morti, Iudæáque Syriæ succubuit. Quantus in vita Iudas, Hebræorum gloria, fuerit, etiam moriendo ostendit. Cecidit pugnando. Maluit generosè cadere, quàm timidè fugere. Satur hostilis sanguinis, suum quoque hauriendum dedit. Suis instratus palmis,

suis lauris immortuus est. Non antè timeri desijt, quàm vivere. Unus ipse terror omnium, & formidabile belli fulmen. Ad piorum sedes tunc nobilis Umbra descendit, cùm nominis claritas, quò cresceret ampliùs, non haberet.

NARRATIO CXIV.

ANTIOCHI EPIPHANIS, TETERRIMI TYRANNI, FUNESTUS EXITUS.

Ex lib. 1. Machab. cap. 6. & lib. 2. cap. 9. Anno Mundi 3891. ante Christum 162.

HUnc plerumque finem sortitur superbia; dum nimiùm tumet, rumpitur. Mortalium omnium, uti memoratum est sceleſtissimus *Antiochus*, auditis prosperis Iudæ Machabæi successibus; relictis *Ecbatanis* Medorum urbe, cui imminebat, in Syriam, & hinc in Iudæam festinare contendit. Maledictis & exsecrationibus admiscens minas, jurabat, Ierosolymam se redacturum in sepulcrorum congeriem. Cúmque dictis hisce, tanquam ocyùs eorum fidem expleturus currum, quo vehebatur agitari celeritate majore juberet ægrè comitibus ac peditatu copiarum, properantis impetum assequentibus, res ita, Providentiæ quoque cœlestis intercursu, se tulit: ut belluarum una cæteris elephantis iracundior, in agmine, ferocissimo cum stridore barriret

ret. ad vocis ejus insaniam terretur Antiochus, erfternantur equi regij: calcitrant impatienter: Antiochúmque tandem, succussione continua, sedemotum excutiunt. Hunc (ut obesi corporis hominem) & lapsûs impetu graviter, & mole membrorum longè graviùs afflictum, alliſúmque cùm artubus omnibus contusus, exanimi similis jaceret; humo satellites erigunt, & gerulorum manibus, ac sellâ Babylonem versûs deportare pergunt, gestationis, motúsque ægrè patientem: & dirissimis insuper viscerum tormentis excruciatum.

Corporis cruciamentis acriora superveniebant animi supplicia. Nam mortis vicinia præteritæ vitæ gestis diem dicebat: & hunc quidem omni caussidico destitutum. Ante palpitantis ergo memoriæ perspicaces oculos, cum exporbratione stabant tot Iudæorum millia, sine causa probabili trucidata. Stabant, Judæa pervastata; Ierosolyma flammis absumpta; Sionis arx per injuriam dominis suis erepta; Sacerrimum urbis, orbísque templum, omni contaminationis genere violatum: direpti thesauri: pollutavictimarum Ara: divina librorum monumenta porcino cruore conspurcata, conscissa gladijs; abolita sacrilegis ignibus: ac Lychnus immortalis, extinctus & ablatus. Adhæc obversabantur angoribus illius immanitate plùs quàm Scythica torqueri, necaríque jussus Eleazarus; præcipitatæ de muris religiosissimæ viragines; in cruces acti sacrorũ suorũ retinétes tot viri; proptérque suillæ recusatum usum, exquisitissimis afflicti, sublatisque supplicijs, septem electi flores adolescentes, & eorum magnanima mater, in suis & Antiochiæ totius

ius oculis. Israëlis denique terra, tot immissis in tam bellis & exercitibus, bustum propemodùm & suderetum, universa per ipsum facta: vix modicè nunc ab incolarum reliquijs erigi, reficíque cœpta.

Super hæc autem omnia recordationem ejus infestabat, contemptus, exagitatúsque Iudææ Deus; hinc omnium sibi malorum, quibus tunc premeretur origines ac promerita fluere. quibus aspellendis quidnam supereſſet jam præsentius, efficaciúsque, quàm eundem illum, quem ad eum usque diem aspernatus ac persecutus esset, DEUM, placare nunc, & votis sibi demereri? Judæorum autem tam Sacra, quàm fortunas & jura quæ per nefas invasissent, in integrum restituere, ablata templo vasa reddere; victimarum statas impensas è fisco regio præbere; Hebræos privilegijs libertatis, quibus Athenæ fruerentur, donare: ipsum se (si morbum & mortem evasisset) Judæorum religioni addicere, & omnibus gentibus contestari, Iudaici DEI vires ac majestatem illum, illum, quem nemo videre possit, verum ac manifestum esse Deorum DEUM.

Quæ vota ac promissa cùm nec apud mortales tunc, nec apud immortales fidem reperissent: & si vel maximè sinceritatis vitiô carerent, solius tamen pœnæ temporariæ fugiendæ spe concepta, nihil ingenuum spirarent, regi nequam, propitias æternæ Majestatis aures minimè conciliârunt. Pergebat igitur torquere DEI vindex ira. Supra patientiam omnem humanam excruciatur tyrannus: animum fatigant assiduus quidam, profundissimúsque mœror, & imaginum horrificarum perpetua terriculamenta ad amentiam usque. Corporis dolorem perpetuô

tpeuò creſcentem exaſperârunt in inteſtinis inſuper enati vermes, & intra cutem ſordes pediculares exortæ. Quæ peſtes vehementiſſimè rodendo, morien-dóque, tamdiu ventrioſum exedebant abdómen: donec diffluentibus demum viſceribus, cum carne rupta, dilapſáque exitum invenirent. Unde fœtor egreſſus incredibilis; hoſte quovis & gladiô potentiùs circumſtantes amicos, ſatellites, & exercitum fugabat: tam intolerabilis ad extremum, ut ipſe ſemetipſum Antiochus averſaretur ac fugeret & jam mors illi, pro qua depellenda tot vota nuncupârat, in votis vel primis eſſet.

Mortis ergo tandem poſt implexos, longóſque dolorum circuitus, compos effectus deceſſit, *Propoſitorum* bonorum ſarcinâ preſſus gravî; ſed *Operum* peſſimorum mole longè graviore ſuperobrutus: quibuscum deſcendit ad rogos ſempiternis incendiis æſtuantes. Id quod ei verbis minimè perplexis, obſcuríſve, Machabæorum fratrum chorus, Antiochiæ quondam toſtus, præſagivit. documento ſanè quàm maximè formidando Principibus, ac Toparchis illis, etiam pòſt futuris, quibus non inſontium modò ſpiritus ac vita (pretioſum DEI munus) inter projectiſſima ſunt: ſed etiam Divina, Conſecratáque, prædæ, queſtuique fiunt.

NAR-

NARRATIO CXV.

JONATHÆ ET SIMONIS MACHABÆORUM, JUDÆ FRATRUM JUDÆÆ DUCUM AC PONTIFICUM ACTA.

Ab anno Mundi 3910. ante Christum 143. ad annum Mundi 3919. ante Christum 134.

PEriculosa sunt odia, quæ amicitiâ vestiuntur; nocent enim graviùs, dum minùs timentur. Meretur nomen & virtus Machabæorum, ut paucis delibemus potiùs, quàm enarremus, quibus satis *Ionathas* & *Simon*, vitæ ac gloriæ suæ spatium decurrerint, quósque in Principatu tam sacro, quàm profano habuerint successores.

Postquam *Iudas* & *Eleazarus* fortiter faciendo occubuerant in prœlio eorúmque frater germanus *Ioannes*, cognomento *Gaddæus*, à Iambræis (Mádabam, urbem trans Iordanem incolentibus) in itinere ad Nabathæos Arabes, per insidias exceptus, & interfectus fuerat; Ionathas cum Simone rem Iudaicam domi, foríque sustentavit. Illum quidem Ducis cujusdam militaris Syri, *Tryphonis* nomine: hunc duobus cum filijs *Ptolomæi* generi, perfidia evertit. Tryphon igitur cum per omnes militiæ gradus & ordines, rerum gestarum commendatione provectus; novissimè pro Tutore se ferret Antiochi *Balæidæ* (filius hic erat *Alexandri*, subsessoris regni Syriæ, quem Epiphanes Antiochus è pellice, cui *Bala* nomen, suscepit; unde Alexander *Balæus* cognomi-

nominatus, & hujus filius Balæides) & rege Demetrio (qui *Nicanor* dictus est, Demetrio *Soteré* genitus) ex Syria pulsô, constituissetregnum Syriacum facere suum; puerum autem *Antiochum* malitiæ suæ velamen habere; quoad nactus opportunitatem, hôc interfectô, supremam potentiam ipse nullo reguli vindice, corriperet: decrevit *Ionatham* (cujus amicitiâ & armis *Syri* tum stabant) consilij sui unicum obicem è medio tollere. Quod cùm aperta vi efficere non posset, ad fraudes confûgit. Invitat Ionatham è castris (in quibus quadraginta tum millia militum numerabat) in sua castra excipit perhumaniter, amicum appellat, muneribus donat; persuadet inter epulas, ut multitudine utrinque dimissa, simul Ptolemaidé (urbem Ægypti celeberrimam) habiterent; & cum paucioribus circùm se dignitatis potiùs quàm tutelæ salutisque caussâ retentis, in ré præsentem venirent: urbé se, finitimásque munitiões Ionathæ præfecturæ, custodiæque permissurũ. Ille, Deô nõ consultô copiarũ suarũ triginta septé millia remittit Ierosolymam; non nisi tribus millibus præsidij caussâ retentis; paullò pòst ex ijsdem duo millia (fortè ostentandæ fiduciæ quoque gratiâ) mittit in Galilæam; ut adeò mille jam solos, satellitium veriùs, quàm armatorum præsidium, circùm se haberet. Itur inter hæc Ptolemaidem. Ibi dum Dux & Pontifex Hebræus promissarum fidem, & honores novos exspectat, obseratîs portîs obtruncantur milites; ipsi compedes inijciuntur, & catenæ.

Quibus rebus Ierosolymæ intellectis, populi suffragijs in Ionathæ locum *Simon* sufficitur; primas is inter curas habuit, contrahere, quidquid militarium

in Iudæa copiarum erat; dein affectas jam urbis ædificationes, ac potissimùm murorum turriúmque cæptas á Ionatha munitiones ad fastigium perducere priùs, quàm Ierosolymam *Tryphon* incursaret. Qui, ne cunctatione spes suas corrumperet: aut incolumi Simone, paria consilijs suis impedimenta metuere cogeretur, qualiáque, florentibus adhuc Ionathæ fortunis, formidâsset, exercitu Ptolemaide moto, Ionatham secum vinctum trahens, tendit in Iudæam, ut & Simonis potiatur. Cujus hic adventu cognito, prior ei, suis omnibus eductis copijs, occurrit. Tryphon more suo ad fallaciam conversus, mittit, qui Simoni, tanquam auctoritate regia Legati denuntient, non bellum id esse, sed æris dunta-xat alieni quod regijs in tabulis, negotiorum suorum caussâ contractum, adhuc inexpunctum Ionathas haberet, exactionem; ideóque in nexu esse Ionatham, quo ad obligatam ejus fidem repræsentatum argentum, & idonei præterea vades, quibus Ionathæ societas Antiocho regi, posterum etiam in tempus adstringeretur, exsolverent. Mitteret igitur Simon argenti talenta centum, debiti nomine; duósque præterea Ionathæ filios parvulos, paternæ simul fidelitatis obsides, ac transfugij frænum. Sic & ipsos inter se posthac concordes futuros, & Ionatham in libertate victurum.

Imposuissent Tryphonis ea tam composita, temporúmque casibus congrua verba cuivis non sagacissimo. Non fefellerunt exercitatæ calliditatis virum, prudentiáque rerum veterana spectatum Simonem probè perspicientem, quibusnam hæc ex artibus proficiscerentur, aut ea postulata quorsum spec-

ta-

ctarent: ut unâ videlicet, eadémque Tryphon ópe-
râ pecuniam simul & pueros; & horum, parentis-
que vitam auferret. Quòd tamen ea Legatorum
postulatio própalam esset in castris facta, passímque
jam in vulgus exisset ac populum, cui Ionathæ fa-
lus erat longè charissima; videbat Simon, si, quan-
tum Tryphon redimendo Ionathæ pretium indixe-
rat, ipse pendere detrectâsset, magnam se apud om-
nes, interfecto fratre, invidiæ calumniam subitu-
rum; misit igitur, quæ postulata fuerant, centum
argenti talenta & duos Ionathæ filios, séque suspi-
cionibus absolvit, tanquam non pecuniæ magis,
quàm potentiæ retinens esset. At non & Iona-
tham perfidus Tryphon absolvit; quem duobus
cum filijs immanis carnifex interfecit. Ipse quo-
que regnô Syriæ per regicidium occupatô, ab Anti-
ocho [Sidéte] Rege obsessus [nam perfidia diu fe-
lix esse non potest] denique sibi manus intulit, de-
speratione adactus. *Salian. ad annum M. 3918.* Te-
terrimus bipedum ipse sibi *Tryphon suimet carnifex justi*
moriens fecit, qui *jus* in vita nullum ulli reliquit; &
si cubi reperit, id vel vi, vel fraude pessum dedit.

Simon audita Ionathæ, filiorúmque morte, post-
quam eos Módinæ, majorum sepulchris, suo, pub-
licóque populi luctu intulit, exstructô de Pario
marmore, monimentô, pyramidibus septem visen-
dô; á privatis rerum curis, ad publica opera con-
versus, cùm præsidijs & munitionibus ubique per
Iudæam adversùs barbarorum vim instructis atque
firmatis, patriam libertati, à tot jam annis inter-
mortuæ reddidisset, privata, publicáque ædificia in-
staurâsset, arce Sionæa hostes ejecisset, complurá-

que

que Philisthinorum oppida, Iudaicæ ditioni adjecisset; Antiochus *Sidétes* [vel Sedétes, nomine tracto ab urbe quadam Ciliciæ, cui *Sidi* appellatio, in qua pueritiæ annos exegit] Tryphonis expulsor, per *Cendebæum* Legatum suum Palæstinam adortus est. Simon, quòd esset sexagenariô major, è filijs tribus, quorum erant nomina, *Iudas*, *Ioannes* ac *Mathathias*, duobus natu grandioribus, suas in posterum vices mandat, in hostibus populi DEI persequendis: exemplísque fortitudinis Majorum suorum, & imprimis avi, quatuórque patruorum, qui bellô sacrô viriliter occubuissent, animatos: fiduciâ cumprimis cœlestis opis, quæ nunquam amicos DEI destituisset, ad susscipiendam adversûs barbaros expeditionem incendit.

Valuit ea patris cohortatio tantùm apud filios, ut Joanne potissimùm adnitente, numerosus in paucis diebus eques, ac peditum acerrimorum viginti millia Ierosolymam coirent. Qui cùm Syros magna clade profligâssent, tantáque *Sidétem* animi ægritudine, quanta parentem lætitiâ replevissent, Rex Syrus ad dolos confugiendum ratus, ut Simonem, filiósque, sub affinitatis & amicitiæ blandimentis deciperet, *Ptolemæum* quendam, natione Iudæum, Simonis generum, Ierichuntinæ ditionis præfecturam, suffragatione soceri obtinentem, Pontificatui, civiliúmque rerum imperio inhiantem, ministrum fraudis delegit; à quo Simon cum filijs Iuda & Mathathia in arcem *Docham* invitatus, in media convivij hilaritate, incisis cervicibus, & trajectis ferrô pectoribus, interemptus est.

Non contentus ea crudelitate sanguinarius parricida, mittit in urbem *Gazam* seu *Gazaram* ad Ioañem Machabæum, tertium Simonis filium, qui per causſam legationis ac negotiorum, prolatis repentè, nudatisque telis, incautum opprimerent. At is de periculo, totáque re gesta commonitus, ijs, qui sui perdendi causſâ venerant, & admissionis copiam fecit, & ferrô suô trucidatis vivendi finem. Nec ita multò post Antiochus Sidetes validissimo cum exercitu Ierosolymam ex omni circumquaque parte premens, in biennium usque, fame dira clausos ac semianimes oppidanos affligebat; quare de sententia Procerum ac plebis, Ierosolyma Regi tolerabiles in conditiones permissa est. Ioannes pace facta; obsidibus, & quinquaginta talentis datis, Sidétem in Parthos, cum auxiliaribus copijs comitatus, ob penetratam armis *Hyrcaniam*, nomen *Hyrcani* adeptus, rem Iudaicam, Sidéte in Persida peremptô, multis incrementis auxit. Is tamen *Sadducæum* se professus, spiritus, & angelos, & corporum in fine mundi reparationem habens in delirijs, bellicæ quidem virtutis ingentem gloriam; contaminatæ verò religionis æternam post se infamiam reliquit.

Ei successit in Pontificatu filius *Aristobulus*; is Syriæ regibus, *Grypo* & *Cyziceno*, communi appellatione *Antiochis* [priorem aliqui *Gryphum* vocant, ob aduncam, & in gryphis morem inflexam nasi formam: posterior ab urbe *Cyzico*, educationis loco, denominatus est] inter se dimicantibus; se ipsum interea, nemine refragante, fecit è Duce Regem: Iudæam autem è Satrapia Regnum. Id ipsum etiam

am *Alexander* mox fecit succeſſor, Hebræis *Ioannes* ac *Iannæus* appellatus. Idem & cæteri deinceps Machabæorum nepotes ac pronepotes infelices plerique Sadducææ ſectæ aſſeclæ, ad Herodianam uſque Domum eis ſubrogatam, fecerunt. *Ioan. Biſelius in Ruinis Illuſt. Dec. 3. n. 18.*

NARRATIO CXVI.

MACHABÆANÆ STIRPIS ERADICATIO. HERODIS ALIENIGENAE IN REGNUM JUDAICUM INVASIO HERODIANI NOMINIS PROPAGATIO, ET EXCISIO.

Ab anno M. 3951. ante Ch. 102. ad annum Mundi 4053. IESU Chriſti annum 1. quo anno Herodes è vivis exceſſit.

Ex Flavio Joſepho, de antiquitatibus Judaicis, Lib. 13. 14. 15. 16. 17. 19. Et de Bello Judaico lib. 1.

HActenus veſtigia ſacrorum Voluminum preſſimus; nunc quoniam cum Machabæorum occaſu, Herodianæ familiæ fortuna miſcetur, proſequemur ex Ioſepho, Iudaico ſcriptore, quæ hiſtorico ſunt nexu colliganda.

Defunctô igitur, ut diximus, *Ioanne Hyrcano*, (primo) *Ariſtobulus* natu filiorum maximus, Iudæi ſibi regis nomen uſurpavit; fratrémque *Antigonum*

in ſocietatem dominatûs adſcivit; cœteros eodem patre natos habuit in vinculis; in quibus matrem fame enecavit; paullóque pòſt uxoris *Salomes* (quæ & Alexandra dicta eſt) artibus, Antigoni quoque, tanquam Regiæ, Pontificiæque dignitatis æmuli, ſanguine manus imbuit. Mox fraternæ cædis pœnitentiâ ductus, dirísque conſcientiæ ſtimulis agitatus, morbum contrahit, & cum ſanguinis vomitu ſceleſtam animam eijcit. Argumentum divinæ vindictæ manifeſtum extitit, quòd quidam è ſervulis cruentam ſaniem foràs efferens, eodem in loco effuderit, ubi cruoris fraterni maculæ terram infecerant. Succeſſit in regno Salóme, *Iannæúmque* mariti fratrem (quem *Alexandrum* quoque vocant) è carcere ad ſolium evexit. Hic verò cum promiſcuis cædibus tumultuaretur; quinquaginta Iudæorum millibus intra ſexennium interfectis, alterum quoque è duobus fratribus ſuſtulit, alterum privatam vitam colere permiſit. Immane vel auditu eſt; Hebræorum procerum octingentos (quod tyrannidem ejus improbarent) inter epulas cum concubinis initas, excelſiore de loco, unde proſpectus patebat, juſſit crucibus affigi, & miſerorum in oculis adhuc ſpirantium, uxores ac liberos jugulari. Ad extremum, morbô per temulentiam contractô, vino & ſanguine ebrius, animam in tartareas flammas efflavit; ubi priùs uxori *Alexandræ* deligendi Pontificis arbitrium permiſit, & ut Phariſæorum verſutiâ regnum ſibi ſtabiliret, admonuit. Illa monitis obſequens, omnia ad Phariſæorum arbitrium retulit, & per horum conciones adeò ſibi populum conciliavit, ut tyrannum epicedijs & ſumptuoſa funeratione

ne profecutus sit. Tanti interest, per quos, quóve prætextu quemque trahas. Erat ea tempestate Iudæa gens in duas maximè sectas scissa; Nobilitas *Sadducæorum* (qui eundem & corporum, & animarum interitum asserebant; populus verò *Phariſæorum* dogmata, qui Stoico quodam supercilio legis divinæ peritiam, & virtutis austeritatem, insigni cum hypocrisi professi sunt) complectebatur. Horum ergo viribus Alexandra suffulta, post nonum gubernationis annum, *Hyrcanum* (secundum hujus nominis) filium natu majorem, quem jam antè Pontificatui præfecerat, successorem constituit. Hunc (quippe ad publicas curas languidiorem) Aristobúlus secundò genitus, & elegantiâ morum, ac corporis dignitate apud omnes gratiosus, armis victum, in ordinem redegit; ipse sceptrum & tiaram arripuit. Quod utrumque, superveniens Hierosolymam cum exercitu *Pompejus* ei rursus ademit; Pontificatum Hyrcano restituit; Iudæam tributariam Romanis fecit, *Antipatró* ei præfectô gente *Idumæo*, *Herodis* (qui ab urbe Ascalone, ubi educatus, *Ascalonites* dictus) parente. Aristobulum cum filijs Romam abduxit: Templum Solymæum [quod vi expugnaverat, duodecim Iudæorum millibus interemptis] ingressus victor, ex eo nihil abstulit, nec Sacris operantes Sacerdotes interturbavit.

Tum primùm libertas Iudæorum amissa; urbes de Syris antehac captæ, iterum redditæ; regnum, à quo priùs Pontificale genus honestatum, ad plebejos translatum: muri civitatis dejecti, circa annum Mundi 3991. Viginti post annis *Pácorus*, *Orodis* Parthorum Regis filius, plerâque Syriâ in potesta-

tem redactâ, *Hyrcanum* Romanorum [quibus infestus erat] amicum Pontificali dignitate exuit; *Antigonum*, ejus ex fratre Aristobulo nepotem substituit; ipsum Hyrcanum cum *Phasélo* [natu majore Antipatri filio, Iudææ præfecto] in vincula conjicit; Hyrcano, ne spes ad pristinos honores relinquerentur, auriculæ amputantur; Phasélus, desperatione adactus, allisò ad saxum capite vitam abrumpit. *Herodes* Antipatri filius natu minor, Galilææ principatum obtinens, in Arabiam, & inde Romam elabitur, Rex Iudææ à senatu appellatur; Antigonus hostis declaratur. Qui deinde jussu Marci Antonij [pecunijs ab Herode ad id inducti] Antiochiæ in foro publico securi percussus est; Antipatrum *Malichus* quidam, natione Arabs, vir militaribus factis apud Iudæos clarus, & Hyrcani partium studiosus, venenoin mensa propinato tollit; Malichum Herodes per Satellites suos necat, redeunte in orbem vindicta, & sanguine sanguinem expiante.

Herodes ubi paternis manibus, occisoris cæde parentavit, animum adjecit ad regnum sibi Iudaicum, non Romanorum tantùm favore, sed regiæ quoque stirpis connexione vindicandum. Ergo *Mariamnem*, fæminarum decus, *Hyrcani* hoc tempore Babylone exulis, neptem, Alexandri *Iannæi* filiam, matrimoniô sibi jungit; *Aristobulum*, Mariamnes fratrem, ad devinciendos sibi Iudæorum, Alexandræ præsertim matris animos, Pontificem creat; Marci Antonij Syriæ Præsidis, ejúsque amicorum favorem amplissimis sibi muneribus emit; plebem Solymæam in suas partes adducit; primates & adversæ factionis homines quotidianis supplicijs absumit;

sumit; Alexandram socrum in regia sub molestis, & perpetuis observationibus continet. Quarum illa impatiens, cum Aristobulo filio fugam in Ægyptum ad reginam *Cleopatram* molitur. eam fugam ut celaret, uterque sandapilis inclusi velut mortui efferri debebant, & navigio ad id parato imponi. Fraudem deprehendit Herodes qui de suo ingenio, aliorum facilè conijciebat. consilia ultionis coquit; dissimulatam tantisper nocendi cupiditatem, in hunc denique modum exonerat.

Erat Herodes ab Alexandra [reconciliandæ gratiæ caussâ] regali exceptus convivio, tempore, quô calores æstivi maximè fervere solent. Post epulas invitatur Aristobulus, adolescens septemdecim annorum âd piscinas, in proximo stagnantes. Ibi dum spectat æquales in undis, simul ludentes, simul æstum abluentes, incedit adolescentem cupido miscendi se natantibus. Illi, ut ab Herode erant edocti, innatantem undis, quasi per ludum & jocum arripiunt, sub aquas deprimunt, tamdiu detinent mersum, donec eliso spiritu suffocetur. Ingens exinde lamentatio matris Alexandræ, & sororis Mariamnes totámque per urbem Solymæam mœror; maximis enim spebus impleverat omnes, factus ad maxima quæque juvenilis Aristobuli genius, annos prudentiâ supergressus. Herodes, ut erat mille fallaciarum artifex, invidiam à se amoliturus, modis omnibus dat operam, ut ab ea nece planè alienum se fuisse demonstret; oculos in fictas solvit lacrimas: funus effert magnificentissimo apparatu.

Alexandra nihilosecius patrati per generum facinoris certa, & in vindictam intenta, per litteras a-

pud *Cleopatram* Ægypti reginam de Herodis sævitia conqueritur; perficitque, ut Antonius ad ejus criminis ultionem incitetur. Herodes igitur Laodiceam evocatur, de suspicione facinoris se purgaturus. Is tam causſæ suæ diffidens, quàm odia Cleopatræ metuens, abiturus Hierosolymâ, curam regni *Iosepho* patruo committit, & clàm mandat, ut si Antonius gravius aliquid in se statuat, Mariamnem interficiat, veritus, ne ex ea semen generi regio suscitaretur. Quod quia Iosephus ad mulieres [Alexandram & Mariamnem] retulit, reversô mox è Syria Herode, violatum secretum capite luit. Antonius largitionibus corruptus, non modò sceleris Herodem absolvit; sed insuper imperavit Cleopatræ, ut Cælesyriâ contenta, Iudæam ne affectaret; néve Herodem beneficiô à se, senatúque Romano, ei collatô, privatum vellet. Iterum igitur exijt vulpes laqueum.

Post hæc nuntius perfertur, Antonij ad *Actium* cum Cleopatra ab *Octavio Augusto* profligati; Herodes ex ancipiti temporum mutatione pendens, Antonium à fortuna desertum, ipse quoque deserit: se ad amicitiam Octavij applicaturus *Rhodum* proficiscitur, ubi tum Cæsar morabatur. Sed quia scelerum conscientia mordente, timebat incertum profectionis suæ exitum, atrox capit consilium, tollendi omnes, quicunque ex stirpe Davidica superessent. Hyrcanus calumnijs appetitus, quasi regnum ambijsset, neci datur, mitissimi vir ingenij, privatâ vitâ contentus, nullis regni negotijs implicatus, ætate confectus [nã octogesimũ annum excesserat] propinqua affinitate conjunctus, quippe qui nep-

neptem ſuam, ut diximus, Mariamnem Herodi deſponderat, aliquot jam liberorum matrem. Neque ſtetit intra eos limites tyrannis. Alexandra & Mariamne [Salómæ, Herodis ſorori pridem inviſæ] in munitiſſimo caſtro, cui *Alexandrium* nomen, collocantur, commiſſâ cuſtodiâ, *Ioſepho* quæſtori ſuo, & *Sohemo* cuidam ex purpuratis, Ituræo natione; quibus in mandatis dedit, ut, ſi quod nollet, accidiſſe ſibi, cognoſcerent, ambas interficerent, regnúmque Herodianis liberis, ac *Pheroræ* fratri conſervarent.

Quibus mandatîs, Rhodum properat ad Cæſarem; poſito diademate, ad ejus colloquium admittitur: conteſtatur ſuorum in Antonium officiorum conſtantiam: pari ſe fide Cæſaris amicitiam culturum profitetur; addit munera octingentorum talentorum; præter ea, quæ in Cæſaris amicos, & exercitum diſtribuit. Quid multa? reſtituto diademate, in intimam familiaritatem recipitur. quâ ſubnixus, quod reliquum erat ex Hyrcani familia, ambitioni ſuæ immolat, ſceptrúmque Davidicum in alienam gentem jam antè translatum, tenaciùs prehendit. Domum enim reverſus ex itinere Rhodio, cum Mariamnem uxorem, & Alexandram ſocrum, cuſtodiâ liberatas, ſolitò triſtiores reperiſſet (eis enim *Sohemus* ſanguinarium Regis mandatum prodiderat) à matre, & ſorore Salóme novis ſuſpicionibus oneratus, Mariamnem violati tori, & veneni ſibi parati poſtulat; eámque innocentem & indefenſam capitali ſupplicio plecti jubet. Illa necem intrepido non minùs animo, quàm corpore excepit; colore vultûs & venuſtatis decore, ne eo qui-

dem temporis articulo, mutato. Secùs Alexandra fatum ſuum tulit, mulier ut ambitione non intacta, ſic ad ultimam neceſſitatem ſubeundam haud mediocriter perturbata. Sohemo quoque ſecreti manifeſtatio capite ſtetit. Cæterùm Herodem interfectæ uxoris tanta mox miſericordia ſimul & pœnitentia cepit, ut præ doloris ac amoris impotentia, in ejulatus & lamenta effuſus, ſæpe nomen Mariammes inclamaret; eámque, quaſi adhuc viveret, per miniſtros advocari juberet. Deinde ſpecie venationis in ſolitudinem ſeſe abdere, & hominum conſortium, velut immanis bellua, fugere. Manes certè interfectorum ita premebant tyrannum, ut proximus à deſperatione abeſſet. Rurſus tantâ truculentiâ efferebatur, ut quamvis peſtilentia graſſans multa mortalium millia abſumeret, ipſe tamen haud ſatur funerum, ne ab intimis quidem amicis ſanguinarias manus abſtineret. Adeò nova ſemper rabie exardeſcunt, quos ſemel humani ſanguinis ſitis accendit.

Sub hæc amicorum & medicorum conſiliô, ut animum à triſtibus curis abſtraheret, eum ad ludorum & ædificationum cogitationes traduxit. Inter prima opera, fuêre certamina Athletica, quinto quoque anno in honorem Auguſti Cæſaris celebranda: Theatrum exinde & Amphitheatrum Hieroſolymis opere ſumptuoſo exſtructum; ædes præterea regiæ excitatæ, nomen Cæſaris & Agrippæ [qui Cæſari Chariſſimus] præferentes. Fana quoque & urbes, inter quas Cæſaréa, eundem in finem conditæ. Et quia Iudaicam imprimis gentem ſibi devotam volebat, ejus ſibi ſtudia, religionis

onis ſpecie comparanda duxit. Templum igitur inſtaurat, ſpatijs dilatat, porticibus novis exornat, aliísque præclaris operibus Romanorum & Iudæorum benevolentiam : nominis verò Herodiani gloriam & immortalitatem quærit.

Inter hæc iterum in Aula turbatum. *Antipater*, Herodi ex *Doride* natus [plures enim habebat pellices] ut *Alexandrum* & *Ariſtobúlum*, Mariamnæ filios à ſucceſſione regni dimoveat, confictis inſidiarum calumnijs, adeò parentem in eos exacerbat, ut is non dubitaret illos coram Auguſto intentati veneficij accuſare. Cùm verò criminationi argumenta deeſſent idonea, & Iuvenes dudum Auguſto Romæ perſpecti, verbis ſe & lacrimis ejus ſceleris inſontes oſtenderent, omnibus, etiam accuſatore, ad commiſerationem permotis, Cæſar patrem, filiósque in mutuam concordiam, & complexus lacrimis mixtos reduxit, Antipatrô per nefariam ſimulationem utrisque eam reconciliationem gratulante. Sed paullô pòſt iterum erupit perfidus animus. Herodes novis in filios criminationibus circumventus ab Antipatro, eò pertrahitur, ut in eos tanquam parricidas Iudex idem & Accuſator animadverſurus, reliquos etiam adigeret Iudices ad innoxium ſanguinem, inſuper habitâ conteſtatione innocentiæ, condemnandum ; quare *Sebaſten* ducti, ibi parentis iuſſu ſtrangulantur, & in caſtro Alexandrío, ſepulchro inferuntur.

Antipater ſublatis fratribus, gradu ad ſupremam impietatem facto, parenti quoque necem intentat, veneno ad id ex urbe Roma per procuratorem ſuum miſſo, ut ſuſpicio parricidij in abſente ne hæreret

ret. Nec melior filiô mater ejus, Doris, *Pheroram* Herodis fratrem, multorum malorum ciniſonem, ne ambitioſis Antipatri conſilijs obſtaret, infuſô toxicô perdit; quod Salianus ſcribit ad ann. Mundi 4051. Ioſephus naturali morte abſumptum refert. Antipatrum quoque non diutiùs ſcelerum pœnæ ſunt remoratæ. Meditati namque parricidij convictus, in vincula conijcitur; regni ſucceſſioni *Antipas*, filiorum Herodis natu minimus deſtinatur, *Archelaô* & *Philippô*, ob calumnias per Antipatrum ſtructas, præteritîs. Mox iterum mutatis teſtamenti tabulis, Archelaus ſucceſſor regni conſtituitur: Philippo & Antipæ provinciæ aſſignantur. Sed Auguſto Cæſari placuit Iudæam in quatuor partes, ſeu *tetrarchias* dividere. E quibus duas Archelao conceſſit, regium quoque nomen pollicitus, ſi eo dignum ſe redderet. Partes reliquas in duos fratres partitus eſt. Herodi Antipæ Galilæa, regióque Iordanis transamnana, Philippo Trachonitis & Ituræa ceſſit.

Et quia Ambitio tam multa timet, quàm multa ſperat. Herodes ſceptro ſuo periculum etiam abinfantibus formidavit. Intellexerat è tribus regulis, ab Oriente profectis, ipſos ſtella interprete didiciſſe recèns nati Iudæorum Regis ortum, tum enimvero Herodes timore concuti, & omnis cum eo Ieroſolyma turbari. metum augebant divinæ periti Legis, qui ea de re interrogati, reſponderunt in Oraculis eſſe, Bethlemum oppidum venturo Meſſiæ natale fore. Potuit tyrannus, mens niſi læva fuiſſet, pullum in nido cum matre ſua deprehendere, maluit advenas exploratores præmittere, & per eos cer-

certiora cognoscere. At illi astro duce Magni cunabula Regis venerati, elusâ Herodis exspectatione, aliâ, quàm advenerant viâ, patrios lares repetierunt. Nunquam aliàs ita furor efferbuit. Mox clamabatur ad arma, expediuntur milites, veriùs carnifices, ætati lactenti bellum indicitur. Pendentes ab uberibus matrum parvuli ad quatuordecim millia crudeli ferro perimuntur. nec tamen in tanto numero is invenitur, propter quem cædebantur. Macrobius auctor est, ejus rei famâ Romam perlatâ, Augustum dixisse: *malle se Herodis porcum, quàm filium esse*; [neque enim suomet sanguini pepercit] à porcorum namque religionis prætextu abstinebatur, non item à cæde hominum.

Et parùm fuit lupo teneros in artus grassari, nisi sanguinariam gulam nobiliore cervice exsatiaret. Infandum dictu! Desperata valetudine, Ierichuntem se contulit, eóque minacibus edictis omnem Iudæorum nobilitatem convocavit; præsentes Circo Amphitheatrali inclusit; deinde accersitis ad se sorori Salómæ; ejúsque marito *Alexæ* in supremis mandatis dedit, totam ut gentem, ne sine luctu publico efferretur, in lacrymas darent, omnibus illis, quos Circo tanquam cassibus sepserat, telorum imbre confixîs, eô temporis articulô, quô è vivis ipse excessisset. Violentas deinde manus sibi admoventi, [quid enim aliud supererat homini, Superis hominibúsque exosissimo?] cum excuteretur culter ab *Achiabo*, ex sorore nepote; Antipater in vinculis eo tumultu excitatus, necémque ratus esse paratam, egit cum carceris custode, ut dimitteretur.

Re

Read Herodem delata, ſubmiſſus eſt ſatelles, qui hominem ſine morâ de medio tolleret, præcocis ambitionis pœnas daturum.

Hoc ad inferos præmiſsô, mox inſecutus eſt paricidam paricida; nam quinta poſt infanticidium patratum die [ut vult Cornel. in cap. 27. Eccli.] aut anno Chriſti octavo, juxta Baronium. Aut potiùs anno Chr. primo, eodem ſcilicet, quô Infantes interfecti (uti cum multis ſentit Salianus) ſceleroſam efflavit animam; poſtquam febri, tuſſi, dyſenteriâ, podagrâ, bulimô, ſeu caninâ appetentiâ, phthiriaſi ſive morbo pediculari, putredine verendorum, aſthmate, & fœtore diu cruciatus, ut fuit flagitiorum, ita morborum teterrimorum theatrum factus eſt, & interitu funeſtiſſimo comprobavit dictum Siracidis: *Laqueo peribunt, qui oblectantur caſu juſtorum: dolor autem conſumet illos, priusquam moriantur.* Eccli. 27.

Cæterùm *Salome* & *Alexas* haud immeritô veriti, ne demandata crudelitas in ſuamet capita verteret, clauſos in Circo Iudæorum proceres, antequam Regis mors innoteſceret, domum ſuam quemque dimiſerunt. Recitatæ dehinc ad milites teſtamenti tabulæ, quibus Archelaus ſucceſſor inſtitutus, omnium acclamationem & applauſum habuerunt. Funus regio more curatum eſt, & monumento [quod ipſe ſibi in Herodio caſtro ſplendidum exſtruxerat] illatum, animâ jam tum in tartareis rogis meritiſſimas pœnas luente. Vir erat artium Politicarum peritiſſimus, quibus privati ſortem mutaverat regiâ; pravè tamen ijs uſus, ſuorum cruore totus imbuit; immanitatis & libidinis prodigium, ut qui,

teste Iosepho apud *Baron. in ann. Ch. 8.* effrænata libidine virgines constupraret,& thoros alieni conjugij sæpius,vi adhibita, violaret ac fœdaret. Nullúmque tam magnum scelus, tam magnum facinus reperiri potuit, adquod vel illecebris voluptatis, vel impetu furoris ac crudelitatis non impelleretur.

Archelaus, digna parente soboles, nonô post initum Principatum annô, dominationis tyrannicæ à Iudæis apud Augustum C. postulatus, condemnatusque, in exilium Viennam, urbem Galliæ relegatur; pecunia fisco addicitur regio; urbibus Syriæ, à Romanis subjugatæ, & in provinciam redactæ, attribuitur, anno Christi decimo sexto. Procurator ejus seu Præses, Româ submissus est *Valerius Gratus*; cui post undecimum annum in eo magistratu exactum, successit anno Ch 28. *Pontius Pilatus*, qui JESUM, humani generis Servatorem iniquissima morte condemnavit. Ipse verò de munerum corruptelis, rapinis, injurijs & cædibus innocentum, apud C. Caligulam Cæsarem accusatus, deportatur in Galliam, Viennæque perpetuo exilio inclusus, impatientiâ malorum, sibi necem conscivit, anno Chr. 41. Philippus & Antipas, Archelai fratres, in suæ ditionis seu tetrarchiæ dominatu perseverare permissi. Uterque mali corvi, malum ovum. Antipas Philippi fratris uxorem incesto thalamo polluit, & Ioannem Baptistam conjecit in vincula, quòd nefariam consuetudinem liberiùs arguisset; cujus abscissum caput Herodiadi filiæ in Saltationis præmium cessit. S. Hieronymus tradit, Herodiadem insultâsse præciso Ioannis capiti, atque acu discriminali sanctissimam illam linguam perforâsse;

râsse; Ut Fulvia quondam Antonij Triumviri uxor in disertissimam Ciceronis linguam sævijt. Ipsa saltatricula brevî pòst pœnas solvit, quando adstrictas gelu aquas transiens, rupta sub pedibus impijs glacie, abscindendum crustis caput dedit, etiam tunc portentosùm in modum subsiliens, & choreas, quibus viva assueverat, mortua continuans. Ab eodem Antipa Christus, Æterna Sapientia, morionis instar & amentis, ludibrijs exagitatus est; Non impunè. Nam ad Cajum Caligulam delatus, quòd cum *Sejano* in *Tiberium* conspirâsset, & invocatis *Artabani*, Regis Parthorum armis, defectionem molitus esset; perpetuò exulatum, Lugdunum mittitur, anno Ch. 40. qui inde fugitans in Hispaniam unà cum Herodiade, incesta conjuge tandem perijt, mœrore consumptus. Ejus tetrarchia Herodi *Agrippæ*, Infanticidæ Herodis, ex Aristobulo filio, nepoti conceditur; mox etiam Iudaicum regnum à Cajo jam antè collatum, à Tiberio Claudio Druso Imp. confirmatur & augetur. Memorabile est, quod de ferrea illius, aureáque catena à Iosepho scribitur. Nam Romæ dum esset, quod inconsultè nimis Tiberio Imp. mortem, imperium verò C. Caligulæ precatus fuisset, quem ejusdem Tiberij jussu, quasi morum moderator sectabatur, addictus est carceri, vinctúsque mansit ad usque Tiberij mortem. Cui suffectus Cajus, Agrippam non modò vinculis solvit, sed statim in regnum avitum restituit, donatum priùs aurea catenâ, ejusdem omnino ponderis cum ferrea, quàm Tiberius injecerat, eique Herodis Antipæ tetrarchiam adjunxit. Eam catenam monumentum utriusque fortunæ Agrippa fus-

suspendit in templo Hierosolymitano, ut doceret, altissima quæque facilè prolabi, rursusque inclinata restitui posse. Is Iacobum [cognomento Majorem, Ioannis Apostoli fratrem] Ierosolymis capite minuit Anno Ch. 44. Actor. 12. Idem perfecturus in Petro, nisi in capite servâsset Ecclesiam Christus, ipsumque ruptis vinculis è carcere per Angelum eduxisset. Actor. cap. cit. Viri hujus superbia, cujus administra sævities (nam occisô Iacobô, *videns, quia placeret Iudæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum.* loc. cit.) geminis, & miris exemplis est castigata. Nam cùm Româ redux à Cajo Cæsare honoribus & favoribus auctus, Iudæam navigando repeteret, Alexandriæ exscendit; ibi cum ejus satellitium, argenteis clypeis, & inauratis armis nitidum, omnium oculos in se converteret; Alexandrini (quippe Ægyptij, quorum inveterata cum Iudæis simultas) invidia tanti splendoris ducti, publicè convitijs eum & contumelijs incesserunt. nam præter maledicentiam & dicteria passim jactata, homo quidam emoti cerebri [Carrabas appellabatur] in ludibrium Agrippæ, Rex extemporalis esse jussus; pro diademate papyraceum involucrum, pro paludamento stoream, pro sceptro fragmentum arundinis gestavit. Diceres illusi personam Christi, & ultionem, in novissimo hoc Iudæorum Rege fuisse repetitam; nam & nomen *Carrabæ* vicinum *Barrabæ*, & rerum utrinque gestarum convenientia est. *Baronius ex Philone ad annum Ch.* 40. Ad ignominiam verò Agrippæ, etiam exitium accessit; quando Cæsareæ [olim turris Stratonis vocabatur] solennes ludos pro salute Caij Imperatoris celebraturus, in the-

atrum proceſſit, veſte argentea, ſceptro, coronâ radians, & omnibus ſpectantibus [ingens multitudo nobilium & Procerum convenerat] majorem homine mortali, ſuî venerationem incutiens, Deus à populo conſalutabatur; útque propitium eſſet Numen invocantibus, per ſummam adulationem rogabatur. Ille vocibus aſſentantium delectatus, tantò celeriorem ſenſit vindicis DEI manum, quantò ſimiliorem ſe DEO putabat, aut credi volebat. Nam fortè ſuſpiciens, vidit bubonem funi extento inſidentem [*Ioſephus antiq. lib. 19. cap. 7.*] agnitóque calamitatis nuntiô, repentè conflictatus dolore acerrimo, ac putreſcente in vermes corpore, infelicem ſpiritum in orcum emiſit. Anno Ch. 46. Actor. cap. 12. Atque eô hunc in modum miſerrimè extinctô, permiſſum diadema ab Imp. Claudio, ejus filio *Agrippæ* [cognomine *Iuniori*] qui cum ſorore *Bernice*, ſeu *Berenice* [quam velut uxorem circumducebat] *Paulum* audivit Cæſareæ, eloquentia cæleſti perorantem. Actor. 25. & 26. A Iudæis deinde contra Romanos tumultuantibus, primò Hieroſolymâ, non ſine contumelijs & lapidum inſectatione; mox toto regnô pulſus, Romam profugit, ibíque reliquum vitæ privatus exegit, ſceptrô Iudaico Romanos in faſces plenè translatô [anno Ch. 68.] non multò pòſt [anno Ch. 72.] Ieroſolymam, & omnem Iudæorum gentem exciſuros. Varia ex his diſces Lector, hoc præ reliquis, ut ne dubites, DEI Vindicem oculum, in mortalium crimina vigilare, neque velis invidere improborum felicitati.

NAR.

NARRATIO CXVII.

ET ULTIMA

EXCIDIUM HIEROSOLYMITANUM PER TITUM IMP. R.

Anno Ch. 72. Neronis 12. & 13. Vespasian; Imp. 1.

Ex Josepho lib. 7. de bello Iudaico, & Baronio ad annum Christi 68. 69. 72. 73.

NUllis sat tuta firmamentîs urbs illa est, quàm inexorabilis DEI vindicis ira premit. In Exordio Narrationum nostrarum bellum memoravimus, quod excitatum in cœlo, cives illius Jerosolymæ cœlestis ita inter se collisit, ut innumerabilis eorum multitudo, qui contra DEUM insurrexêre, sit è sedibus ætherijs pulsa, & in imum Tartarum deturbata. Par igitur est, ut quemadmodum è *Carceribus* procurrimus, ita *Metam* contingamus. Quare coronidem huic nostræ scriptioni imponet strages omnium (de quibus ulla historia meminit) luctuosissima, Solymææ Urbis Excisio. Quæ tanta fuit, ut ipsi DEO, ejus cladis prænuntiatori, lacrymas excusserit. Accessit altera causa, cur Narrationibus è veteri divinorum Voluminum historiâ conscriptis, Solymæum excidium annecteremus. Visum est enim, ut, qui Hebræorum res gestas, & utramque fortunam hactenus compendiô prosecuti sumus, eorum toties rebellem DEO con-

tumaciam ad exitum, & promeritas pœnas deduceremus; quas si unquam aliàs, tum enimverò novissimas in devastatione Hierosolymitana dederunt.

Ad vindictam cùm Ira Divina procedit, lento plerumque passu graditur; & minatur, antequam feriat. Meruerat Ierosolyma ob IESUM, æternum DEI Filium occisum, ut Sodomæ, Gomorrhæque in morem, effusis è cœlo picis & sulphuris nimbis obrueretur. Sed Iustissimum Numen de impijs, qui sacrilegas in salutis humanæ Assertorem manus injecêre, Romanorum manibus pœnas voluit sumere, & insanas illas voces: *NON HABEMUS REGEM, NISI CÆSAREM*, Cæsareo milite plectere. Utque tarditate supplicij spatium daret pœnitentiæ, prodigia velut prodromos, & monitores imminentis exitij præmisit. Poterat ictum exire, quicunque vel oculos ad ea signa: vel aures ad eas voces advertere voluisset.

Principium ostentorum fuit, Cometes terribili comarum luce fulgurans, & integrum annum, minacis instar gladij, fatalem urbi mucronem intentans. Successit alterum. Prima Azymorum, seu Paschatis die, noctu circa templum, tantùm effulsit lumen, ut dimidiæ horæ spatio claritatem solis referret. Eádemque festâ die cùm bos immolanda duceretur, agnum in medio templi peperit. Orientalis quoque porta ænea templi interioris, quæ vix à viginti viris claudi poterat, visa est sub concubiam noctem ultrò patescere. Conspecti deinde per cœlum currus ferri, & acies armatæ concurrere. Ipsáque die Pentecostes noctu Sacerdotes templum ad rem divinam peragendam ingressi, allapsam cum in-

ingenti strepitu vocem (Angelorum haud dubiè custodum) perceperunt: quæ diceret: *Migremus hinc.* Homo præterea quidam plebejus & rusticus, cui IESUS nomen, per annos septem, & totidem menses circumcursans urbem, perpetuò ingeminabat: *Væ, Væ Ierosolymis!* idque etiam cùm à magistratu acriter cœderetur virgis, qui ad diem usque, quô urbs obsideri cœpit, supra mœnia circumiens, cùm tandem clamâsset: *Væ etiam mihi!* missus à Romanis tormentô lapis, eum peremit.

Calamitatis suæ caussa, quemadmodum diximus, Judæi fuerunt, Servatorem Mundi dirissimis cruciatibus & ignominijs interficiendo. Initium malis dederunt anno Chr. 68. quando pertæsi Romanorum jugi, dudum gravioris, quàm pati vel possent, aut vellent; multis eorum trucidatis, palàm defecerunt. *Cestius*, qui tum Prætor Syriam administrabat, accurrit è vicino, cum exercitu ad flammam restinguendam; obsidet Jerosolymam. sed irrito conatu; recessit inde non sine multorum militum jactura. Id nimirum DEus ordinaverat, tum, ne qui Jerosolymis versabantur Christiani, pari pœna afficerentur cum impijs, sed tempestivè cladi se subducerent. (& constat eos ab oraculo prænonitos, salutem ultra Iordanem quæsijsse.) tum ut Iudæi longè sæviora meriti, dignis scelerum pœnis torquerentur.

Nero Imperator Romanus, cognitô Cestium ab obsidio Solymæo rejectum, *Vespasiano* multarum palmarum belli duci [qui tum cum Imperatore in provinciam Achaiam comes iverat] dat in mandatis, ut valido cum exercitu in Palæstinam moveat. Is dicto

cto obaudiens, Galilæam, provinciam Iudææ bellicosissimam invadit, domátque : Iudæorum plusquam centum millibus occisis ; quadraginta millibus in captivitatem aut abductis, aut venditis. Quo tempore in expugnatione *Iosapathæ* civitatis, captus est Flavius Iosephus, militaris Iudæorum præfectus, Antiquitatum & belli Iudaici scriptor.

Supplicium peccati meritò apud Galilæos cæpit; quippe quos maximà reos obstinatio fecit; nam primi omnium DEI hominis cœlestem eloquentiam, prodigiosis factis confirmatam, audierunt, auditámque rejecerunt. Hîc igitur exortus belli turbo, deinceps alia atque alia concussit, dejecítque. Terror ingens ex Galilæa clade ; & omnibus è locis in urbem Hierosolymam fuga. Recepta, intra mœnia, hominum magis colluvies, quàm urbis præsidium, annonam consumpsit, non hostem. Maxima pestis intra viscera, *Zelotæ* fuêre, qui quò speciosiore titulo divinæ legis observantiam præferebant, hòc impotentiùs in vulgus dominabantur. Seditio erat, non religio. Nam insurgentes in *Ananum*, summum & legitimum sacrorum Iudaicorum Præsidem, ipsi sibi in Pontificem delegerunt hominem quendam, *Phanum* nomine, aratris magis admovendum, quàm aris. Hinc Hierosolyma in duas partes discissa, aliis *Ananum*, alijs *Phanum* sequentibus, tantò infirmiùs externis hostibus obstitit, quantò debilio rex intestino veneno fuit.

Annus agebatur à Christo nato septuagesimus secundus, quô annô, [post Neronem Galbam, Othonem Vitellium] *Vespasianus* delatum à militibus Orbis imperium, ut cunctanter suscepit, ita fortiter gessit.

gessit. Qui dum nutantem, & factionibus discerptam Rempublicam in Italia magnis animis sustinet, *Titum* filium in Iudæum mittit ad absolvendum, quod reliquum erat belli. Iudæi verò, cùm putarent Cæsarem bellis civilibus intentum, curas externi belli posuisse, securi *Patriæ, & Legis* suæ, Paschalia solemnia magno peregrinorum confluxu peragebant. Cùm repentè apparens Titus, castra posuit in Oliveti monte, unde Christus olim respiciens urbem, lacrimas, malorum imminentium indices fudit. Communis periculum mali factiosos conjunxit; vires & arma, simul in Romanos verterunt; nec citra hostium cladem. Sed rursum incalescentibus intus dissidijs, seditiosi cives inter se commissi sunt; *Zelotæ* ad unum omnes, qui in templum, tanquam in munimentum se receperant, interfecti, crudelitatis suæ pœnas solverunt; nam præter ingentem stragem civium atque Sacerdotum factam, ipsius quoque *Anani* summi Pontificis sanguine manus contaminavêre, corporáque insepulta abjecêre. Et quia summâ turbatâ, partes ubique lababant; desperatæ facies urbis, vilissimo cuique licentiam faciebat in alios grassandi; Idumæis maximè sicarijs, [quos Ioannes quidam homo factiosissimus, & tyrannidis affectator, tanquam patriæ libertatis propugnatores in urbem introduxerat] cædibus & rapinis cuncta misentibus. Unde factum, ut divinis pariter ac humanis procultatîs, nec intra civitatem manere, nec foras egredi tutum esset.

Inter hæc Titus admotis ad urbem machinis, triplicem murum, quô Ierosolyma cingebatur, ex-

pugnavit. Cúmque jam ante obsidionem, domesticis, uti memoravi, seditionibus cellæ; quibus ad plures annos frumentum servabatur, essent incendiô absumptæ; ideóque fames complures cogeret urbe excedere, & ultro se in discrimen dare, Titus ad terrorem oppidanorum, jussit ante eorum oculos suffigi crucibus, quotquot interceperat; tantô numerô, spatium ut crucibus, corporibus cruces deessent. Nec dubitandum, multos ex illis patibularijs fuisse, aut ipsorum certè filios, qui ferale illud: CRUCIFIGE, CRUCIFIGE contra Christum ingeminabant.

Cæterùm Titus, ut omnia incolis arctiora redderet, undique occlusit exitum, aggeribus quinis contra urbem exstructis. Quos cùm eruptione facta, dejecissent obsessi, Titus incredibili celeritate murum triginta novem stadiorum, tredecim distinctum castellis, tridui non ampliùs spatiô, urbi circumduxit. Et quia rumor increbuerat, eos, qui ab urbe profugerent, gestare aurum in visceribus abditum, Syri & Arabes, raptô vivere assueti, qui Romanis sub Aquilis militabant, una nocte ad duo millia occiderunt, visceráque fœdè scrutati sunt; mox tamen immane facinus cohibente Tito. Interim fames adeò Ierosolymam infestabat, ut calceamenta, cingula, scutorum coria, & quod fœdum dictu fimus etiam, ac humanæ carnes in cibum verterentur. Constat, matronam quandam, nobili genere ortam, *Mariam* nomine, facultatibus, quas amplas possederat, per seditiosos cives eversam, supremæ necessitatis remedium petiisse é corpusculo lactentis filij, sua manu jugulati. Ut jam vi-

de-

derentur adveniſſe dies, à Domino, cùm ad crucem duceretur, prædicti, quando beatas prædicabat ſteriles; & matres jubebat, in ſuaſmet calamitates refundere lacrimas. Joſephus hæc mala deplorans, ſcribit, Judaicum populum à DEO rejectum & repulſum, omni ſalutis præcluſâ viâ, præcipitem in interitum juxta ſcelerum ſuorum promerita, datum. & ſi Romani contra noxios venire tardâſſent, civitatem aut terræ hiatu abſorbendam, aut diluvio mergendam, aut Sodomæ incendijs exurendam fuiſſe.

Et quia numinis ira ſceleſtos urgebat, Tito ſæpius ad honeſtam deditionem invitanti, obſtinatô ſemper animô reſponderunt, ultima priùs paſſuros, quàm Romanis ſe dedituros. Addebant eam ferociam quidam è tyrannis, intra urbem dominantibus; & falſorum præterea mendacia vatum, certum è cœlo auxilium pollicitantium. Titus igitur conteſtatur DEUM, hominésque ſe ad urbis & templi excidium invitum compelli; nam mortalitatis vires jam tum miſeratus eſt, cùm urbis circumiens muros, aſpexit foſſas cadaveribus, & ſanie tabefactis è corporibus manante plenas. Ante alias capta turris Antonia [quod ei nomen Herodes in gratiam M. Antonij Rom. Trium viri fecit] templo vicina. Acerrimè dimicatum eſt in eo loco; Iudæis pro ſacris ſuis, omni virium contentione propugnantibus; Romanis pro præda & gloria pertinaciſſimè, quidquid roboris erat, in eam expugnationem conferentibus; cùm ecce miles quidam Romanæ militiæ gregarius, non exſpectatô cujusquam mandatô [quin contra edictum Titi, jubentis temperari

ab excidio templi] divino quodam motus impetu [ut Josephus loquitur] ignem in Sacram Basilicam injicit; cujus flamma mox invalescens, nulla valuit vel Imperatoris diligentiâ, vel ope humana restingui. Conflagravit augustissima structura, postquam à Conditore suo Salomone stetit annis mille, centum, triginta, mensibus septem, diebus quindecim. Et à tempore Cyri posterioris [cujus indulgentiâ ac munificentiâ resurrexit è busto Babylonij tyranni] annis sexcentis, triginta novem, & quadraginta quinque diebus. Cùm interea Romæ [ô rerum humanarum vices contrarias!] Capitolium bello civili nuper concrematum, sumptuosissimè restitueretur, & magnificum Jovi delubrum in eo dedicaretur. Cum templo perierunt Sacerdotes, qui ruderibus & latebris extracti, cùm vix tandem se dederent Tito, ejus jussu neci sunt dati. Et ne ulla facies calamitatis abesset, quidquid non dejecit ignis, profanavit miles Romanus, nam & signa militaria sunt illic posita; & sacrificia idolis patrata, cum faustis acclamationibus, Titum Imperatorem salutantium.

Incensô templô, etiam urbis inflammandæ potestas militi facta est. Primò quidem pars urbis superior, quæ *Sion* dicta, longè munitissima; deinde urbs reliqua, cum omnibus vasis sacris, & Pontificum ornamentis, clàm asservatis, in manus hostium venit. In ea pervastatione, qui se Romanis suppliciter permiserunt, in ambitu templi concluſi, antequam decerneretur, quid de ijs agendum esset, ad duodecim millia fame consumpti sunt.

Pæne

Pæne finem excedit, quod Josephus de mortuorum & captivorum numero tradit; dum scribit, captos toto belli tempore nonagies septies mille; ferro, fame, peste, peremptos, undecies centena millia; convenisse Ierosolymam ad festum Pachatis diem vicies centena, & septingenta millia; præter eos, quos ob aliquam impuritatem aut maculam, Lex à Sacris arcebat, quorum utique multitudo ingens fuerit. Addítque, tunc velut in carcerem totam gentem fatô [imò, à DEO] fuisse conclusam, & vindici Romanorum gladio traditam. Eorum qui morti erepti sunt, alij ad opera missi sunt in Ægyptum; alij, quos corporis forma commendabat, triumpho servati; plurimi de robustioribus delecti, qui per provincias cum bestijs pugnarent in theatris. Qui verò ætatem agebant intra annum decimum septimum, unà cum fœminis, vilissimô pretiô sunt venditi, quod & deessent, qui emerent; & anona, quæ aleret.

Postquam crudelitas non reperit ampliùs, quos occideret: aut avaritia, quod raperet; Titus totam funditus urbem, cum templo evertit, relictis duntaxat aliqua muri parte, in quo præsidium collocaret: & tribus turribus, cæterarum fastigium excedentibus, ut scirent posteri, quid Romana virtus expugnâsset. Reliqua solo æquata, ut ne vestigium quidem supereſſet, illic aliquando homines coluisse.

Subactis, & excisis hunc in modum Iudæis, imperatum est, ut didrachum pro tributo quotannis templo inferri solitum, deinceps Jovi Capitolino penderent. Hoc pretium & merces impietatis fuit,

it, latronem præ Messia, cacodæmonem præ DEO, jam tum eligentis, cùm JESUM in ridicula purpura, & vulneribus consciſſum in prætoriana pergula ſtantem ſpectavit, & damnavit.

Secuta Iudæorum ſervitus, juxta Danielis vaticinium c. 9. nunquam deſitura. Exuti templo, ſacrificijs, civitate, errabundi extorres, exules, vagantur per orbem [ut olim Cain, fratris occiſi manibus agitatus] nuſpiam domi, ubique contemptui ludibrium & Sanna gentium; à militiâ, magiſtratibus, aliſque publicis officijs apud omnes nationes repulſi, perpetuæ notam infamiæ in fœtenti corpore circumferentes. Solebant verò miſeri, uſque ad Hieronymi tempora [mulierculæ præſertim decrepitæ, & ſenes pannis obſiti, corporibus & habituram DEI demonſtrantes] anniverſariâ Hieroſolymæ exciſæ luce, eum in locum confluere, & perſolutô militibus pretiô, deflendæ patriæ permiſſionem emere. *Hieronymi* verba ſunt *in Sophon. c. 1.* Uſque ad præſentem diem perfidi coloni, poſt interfectionem ſervorum, & ad extremum Filij DEI, excepto planctu, prohibentur ingredi Hieruſalem: & ut ruinam ſuæ eis flere civitatis liceat, pretio redimunt; ut, qui quondam emerant ſanguinem Chriſti, emant lacrimas ſuas. Conati ſunt quidem circa annum Domini 363. favente Juliano Cæſare Apoſtatâ, Templum inſtaurare, ſed flammeis globis è fundamentis, erumpentibus, & fabrilia inſtrumenta abſumentibus, rubriſque crucibus in operarum veſte fulgentibus, coacti ſunt à cœptis deſiſtere, & vel inviti trophæum crucis Chriſti circumferre.

Titus

Titus porrò rebus magnificè gestis, tantùm abfuit ut animum de tanta victoria extolleret, ut etiam oblatas à finitimis gentibus coronas recusaret, eo se honore indignum respondens: ut qui sciret, non se talium operum autorem, sed DEI iracundiam fuisse, cui manus ipse suas accommodâsset. Triumphum tamen Romæ nobilissimum egit cum Vespasiano parente, traductis in pompa Iudæorum manubijs, & sacris spolijs; ac Ioanne & Simone Iudaicarum factionum ducibus, cum septingentis viris electis, robore & corporis dignitate præstantibus. Eusebius auctor est, Vespasianum post Solymæam devastationem mandâsse conquiri omnes, qui ex Davidis genere prognati essent. intellexerat enim è Vatibus, ex ea progenie Regem exiturum, cujus imperium nullo fine terminaretur. Quam prædictionem quoniam Iosephi [hujus historiæ Scriptoris, qui sibi â Flavio Vespasiano prænomen sumpsit] & aliorum assentatio in Cæsarem contulerat, inflatus est is animô, ad eam æternitatem familiæ suæ arrogandam. Adeò tumens felicitas columnas in arena sibi statuit, & votorum indulgentiâ, nubibus arces inædificat; sed quæ difflantur, eo, qui naturæ debetur ultimus, spiritu. Habet hoc adulationis genius; in spes & iras grandes, impellit principum etiam bonorum indolem. Certè Vespasiani, quas in aditu, Imperij modestia collegit laudes, ad extremum Ambitio effudit. Felicior Titus Filius, qui ob insitam benignitatem & morum facilitatem, humani generis *Delicium* audijt; recordatus aliquando super cœnam, quòd eum diem beneficio cui-

quam

quam præstitô vacuum transmisſiſſet, ingemuit, & memorandam illam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.*

Judæi, quia vitæ Auctorem neci dederunt, non diem tantùm, ſed annos, ætates, æternitatem perdiderunt, *eò quòd non recognoverint tempus Viſitationis ſuæ*, id quod Chriſtus Luc. 19. eis dolenter exprobrat. Poterant illi præcavere jacula, quia prævisa, & ab illo prædicta, qui non tam verbis, quàm factis mirabilibus, & omnem humanam virtutem ſuperantibus, fidem ſibi conciliare debuit. Sed ô quoties nos DEus viſitat, & adventûs ſui prænuntios morbos, angores, anguſtias, contemptus, moleſtias, afflictationes, obtrectationes, calumnias, calamitates publicas, privatásque, bella, famem, peſtem, inundationes, naufragia, incendia, & omnium malorum cumulum præmittit! nos tamen cæciores talpâ, ſurdiores littore, cervice intractabili, & Iudæorum in morem induratâ, miſericordiam DEI repellimus, Viſitationem ejus non agnoſcimus, atque in voluntarium exitium, ſcelerum ſuper nos incumbentium pondere degravati præcipitamur: O ter quatérque felices, qui juxta monitum regij Prophetæ, *ſi vocem DEI audierint, non obdurant corda ſua*, pſal. 94. qui parati ſunt Viſitantem excipere, & rigidum Iuſtitiæ gladium tempeſtivis lacrimis emollire. Infeliciſſimi! quibus Vindex mucro ſuperveniet improviſus, & ſub unum temporis punctum ſentire coget, quod æternùm ſentient. Habent, quòd ſibi timeant urbes, regna, provinciæ, & ſinguli quique hõines, flagitijs excæcati, & exſurdati. Quod Chriſtus minitatus eſt Iudæis id õnibus Iudæorũ ſimilibus interminí-

terminatur. *Quia si cognovisses & tu, & quidē in hac die tuā, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te & filios tuos, qui in te sunt: Et non relinquent in te lapidē super lapidē, eò quòd nō cognoveris tempus visitationis tuæ.* Luc. 19. Ierosolyma, civitas illa sancta, Civitas visionis & pacis, sedes Davidis ac successorum regum, Patriarcharum & Prophetarum patria, legis divinæ Sacrarium, Religionis propugnaculum, electi DEO populi habitaculum, ocellus Palæstinæ, decus universæ terræ, domina gentium, felicitatis & gloriæ domicilium, sacratissimi templi sinus, ipsius DEI regia, in lapidum redacta est cumulum & miserabile bustum. Paria formida, quisquis paria peccas. *Dies pacis* est tempus vitæ, misericordiæ, gratiæ; quam diem si sceleribus fœdaveris, veniet *dies ultionis* & *iræ*; Præcessit Visitatio Clementiæ, succedet Justitiæ. *In tempore illo* [DEus apud Sophoniam minatur c. 1.] *Scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Pessimè perijt, quem Visitator hic in sceleribus immersum & defixum invenerit. Seri gemitus, cùm lapis ruet super lapidem, quando solventur compages corporis, *& conteretur hydria super fontem* Eccl. 12. cùm peccatorem doloribus circumdatum, & circumvallatum coangustabunt undique scelerum furiæ, conscientiæ terrores, minæ, tormenta. Parùm est Christianum fuisse, nisi Christianè vixeris, Sic jam olim Hæbræi apud Ieremiam cap. 7. securitatem à Chaldæo hoste falsò sibi promittebant, eâ solâ spe freti, quòd apud ipsos sacerrimum DEI templum

esset.

esset. Hinc præfidenter ingeminabant sæpiùs illud: *Templum Domini, Templum Domini est*: Sed quid DEus? *Nolite confidere in verbis mendacij: Quoniam si benè direxeritis vias vestras, & studia vestra; habitabo vobiscum in loco isto.* Hoc quilibet sibi dictum putet, ac *cum metu & tremore salutem suam operetur.* Philipp. 2. *dum tempus est acceptabile, dum dies sunt salutis.* 2. Corinth. 6. sed prô dolor! multis accidit, quod Hannibali quondam, Pœnorum Duci, qui post Cannensem victoriam, neglectâ capiendæ Romæ occasione, cùm rediens ad obsidionem, repelleretur imbrium ac ventorum violentiâ, dixisse fertur: *Cùm potui, nolui; cùm volui, non potui.*

Atque hîc finis esto Narrationum, è Testam. V. historia selectarum: in quibus vitiorum omnium & virtutum exempla proposita habemus. Labori nostro pretium is fecerit maximum, qui melioribus ductus, pejoribus declinatis, vestigia legerit præcedentium *in via mandatorum DEI* psal. 118.

Ad DEI ter Opt. Max. Gloriam, & Legentium emolumentum.

Omnia hæc S. Ecclesiæ judicio subjecta sunto.



INDEX

INDEX NARRATIONUM.

I. CReatio Mundi seu Cosmopœia. p. 1.
II. Defectio Angelorum. 6.
III. Lapsus protoplastorum. 12.
IV Cædes Abelis. 19.
V. Caini interitus. 21.
VI. Cataclysmus seu Diluv. orbis terrarum. 24
VII. Maledictio Chami, & Chanaanis. 29
VIII. Confusio Turris Babylonicæ. 32
IX Abrahami migratio in Chananitidem. 35
X. Hospitalitas Abrahami; liberatio Loti. 41
XI. Sodomæ & Sociarũ urbium deflagratio. 44
XII. Abrahamus Ismaëlẽ gignit ex ancil. &c 48
XIII. Nuptiæ Isaaci cum Rebecca. 54
XIV. Esau primigeniti jus perdit. 57
XV. Profectio Jacobi in Mesopotamiã. &c. 61
XVI. Jacobus auctus liberis & opibus. &c. 65
XVII Dinæ violatio, & inde consecuta. &c. 69
XVIII. Varia Josephi Patriarchæ fortuna. 72
XIX. Eadem historia fusiùs exposita. 75
XX. Exercitatio patientis Jobi. 88
XXI. Probatio Iobi in ærumnis. 91
XXII. Mosis ortus & legatio. 97
XXIII Decem plagæ Ægypti. 102
XXIV. Pharaonis submersio. 107

XXV. Israëlitarum profectio per deserta 111
XXVI. Legislatio Dec. adorat. vituli aur. 115
XXVII Exploratio Chanäitidis imbell. &c. 122
XXVIII. Seditio & interit⁹ Coræ, ac sociorũ. 126
XXIX. Nova seditio. petra fundẽs aquas &c. 133
XXX. Asina Baalami arioli loquens, &c. 136
XXXI. Hebræorum cum Madianiticis fem. libido. 139
XXXII. Zelus Phineæ; internecio Madiäit. 142
XXXIII. Rahabæ fides in Hebræos & præmium. 146
XXXIV. Sicc⁹ Israëlit. per Jordanẽ transit⁹. 150
XXXV. Mira Ierichuntis urbis eversio. 152
XXXVI. Achánis sacrilegi lapidatio. 157
XXXVII. Urbs Haia ab Hebræis excisa. 159
XXXVIII. Gabaonit. dolus in fœdere impetrando &c. 161
XXXIX. Pluriũ Chääit. regũ extirpatio. &c. 164
XL. Adonibezeci tyrannis &c. 169
XLI. Aadus Prætor Iudæorum, & assertor. 173
XLII. Sangar Hebræorum Iudex seu Præt. 177
XLIII. Sisaræ Chäanæi Ducis fatalis haust⁹. 179
XLIV. Prodigiosa Gedeonis victoria. 183
XLV. Abimilechi, Gedeõis filij. crudelitas. 190
XLVI. Ruthæ Moabitis felices nuptiæ. 195
XLVII Iephtes filiam sacrificat. &c. 199
XLVIII. Samsonis mira facinora. 204
XLIX. Samsonis captivitas. 210

L. Samsonis Decora 213
LI Clades Helis Pontificis, ejúsque filiorũ. 217
LII. Samuelis ortus, educatio, gesta, 221
LIII. Saulis in regem Hebræorum electio 227
LIV. Saulis à DEO reprobatio & exitium. 232
LV. Davidis cum Goliatho duellum. 243
LVI. Maleficia Saulis in Davidem. 247
LVII. Davidis beneficia in Saulem. 252
LVIII. Jonathæ ac Davidis amicitia. 257
LIX. Abigailis prudentia Davidem placat. 262
LX. Abneris, Ducis bellici, gesta & funus. 266
LXI. Isbosethi, Saulis filij, interfectio. 273
LXII. David intẽperantiã sitis triumphat. 276
LXIII. Davidis religio in Arca fœderis Hierosolymam revehenda. 278
LXIV. Hãonis Amonitarũm regis perfidia 282
LXV. Davidis in crimina prolapsio. 285
LXVI. Davidis pœnitentia. 289
LXVII. Amnonis incestus, & cædes. Absalonis exilium & revocatio. 293
LXVIII. Absalonis in parentem rebellio; Davidis fuga. 299
LXIX. Absalonis suspendium. 306
LXX Salom. initia; conjuratio Adoniæ. 309
LXXI Davidis ex peccatis pœnæ, &c. 314
LXXII Regis Salomonis Decora. 321
LXXIII Magnificentia tẽmpli Salomõici 327
LXXIV. Salomonis Dedecora. 335

LXXV. Roboam⁹ ſtultus Salomonis filius. 342
LXXVI. Ieroboam primus Iſraëliticarum X. Tribuum rex, pſeudopoliticus &c. 350
LXXVII. Abias & Aſa, reges Iudæ. 358
LXXVIII. Tragica regum Iſraëlitic. ſeries. 362
LXXIX. Ioſaphat⁹, Iudæ rex pietatis cultor. 368
LXXX. Achabi Iſraëlitarũ regis, & Iezabelis impietas, iñocentis Naboth, &c. 374
LXXXI. Eliæ vatis mirabilia facta. 383
LXXXII. Eliſæus Taumaturgus. 391
LXXXIII. Joram⁹ Ioſaphati, Ochozias, &c. 405
LXXXIV. Athalia Iudaici regni Furia. 408
LXXXV. Ioas, incõſt. & ingrati ãimi exẽp. 412
LXXXVI. Amaſias XI. rex Iudæ, Deo, &c. 417
LXXXVII. Ionas mirus DEI præco. 422
LXXXVIII. Ozĩas, XII. rex Iudæ leproſus. 428
LXXXIX. Achaz regũ Iudæ ſceleratiſſim⁹ 431
XC. Ezechiæ regis Iudæ religioſa pietas. 437
XCI. Ezechias ægrotans, prodigioſẽ. &c. 441
XCII. Señacheribi, regis Aſſyrior. ſtrages. 445
XCIII. Ezechiæ oſtentatio punita. 448
XCIV. Utriusque Tobiæ multifaria virtus, & Fortuna. 451
XCV. Manaſſes reſipiſcens. Amon ejus filius malè periens. 462
XCVI. Iſaias Propheta Evangelicus & Martyr. 467
XCVII. Ioſias abſoluta boni regis imago 471

XCVIII.

XCVIII. Ioachazes, sive Sellum; Eliacimus, seu Ioakimus; Ioachinus seu Iechonias, reges Judæ impij, miseri. 478.
XCIX. Sedecias Iosiæ filius, Rex Iudæ ultimus, impius, perjurus, perfidus, calamitosus. 484
C. Ieremias Sacerdos, Doctor, Propheta, Martyr. 491
CI. Iuditha Heroina, Victrix, Triũphatrix. 498
CII. Susannæ castitas fortis. 511
CIII. Daniel exponit Nabuchodonosori visam in somnio statuam. Tres Danielis Socij in flam̃ante clibano illæsi. 517
CIV. Nabuchodonosoris metamorphosis in bestiam. 523
CV. Daniel Sacrificulorum Belis imposturam detegit, superstitiosum Draconem occidit: ad leones damnatur. 527
CVI. Balthasaris ultimi Babyloniorum regis interitus. 532
CVII. Daniel iterum leonibus obijcitur. 538
CVIII. Instauratio urbis & Templi Solymæi sub Zorobabele & Nehemia Ducibus. Esdra Sacerdote & legis Doctore. 545
CIX. Aman in Patibulo. 549
CX. Heliodorus. ab Angelis flagellatur. 559
CXI. Eleazari Sacerdotis, & septem fratrum Machabæorum, una cum matre illustre

Iustre martyrium. 564
CXII. Mathathiæ Machabæi Ducis & Pontificis Hebræi Zelus pro honore Dei, 572
CXIII. Iudas Machabæus, Gentis Hebrææ Archistratégus, Poliorcetes, Religionis Defensor, Patriæ Servator. 575
CXIV. Antiochi Epiphanis, teterrimi Tyranni funestus exitus 585
CXV. Ionathæ & Simonis Machabæorum, Iudæ fratrum, Judææ Ducum ac Pontificum acta. 589
CXVI. Machabæanæ stirpis eradicatio, Herodis alienigenæ in regnum Iudaicū invasio. Herodiani nominis propagatio, & excisio 595
CXVII. Excidium Hierosolymitanum per Titum Imp. Rom. 611.



INDEX RERUM.

A.

AAronis peccatum in erectione vituli. 117. in petra bis percussa. 133. Virga florens 131. obitus 134.
Abelis cædes. 20.
Abigail Davidem placat. 264.
Abimelechi Gedeonis Filij, vafrities, impietas, crudelitas. 190. ejus interitus à fœmina. 194.
Abner perfidiosè occisus. 271. ejus funus. 272.
Abrahami migratio è Chaldæa in Chananitidem 36. à Loto separatur. 37. ejus expeditio in Assyrios 39. suscipit Angelos hospitio. 41 pro Sodomitis deprecatur. 42. Agarem ancillam ejicit domo. 49. filium sacrificat. 52. Abrahami ætas & obitus. 24.
Absalon fratricida. 295. ejus interitus. 307.
Achitophel Consiliarius vaferrimus. 304. se suspendit. 305.
Adami status ante lapsum. 14. tentatio & peccatum. 16.
Infelicitas & pœna 17.
Adolescentis laus. 321.
Adoratio vituli. 117. vide Idololatria.
Adulterium Davidis. 286.
Aenigma de leone. 206.
Affectus in Abrahamo & Isaaco. 51. in Parente Iephte. 201. Ionathæ & Davidis. 261.

Ama-

Amanus in patibulo. 549. & 558.
Amasa à Ioabo fraudulenter occiditur. 312.
Ambidexter Aodus. 174.
Ambitio. 126. 267. 309.
Amicitia Davidis & Ionathæ. 257. 261.
Amnonis incestus. 293. cædes, 296.
Amoris vesania. 70. Amor conjugalis. 247. Amor Davidis in Bethsabeam. 286. Amor Salomonis erga fæminas. 337.
Angelorum ordines. 6. peccatum quale 8. prælium. 8. supplicium Apostatarum. 9. vires naturales cacodæmonum. 9. 10. 11. Angeli ab Abrahamo suscipiuntur hospitio. 41. & à Loto. 43. hunc educunt Sodomis. ibid. Angelus in nube Hebræorum Dux. 108. Angelus armatus Iosuæ spectabilis. 153. Michaël apparet Iosuæ. ibid. habitu viatoris apparet Gedeoni. 184. vocat Samuelem dormientem. 323. cædit Assyrios 446. Isaiam initiat Prophetam 468. Angeli pugnant pro Hebræis. 578 & 580.
Anna Samuelis mater. 221.
Antiochus Epiphanes 564. ejus crudelitas. 564. interitus. 588.
Antithesis inter Ezechiam & Manassen. 462.
Apostasia Roboami & populi. 347.
Aqua noxia alijs, alijs non 119. ex molari dente profluit. 208. amara in dulcem vertitur. 392.
Arcæ ædificatio. 25. Arca fœderis designata à Deo. 116. Arca tabernaculi. 116. 117. illi decedit Iordanes fluvius. 150. præfertur ante exercitum. 151. Arca capitur. 219. Ozæ eam tangentis

gentis pæna. 278. Arcæ per Davidem reductæ pompa. 279.
Arca Noë. 25.
Arcis vel turris oppugnatio. 194.
Arcus Cæleſtis. 29.
Archangelus Raphaël junioris Tobiæ comes itineris. 456.
Armatura Iudithæ. 505.
Arrogantia Holofernis. 501. Nabuchodonoſ. 521.
Aſina Balaami loquitur. 136.
Aſini maxillâ ſternuntur hoſtes. 208.
Aſmodæus cacodæmon fugatur. 458.
Aſſuerus Rex. 547. 549.
Aſyli Symbolum funis Coccineus. 149. 156.
Avaritia Salomonis. 338.
Auxilium è cœlo adverſus hoſtes Regi Aſæ miſſum. 359.

B.

BAbylon evertitur. 536. & 545.
Babyloniæ turris ædificatio. 31. impedita. 34.
Balaamus Ariolus. 136. ejus aſina. 136. ejus mors. 145.
Balthaſaris Regis Chaldæi interitus. 532.
Bellum movetur. 37. 39. Bellum Madianiticum. 185. Bella mota Salomoni. 339. Bellum Roboami impeditum à Deo. 346. Seſaci in Roboamum. 348. Bella diverſa Achazi mota. 432.
Belus. 32.
Benedictionem paternam impetrat Iacob. 54. Beneficia Dei in Israëlitas. 123. Beneficijs maleficia rependuntur. 252. Benjamini Scyphus abſconditus. gratia apud Ioſephum fratrem. 85.

Bethulia obsessa & liberata. 501. & 509. Blasphemia punita. 132.
Botrus ingens è Chananitide refertur. 124.
Buccinarum clangor ad urbem Iericho. 154.

C.

CÆdes Abelis. 21. Caini. 22. Cædes Haitarum. 161. Iabini. 168. Eglonis 176. Sisaræ clavo confixi. 182. Abimelechi. 194. Israëlitarum 219. Agagi pinguis. 237. Goliathi. 243. Cædes hostium. 244. Abimelechi cum 85. Sacerdotibus. 248. Asaëlis 269. Abneris. 271. Isbosethi per Sicarios 274. Incolarum Rabbathæ. 285 Amnonis temulenti. 296. Absalonicorũ. 307. Absalonis ibidem. Cædes Adoniæ. 312. Ioabi ibidem. Amasæ. 313. Sebæ Seditiosi. 316. Sacrificulorum Baalis. 382. & 386. Moabitarum mirabilis. 394. Primatum per Ioramum. 406. Athaliæ 412. Zachariæ filij Ioiadæ. 415. Ioæ. 416. Amasiæ 421. Filiorum Sedeciæ in conspectu patris. 488. Holofernis. 508. Assyriorum. 510.
Cæleste auxilium contra hostes 181. & 359.
Captivitas Samsonis. 213. Amasiæ. 420. Iechoniæ cum magna multitudine. 482, Ioachazis. 479. Manassis. 464. Sedeciæ. 487.
Clades. 38. 39. Madianitarum. 145. & 189. Moabitarum. 176. Ammonitarum. 284. Ammonitarum se ipsos concidentium. 371.
Cacodæmonis Vires. 9. 10. 11.
Calamitates Iobi multiplices. 89.
Calliditas Chusai. 304.

Calumnia Sibæ in Miphiboſethum. 302. item in Danielem 539.
Carnivori plectuntur. 120. 121.
Caſtitas in publico parùm tuta. 70. Caſtitas Ioſephi & pugna. 78. Caſtitas Iudithæ in ſe ornanda. 506. Caſtitas Suſannæ. 511. Caſtitatis inſidiæ. 513.
Ciniphum plaga. 103.
Clavo affigitur terræ Siſaræ. 182.
Clementia Davidis in Saulem. 254. 255.
Conjugalis fides Micholis erga Davidem. 247.
Conjugalis caſtitas. 513.
Conjuratio Adoniæ. 312.
Connubium felix. 266.
Conſanatio prodigioſa Ezechiæ. 445.
Conſiliarij mali. 104.
Conſilium nequiſſimum Achitophélis. 305.
Conſilia Seniorum bona. 343.
Juvenum mala. 344.
Conſilium Iſaiæ ab Achaze rejectum. 433.
Conſolantur Iobum amici. 95.
Contactus Eliſæi cadaver ad vitam revocat. 402.
Controverſia duorum Regum. 267.
Contumacia Jonæ in parendo divinis juſſibus. 422.
Contumelia in Legatos Davidis. 282.
Correctio fratrum mitis in Ioſepho. 83.
Corruptionis cuſſa in Manaſſe. 464.
Coturnicibus Cælum pluit. 112.
Creatio Mundi. 1. & ſeq.
Credulitas inconſulta. 303.
Crudelitas. 71. Abimelechi. 190. Ioakimi. 480.

Culpa

Culpa levis graviter punitur in uxore Lothi. 47.
in Ezechia. 450.
Cura Ezechiæ in reſtaurando Dei cultu. 438.
Curioſitas Betſamitarum in arca aſpicienda punita. 220.
Cytharâ expellitur malus Saulis genius. 253.

D.

DAgonis ſimulacrum, quale. 220.
Dagonis fanum. 214.
Dalila. 210.
Danielis & Sociorum ejus abſtinentia & Sapientia. 517. 518.
Occidit Draconem. 530.
Leonibus obijcitur & liberatur. 530. 531.
Arcanam ſcripturam legit. 535.
David primò in Regem inungitur. 237.
Fortitudinis ejus præludia. 240. ſternit Goliathum. 243. invidia Saulis in eum. 244. fuga. 249 latet in ſpeluncis. 253. parcit Sauli 253. & 254. & ſeq cum Jonatha amicitia. 257. Luget Abnerem. 271. victoria ſui. 277. committit adulterium, & homicidium. 287. pœnitentiam agit, reprehenſus à Nathane. 289. punitur ob populum numeratum. 318. mors. 320.
Decalogi promulgatio. 115
Dedicatio templi Salomonici. 334.
Deditio fruſtra ſuadetur à Jeremia. 486.
Defectio decem tribuum à Roboamo. 345.
Dehortatio à ſceleribus. 339.
DEI Perfectiones. 1. Dei beneficia in Iſraëlitas peregrinantes. 123. Diſputatio cum Jona. 426.

De-

Demissio sui in Isaia. 469.
Descriptio templi Salomonici. 329.
Desertio Jobi. 93.
Desperatio Achitophelis. 305
Bethulienſium. 503.
Devastatio Judææ. 419. 435
Diffidentia erga DEum punita. 133.
Regis Asæ erga DEum. 360.
Diluvium. 27.
Dina Jacobi filia violata. 70.
Dispositio Dei mira in liberando Manasse. 465.
Disputatio Dei cum Jona. 426.
Divitiæ Salomonis. 324.
Josaphati. 369.
Dolus Gabaonitarum. 161.
Dos Raguelis. 459.
Duellum Davidis. 243.
Durities cordis Pharaonis. 102. 103. & seq.

E.

Ebrietas Noëmi. 30. Holofernis. 508.
Educatio mala filiorum. 217.
Educationis spes optima bonus institutor. 412.
Eleazari Machabæi glorioſus occubitus. 581.
Elias viduæ farinam multiplicat. 384. filium ejus à morte resuscitat. ibidem. in cœlum rapitur. 389.
ejus Elogium. 389.
Elisæi vocatio. 391. accipit pallium & spiritum Eliæ. ibidem. ejus prodigia. 392. illuditur à pueris non impunè. 392. ejus mors & Elogium. 401. & seq.
Elogium Abrahami. 24. Eliæ 389. Elisæi. 402. Isaiæ. 470. Josiæ. 477.

Encomium Jobi. 96. Mosis. 135. Josue. 147. utriusque Tobiæ. Josaphati 368. 461. Isaiæ Prophetæ. 467. & seq. Jeremiæ. 498. Judithæ. 510.
Epinicium. 244.
Epitaphium Elisæi. 403.
Esau valdè diversus à fratre. 58. vendit jus primogeniti ibidem. occurrit Jacobo. 68.
Esdras legis Doctor, ejusdémque Laus. 548.
Esther supplicans Assuero. 557.
Eva. 12. & seq.
Eversio Jerichuntis. 152.
Excæcatio Syrorum. 399.
Tobiæ. 455.
Excidium urbis. 155. Haię. 159. & 161. Leisæ. 171. Benjamitarum. 172. Ammonitarum. 284. Solymę. 487. & 490.
Excisio stirpis Saulęę. 317.
Exequię. 272.
Exercitus Absalonis & Davidis. 306.
Exoculatio Samsonis. 213.
Exoculatio Sedecię. 489.
Expilatio Hierosolymę. 349.
Rabbáthę 284.
Exploratio Chananitidis. 123. 124.
Exploratores Chananitidis à Rahaba excipiuntur hospitio. 148.
Exprobratio Nathanis in Davidem. 290.
Ezechię Regis Judę religio. 437. Morbus 443. prodigiosè sanatur. 445. Ostentatio punita. 448. Mors. 450.
Expugnatio Arcis Sionis. 278.
Hierosolymæ. 349. & 401.
Rabbáthæ. 284.

Exspoliatio Hierosolymæ. 349.
Extirpatio stirpis Saulææ. 317.
Extirpatio familiæ totius Achabi. 382.

F.

FÆmina quàm potens. 139.
Sternit Abimelechum. 194.
Impudica malorum janua. 210.
Fames in tota Chananitide. 83.
Fames obsessorum. 399.
Farina multiplicata. 384.
Favus mellis in ore Leonis. 206.
Felicitas Adami ante lapsum. 17.
Felicitati pristinæ Jobus restituitur. 96.
Felicitas Manassis. 465.
Ferocia Sennacheribi. 442.
Holofernis. 500.
Fervor Ezechiæ in exscindenda Idolomania. 437.
Fides à Josue etiam fraudulentis servata. 163.
Filia à Parente immolatur. 203
Filij Helis immorigeri. 218.
Samuelis degeneres. 225.
Flagitia Sodomorum. 44.
Flagitiosum Ammonis imperium. 466.
Fons è Maxilla asini. 208.
Forma Rachelis Iacobum ad servitutem compellit. 61. 62. 63.
Fortitudo Samgaris. 178.
Samsonis. 208. 211.
Jonathæ. 235. 236.
Davidis pueri. 240.
Isaiæ. 469.

Judithæ. 503.
Fortuna varia Josephi Patriarchæ. 7
Fratrum correctio. 83.
Fratres 68. Abimelechus securi ferit. 192.
Fraus Joabi. 271.
Fuga 230. Davidis fuga ex alio loco in alium. 249. Absalonis. 296. Eliæ. 387. Assyriorum. 509.
Funiculus Coccineus symbolum asyli. 149. 156.
Funus Abneris. 272.
Furtum Achanis. 158.

G.

GEdeonis religio & vellus prodigiosum. 185.
Mira Victoria. 187.
Gigas Goliath. 241.
Gladiatorius ludus. 268.
Grando prodigiosa de cœlo in hostes decidens. 165.
Gratiarum actio pro beneficijs. 461.
Gula. 121.

H.

HElisPontificis nimia in liberos indulgentia. 217.
Mors. 219.
Heliodorus. 559.
Herodes. 598.
Herodiadis interitus. 608.
Hierosolyma frustra obsidetur à Cestio. 613.
Eandem obsidet etiam Titus 615.
Factiones inter incolas. 614.
Summa rerum in ea turbatio. 615.
Ex urbe profugi in cruces aguntur. 616.
Obsidentes scrutantur aurum in Judæorum ex sectis ventribus. 616.

Urbs in manus hostium venit. 618.
Incredibilis hominum multitudo vel capitur vel perit. 619.
Urbs funditus evertitur. 619.
Holocaustum Eliæ à cœlo inflammatum. 386.
Holofernes Dux belli á Juditha cæsus. 499 &. seq.
Honor Danieli exhibitus. 520.
Hospitalitas Abrahami. 41. Lothi. 43
Humanitas Davidis in Abnerem. 270.
in Syros Hostes. 399.
Humilitas Isaiæ. 469.

I.

IAcob Benedictionem præripit fratri. 58. servit pro Lia & Rachéle. 63. luctatur cum Angelo. 68. occurrit Esau. ibidem. Luctus super Josephum. 78. ad Josephum in Ægyptum proficiscitur. 86. moritur. 88.
S. Jacobus Apostolus occiditur. 609.
Idololatria Hebræorum punita. 141, 171.
Jeroboami. 353.
Israëlitarum. 354.
Amasiæ. 418.
Achazis. 435.
Jephte Dux Hebræorum. 200. ejus votum. 201.
filiam immolat. 203.
Jericho munimentum Palæstinæ. 150.
Jerusalem. V. Hierosolyma.
Jezabel occidit Prophetas. 375.
Jezabel Nabotho vineam eripit. 376.
occiditur præcipitio. 380.
Ignis de cœlo missus. 130. item 386. & 388.

Ignis miraculum ſub Nehemia. 547.
Ignis in rubo. 101. in columna. 108.
Ignis Sacri locô adhibitus prophanus Deo diſplicet. 132.

Impietas Jorami. 406.
Impudentia. 143.
Inauguratio Regis Davidis. 276.
Salomonis. 311.
Joæ Regis. 411.
Incantationes Ariolorum. 104.
Incendium Pentapolitanum. 44.
Sodomæ. 44.
Hieroſolymæ. 489.
Inceſtus Amnonis. 293.
Indoles Abelis & Caini. 19.
Eſau & Jacobi. 58.
Egregia Salomonis. 321.
Indulgentia in liberos nimia. 218. & 294.
Ingratitudo. 377.
Ingreſſus Iſraëlitarum in Palæſtinam. 152.
Injuria in Jeremiam. 493.
Injuſtitia Achabi in Nabothum. 376.
Innocentia Suſannæ. 516.
Innocentiæ ſtatus in Paradyſo. 14.
Inobedientia filiorum Heli. 218. Saulis punita. 351.
234. & 236. Addonis Prophetæ punita. 422.
Inobedientia Jonæ. 160. 295. 350.
Inſidiæ hoſtibus locatæ. 280.
Inſultat Jobo uxor. 94. Davidi Michol. 176.
Interfectio Eglonis. 475.
Joſiæ à barbaris. In-

Interitus Ægyptiorum. 110. Saulis. 238.
20. impiorum Regum Israëliticorum. 362. & seqq. Jezabelis 381. Jorami. 407. Ochoziæ. 408. Sardanapali. 427.
Internecio. 145. Vide clades.
Invectiva Nathanis in Davidem. 290. Nabuchodonosoris in Sedeciam. 488.
Inventio Deuteronomij. 473.
Invidia Caini in Abelem. 19.
Fratrum in Josephum. 76.
Saulis in Davidem. 244. & 245. Joabi. 270.
Joab perfidè interimit Abnerem. 271. & Amasam. 312. fugit ad tabernaculum, ibique occiditur. 312.
S. Jacobus occisus. 609.
Job. 88. & seq. ejus Elogium. 96.
Jonas Propheta. 422. & seq.
Jonathas Saulis filius facinus edit fortissimum. 235. sorti subijcitur. 236. singularis cum Davide amicitia. 257. 261.
Jonathas Machabæus insidiosè perimitur. 592.
Jordanis fluvij siccus transitus. 150.
Josaphati Regis Judæ Virtutes Regiæ. 368.
nocet ipsi societas cum impio Achabo. 372.
Josephus Jacobi filius venditus. 76. pugnat pro castitate. 78. &c.
Josue successor Mosis. 147. facta bellica. 150. & seq. Sol & Luna stant ad ejus imperium. 166.
Ira Labani & Esau placatur à Jacobo. 66. 67. 68.
Ira Nabuchodonosoris in Sedeciam. 488.
ejusdem in Ariolos. 518.
Irrisio Vaticinij morte punita. 401.

Jsaac nascitur. 49 ejus immolatio. 52. Nuptiæ cum Rebecca. 54. moritur. 60.
Isboseth Saulis filius, Davidis adversarius 267. à Sicarijs occiditur. 274.
Jsaiæ Prophetæ virtutes. 470.
Jsmaël cum matre ejicitur. 49.
Jsraëlitæ afflicti in Ægypto. 79. exitus ex Ægypto. 107. transitus maris rubri. 109. eorum murmurationes contra Deum, & refractarius genius. 112. & seq.
Iter longum Jsraëlitarum per desertum. 112.
Judicium Salomonis prudentissimum in lite duarum fœminarum. 323.
Juditha Heroina. 498. ejus Encomium. 510.
Justitia Divina in plectendis sceleribus. 157. Josaphati. 371.
vide pœna. scelera. peccata &c. sodomitæ.

L.

Lætitia Jacobi, & fratrum ex cognito Josepho. 84. 85.
Lapidatio Sacrilegi Achan. 157.
Laus. vide Encomium.
Laus Regis. 368.
Laus Josuæ. 147.
Samsonis. 204.
Davidis. 240.
Oziæ Regis. 428.
Joathanis. 430.
Legatio Mosis ad Pharaonem. 101.
Sennacheribi ad Ezechiam. 442.
Merodachi ad Ezechiam. 449.

Legatorum violatio. 282.
Lenitas Davidis. 253.
Lenocinia Dalilæ. 212.
Lenocinia fœminarum. 140.
Leonis Catulus à Samsone interfectus. 206.
Liberandi Manassen mira Dei dispositio. 465.
Libido Sacrilega Hebræorum punita. 139.
ejus illices. 140.
ejusdem pœna. 141.
Libido reddit obstinatos. 142.
Libido Gabaitarum. 171.
Senum Susannam tentantium. 513.
Libri Sacri inventi. 473.
Linguarum confusio. 34.
Litteræ Superbæ Sennacheribi. 443.
Lot ab Abrahamo liberatur. 39. excipit Angelos hospitio 43. educitur Sodomis. ibid. ejus uxor in statuam salis convertitur. 47.
Luctus Davidis ob cædem Saulis. 256.
ejusdem in funere Abneris. 272.
ejusdem de Amnone. 296.
ejusdem ob cædem Absalonis. 308.
Luctus Sedeciæ. 490.
Ludibrio afficiuntur uxores Sedeciæ. 489.
Ludicrum militare. 268.
Ludificatio Samsonis. 215.
Ludus gladiatorius. 268.

M.

Machabæi fratres Martyres. 568.
Machinatio ambitiosa Adoniæ. 310.
Madianitarum internecio. 145.

Magia Salomonis. 338.
Joachimi. 481.
Magicæ incantationes, 104. 136. 138.
Magnificentia Templi Salomonici. 327.
Malitia Hebræorum. 199.
Joæ Regis. 404.
Manassis scelera. 462. Captivitas, Pœnitentia. 464. & 465.
Manna de cœlo cadit. 112.
Mardochæus exaltatur suspenso Amano. 555.
Mare œneum. 330.
Mariæ Virginis figura erat Juditha. 510.
Maris rubri transitus. 108.
Maris aquæ dulcorantur. 112.
Martyr Isaias. 470.
Martyrium Jeremiæ. 497.
Matrimonium Tobiæ. 458.
Mendacium Authoribus nocet. 164.
Metus trepidatio. 109. 188.
Michaël Archangelus pugnat contra Luciferum. 8.
Apparet Moisi in monte Sina. 116.
Michaël Angelus apparet Josuæ. 153.
& Gedeoni. 184.
Militares curæ Ezechiæ. 440.
Mitis Austeritas Josephi. 83.
Mæror Sedeciæ. 490.
Mollities Samsonis. 336.
Molaris dens fons Samsonis. 208.
Morbi in Jobo. 92.
Morbus Davidis. 319.
Ezechiæ. 443.
Mors Abrahami. 24. Jacobi. 86. Aaronis. 134.

Mosis. 135. Sceleratorum. 144. Repentina Helis. 220. Davidis. 320. Achabi. 379. Elisæi. 401. Joiadæ. 414. Achazis 436.
Mortuus excitatur ab Elisæo. 402.
& per Eliam. 385.
Moses infans exponitur. 99. Fit Pastor & Legatus ad Pharaonem 100. obitus & encomium. 135.
Mulier mala exitium viri 405.
Muliebre illicium. 140.
Mulierum potentia. 139.
Multitudo Ministrorum templi. 332.
Mundi Creatio. 2.
Munera Davidi affert Abigail. 264.
Muri Jerichuntis concidunt. 155.
Murmur adversùs DEum. 112. & seq.
Murmuratores puniti. 120. 133. 134.
Muscarum plaga in Ægypto. 103.
Musicæ vis. 253.

N.

NAboth innocens lapidatur. 376.
Nabuchodonosor succendit Jerosolymam. 487
Ejus somnia. 519. 523. Arrogantia 525.
mutatio in bestiam. 525. resipiscentia. 526.
Nequitia Jeroboami. 352.
Ochoziæ. 407.
Ninivitarum pœnitentia & interitus. 426. & 427.
Noë ædificat Arcam. 25. ejus ebrietas. 30.
Nubes ducens Hebræos. 108.
Nuptiæ Isaaci. 54.

O.

OBedientia Abrahami. 48.
Filiæ Jephtes. 202.
Obedientia cæca. 232
Obedientia prompta. 418.
Obedit Sol & Luna Josuæ. 166.
Obsidio samariæ. 399.
Solymæ. 446.
Bethuliæ. 486.
vide oppugnatio.
Obsidionis solutio mirabilis. 400.
Obstinatio Pharaonis. 102.
Jeroboami. 354.
Achabi. 375.
Jorami. 406.
Obtrectatores puniuntur. 121.
Occisor Saulis occiditur. 256.
Odium fratrum in Josephum. 76.
DEI & hominum in Joramum. 407.
Offensa DEI parva. 235.
Oleum pauperculæ multiplicatumab Elisæo. 394
Opes Davidis & Salomonis. 332.
Oppugnatio Turris. 194.
Urbis Rabbathæ. 284.
Oratio sive preces Mosis ad DEum pro victoria. 114
Oratiuncula fæminarum ad libidinem pellicientium. 158.
Asinæ ad Balaamum. 137.
Josuæ. 158.
Abigailis. 265.
Joabi. 308.

Oratio irati Nabuchodonoſoris in Sedeciam. 488.
Oſtentatio Ezechiæ. 448.
Otium. 285.

P.

Panegyres, vide Encomium.
Paradiſi deſcriptio. 13.
Patientia Jobi in jactura bonorum fortunæ. 89. & 90
In Ærumnis Corporis & alijs calamitatibus. 92. 93. & 94.
Patientia Davidis. 303.
Patibulo Rex affigitur. 156.
Parabola Nathanis ad Davidem. 289.
Parabolæ explicatio. 290.
Parentatur Abneri. 272.
Paricida fratrum Joramus. 406.
Paricidium patrant filij Sennacheribi. 448.
Pauper Ruth felix init matrimonium. 199.
Peccatum Adami. 16. Pœna peccati. 17. vide pœna.
Peccata Principum luenda ſubditis. 320
Perfidia 191. 271. 312.
Periculum vitæ Uriæ. 288.
Davidis. 318.
Pervertitur Manaſſes. 464.
Perſequitur Davidem Saul. 245.
Peſtilentia ob numeratum populum. 318.
Peſtis electa à Davide præ cæteris pœnis. 319.
Petra percuſſa dat aquas. 114.
Pharaonis tyrannis. 97.
Submerſio. 111.

Pietas victoris. 161. Davidis in Saulem. 253. Respha in filios. 317. Tobiæ à pueritia. 451.
Ejusdem in sepeliendis mortuis. 454.
Placatur David ab Abigaele. 264.
Plagæ Ægypti. 102. & seq.
Planctus Cæsorum & morientium. 106.
Pluviæ Coturnicum. 112.
Pœna Angelorum lapsorum. 9.
peccati Adami. 16.
Peccatorum. 21.
Libidinis. 44. & 141.
Sacrilegij. 158.
Talionis. 195.
Curiositatis. 220.
Peccati Saulis. 234.
Occisoris Saulis. 256.
Sicariorum. 275.
Ozæ. 278.
Micholis. 280.
Semei. 313.
Jeroboami. 356.
Jonæ. 423.
Ostentationis Ezechiæ. 448.
Manassis. 466.
Pœnitens vox Davidis. 291.
Pœnitentia Achabi. 377.
Ninivitarum. 424.
Manassis. 664.
Politicæ curæ Ezechiæ. 448.
Pompa in deducenda Arca. 279.
Portas Gazæ urbis aufert Samson. 204.
Potentia Salomonis. 326.

Josaphati. 369.
Prandium cælitus inflammatur. 184.
Prædatores cæduntur. 178.
Prædæ distributio. 40.
Præda in urbe Rabbátha. 284.
Prœlium. vide Bellum. Pugna.
Prœmium Amasiæ promptè obsequentis. 418.
Prænuntiata Josiæ facta. 411.
Probatio Jobi in ærumnis corporis. 92. & seq. ejusdem in jactura Bonorum fortunæ. 89.
Problema de interempto Leone. 180.
Promissa DEI. 334.
Prophetica Jeremiæ signa. 491.
Provocans ad pugnam Goliathus. 241.
Providentia Joiadæ in conservando Rege. 409.
Ezechiæ in re militari. 442.
Prudentia Abigailis. 264.
Josaphati. 368.
Pueri. 225. 392.
Pugna Baraci cum Chananæis. 181.
alia. 230.
alia. 268.
Pulmenti amaritudo emendata. 396.

R.

RAchélem ducit Jacob. 63. ea furatur idola parentis. 66.
Ranæ Ægypti. 103.
Raphaël ducit Tobiam in Mesopotamiam. 456.
Raptus Eliæ. 389.
Rebecca nubit Isaaco. 56.

Rebellio Abſalonis. 300.
Joakimi. 481.
Sedeciæ. 486.
Reconciliatio Davidis cum Abſalone. 297.
Refractarius Jonę genius. 425.
Reges duo in uno regno. 267.
Regina Sabę Salomonem inviſit. 327.
Regis Laus. 368.
Religio, vide Zelus.
Remiſſio culpę Davidis. 292.
Reprobatio Saulis ob inobedientiam. 234.
Reſipiſcentia Amaſię. 421.
Manaſſis. 474.
Reſuſcitatio mortui per Eliam. 385.
Rex Jerichuntis in patibulo. 156.
Riſus Sarę. 42.
Robur Samgaris. 178. & Samſonis. 205.
Rubus ardens incombuſtus. 101.
Ruſtici victoris Laus. 178.
Rutha ſpicas colligit. 197.

S.

SAbę Regina Salomonem inviſit. 327.
Sabbathi violatio punita. 131.
Sacrificare filium Jſaacum parat Abraham. 52.
Sacrilegus Achan. 157.
Sacrilegium Heliodori. 559.
Sęvitia Saulis. 248.
Sagittarum jactu periculum Davidi indicat Jonathas. 261.

Salomonis egregia indoles. 321. Sapientia. 322.
Divitię. 324. Potentia. 326. Amor insanus
erga fęminas. 337. Avaritia. 338. Magia. 339.
incerta Salus. 341.
Salus Salomonis incerta. 341. Joę incerta. 416.
Samgaris robur. 178.
Samsonis fortia facinora. 204. & seq. amor in Da-
lilam & captivitas. 210. & seq. occasus. 216.
Samuel puer. 222.
& propheta. 223.
Sanctuarium. 116.
Sanitas restituta Naamo. 397.
Ezechiæ prolongatur. 445.
Sapientia Salomonis. 322.
eam admiratur Regina Sabę. 327.
Danielis. 518.
Saræ risus. 42.
Saraceni unde dicti. 49.
Sardanapalus. 426.
Satietas Multorum ex paucis panibus 396.
Saul in Regem eligitur. 227.
Idem repentinus Propheta. 228.
Reprobatur à Deo. 232.
eius interitus. 238.
ejusdem scelera. 238.
Persequitur Davidem. 245.
Scala Jacob. 62.
Scelera excidij Jerichuntini causæ. 157.
Achazis. 432.
Scelera Solymæorum. 617.
Scientiæ Salomonis. 32.
Sedecias Rex. 483. rebellat Babylonijs. 486. capitur.

tur. 487. ejus ac filiorum ſupplicium 488. mors ex mœrore. 490.
Seditio Iſraëlîtarum. 113. populi contra Moſem. 127.
Seditioſorum pœnæ. 177. Seditio Ephraimitarum 202.
Seditioſi igne & hiatu terræ abſorpti. 126. & ſeq.
Semei maledicit David. 303. punitura 313.
Salomone 512.
Senes duo corruptiſſimi. 343.
Seniorum Conſilia 134.
Serpens æneus.
Servitus Jacobi pro Rachele 61. & ſeq.
Servitute Ægyptiaca liberantur Iſraëlitæ. 107.
Sicarij regum deteſtabiles. 274.
Simulatio callida. 162.
Siſaræ interitus. 182.
Siti levandæ petra dat aquas. 113.
Sitim vincit David. 277.
Sitis exercitûs per Eliſæum levata. 393.
Societas pernicioſa Joſaphato. 372
item. 379.
Sodomæ & Gomorrhæ flagitia. 44.
Sol & Luna ſtant ad imperium Joſuæ. 166.
Solis retroceſſio. 444.
Solutio obſidionis. 400.
Somnij non vana explicatio. 81.
Spicas colligit Ruth. 197.
Spolia ex Madianitis. 146.
Statura corporis magna in Saule. 228.
Stratagema. 160.
Strages Aſſyriorum. 446. vide cladem ſtrat.

Stultus & durus Nabal. 263.
Submergitur mari rubro Pharao cum exercitu. 110.
Sumptus in ſtructuram templi. 332.
Superbia Angelorum. 8.
Nabuchodonoſoris. 499.
Ejusdem. 520.
Superbæ Litteræ Sennacheribi. 443.
Suſannæ caſtitas. 511. accuſatio. Defenditur. 515.

T.

Tabernaculum DEI. 116.
Talionis pœna. 81. & ſeq. 170. 195.
Temeritas Oziæ lepra punitur. 429.
Tempeſtas. 109. & 230.
Templum Dagonis. 214.
Templum Salomonis. 327. magnitudo. 328. Ornamenta. 329. Operarum numerus. 331. multitudo miniſtrorum templi. 332. Dedicatio. 334. Ejus devaſtatio.
Templum Solymæum ſecundum. 490.
denuo incenditur. 546.
Tentatio Adami. 618.
Teſſera militaris. 16.
Titus Hieroſolymam obſidet. 203.
Miſeratur urbis ſortem. 615.
Victoriâ modeſtè utitur. 617.
Delicium hominum vocatur. 621.
Tobiæ ſenioris pueritia, pietas. 451. & 455. Ex-

cæcatio. 455. Tobiæ junioris gesta. 456. utriusque Tobiæ encomium. 461.
Transitus per Jordanem sicco pede. 388.
item. 392.
Triumphus Jephtæ. 201.
Triumphi Descriptio. 244. vide victoria.
Turbatio Ægyptiorum à DEO immissa. 109.
Tumultus & trepidatio. 188.
Turris Babylonica. 31.
Turris oppugnatio. 194.

V.

VAfricies Absalonis in struendis Amnoni insidijs. 295.
Jeroboami. 350.
Valedictio. 261.
item. 197.
Vasa templi Salomonici. 331.
Vasa sacra prophanantur à Balthasare. 533.
Vastatur Hierosolyma. 487.
Vaticinium Josephi. 80.
Vellus Gedeonis. 185.
Versutia Absalonis. 300.
Vespasianus Belli-Dux Galilæam vastat. 613.
ei defertur imperium Romanum. 614. ejus arrogantia & consilium. 621. eradicandæ familiæ Davidicæ. 621.
Victima Jephte. 204.
Victoriam parit Oratio. 114.
Victoria Gedeonis. 183.

Jephtæ. 201
Davidis de siti. 277.
Israëlitarum. 283. Achabi. 378.
Victoris pietas. 161.
Victoris modestia. 621.
Victus Joachaz. 479.
Vindicta DEI in luxuriosos. 47. & 141.
Fœdi concubitûs. 142.
in Madianitas. 145
Sera, gravior est. 157.
in pueros illusores Elisæi. 392.
in Satellites Ochozię. 388.
in Jonam & populum. 415.
Vineę plantatio. 29.
Vinea eripitur Nabotho. 376.
Violatio sabbathi punita. 131.
Virga Mosis, miraculorum instrumentum. 103.
Virga Aaronis florens. 131.
Virginis descriptio. 201.
Viri unius virtus pro pluribus est. 205.
Virtutis sepulchrum. 480.
Virtutes Judithæ. 404.
Visum recipit Tobias senior. 460.
Vita longa prȩmium Virtutis. 461.
Vitę arbor. 14.
Vituli adoratio. 118. ejus pœna. ibidem.
Vlulatus & planctus cęsorum ac morientium. 106.
Vnus Vir pro multis. 205.
Vocatio Elisæi. 391.
Votum Iephtę. 201.
Vrbis excidium. 155. Item 159. & 248. vide excidium, &c.
Vrię Litterę. 288.

Z.

ZElus Mosis in trucidandis Idololatris. 119.
Phineę. 142.
Religionis Asę Regis. 359.
Religionis Josaphati. 370.
Religionis Ezechię. 437.
in templo restaurando: 438.
Josiæ. 472.
Zopyrus dux Persicus. 445.

FINIS.



Menda (etiam in primo opere ut plurimum reperta) sic emenda.

Numerus prior paginam, posterior lineam, à capite numerando, significat.

4. 23. quæ mixta &c. 28. 28. verò 33. 24. turres. 38. 12 fæmineóque 40. 28 omnium, 41. 10. ac belli jure. 43. 30. impetrat. 52. 11. sara. 60. 27 benedictionem. 64. 6. auctus. 68. 22. luctamine. 83. 16. mittit. 94. 10. eò periculosius, quò magis molle atque effæminatum, neque verberibus, sed verbis conficiendum. 96. 4. pertexere. 96. 5. sive sapientiæ. 96. 17. largitione. 97. 11. legatio. 100. 20. nosceretur. 100. 28 agrestem 102. 10. quâ minis, quâ verberibus. 103. 4. colubrósque 104. 22. territo 105. 16. qui. 106. 21. diuturnitatem. 108. 17. exploratores. 108. 24. sexcenti. 111. 11. exitium 117. 15. convenientes. 119. 2. indignos reputans. 119. 23. Idololatris. 121. 2. allia 125. 10. onerantur. 125. 10. restabat, quàm ut manus Iosue à Calebo inijcerentur, quod ne fieret, absterruit &c. 125. 11. fulgor. 125. tres facies transpositas lector facilè colliget ex pagellarum numeris. 125. 14. luem 126. 7. ignavi. 127. 19. postulasset 128. 6. explodere. 128. 9. impiorum. 129. 8. succendentium. 129. 10 restinguere. 129. 20 Principum. 130. 6. Angelus. 130. 27. concessu. 131. 8. acciti. 137. 15. macerias. 141. initiati. Quos ille cunctos procerum habito per Mosen &c. 142. 27. præmeditatur. 143. 26. Salue. 144. 10. novos. 144. 28. ministra membra. 146. 9. facti infectique. 154. 9 Ierichuntinis. 154. 21. buccinarum sonitum. 155. 6. semel 157. 12. protracta. 158. 19. Exercitum. 163. 11. pabulatoribus. 169. 11. quicunque, 170. 12. belli simul pacisque. 170. 26 manuum, pedumque 171. 2 habitabat. 171. 23 capiebatur. 173. 16. quot. 173. 16. Principum. 174. 12. indignationem 175. fatuâ 176. 32 æquitatis 177. sexta & septima linea omittantur 185. 13. commoditate. 190. 15. relabebantur. 204. 19. Herculis. 210. 8. portarum. 254. 20 ab 276. 24. muros. 278. 18. memorata. 347. 26. voluptates. 349. 25. caussæ. 385. 20. novæ ziæ Iorami filii. 509. 14. provolvitur. 529. 4. Epulonē, 530. 4. contumeliam 536, lin. ult, ante, 556. 4. satrapārum. 562. 13. divinitus, 574. 30. precor. 588. 3. mordendóque. 590. 27. promissorum.

Th
4928

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN